EDUARDI POCOCKII,

Linguæ ſanctæ in Univerſitate Oxonienſi Profeſſoris Regii,

Commentarius
in
PROPHETIAM JOELIS,

e ſermone Anglico nunc primum Latine factus.



LIPSIÆ,
apud J. THOMAM FRITSCH.
M. DC. XCV.

Reverendissimo Patri in Christo

JONATHANI

Episcopo Exoniensi.

Quod in publicum commodum hic meditatus sum, id inprimis grati animi existere volui erga Te indicium pro iis, quæ tam ubertim in me conferre dignatus es, meritis. Nec dubitare me sinit Tuum liberale in iis collocandis ingenium, quin candido id accepturus sis animo, quamvis vilis sit nimium eorundem hæc mea recognitio. Res est utique omnium Christianorum benevolentia digna, quippe ea, quam hic offero, Prophetia, peculiari modo nobis suggerit mirandam illam Spiritus Sancti effusionem, exactamque gratiarum ac donorum ejus collationem; quæ temporibus Christi futura erat, atque a S. Petro allegatur in ejus adventus promissorumque a Deo præstitorum argumentum. Nonpaucis hic Propheta difficultatum implicitus est nodis, quos uti resolvere omni nisu contendi, ita, ut conatus meos qualescunque habeas acceptos, veniaque, si quid cespitatum fuerit, digneris summo peto opere.

Tuæ Reverendiss. Dignitatis

observantissimus

EDUARDUS POCOCKIUS.

PRÆFATIO GENERALIS
in
JOELEM, MICHAM
&
MALACHIAM,
in qua
Operis hujus totius ſcopus & ratio
exponitur.

OMnem curam laboremque noſtrum, quem annotationibus hiſce impendimus, ad hunc collineare ſcopum nemini non vel leviter inſpicienti apertum eſſe poteſt, ut textus, quantum pote, genuinum ac literalem erueremus ſenſum. Poſtquam enim multiplici mihi deprehenſum eſt obſervatione, eum ab interpretibus pro ſuo cujusvis judicio ſecus plane reddi, quam habemus in *Anglicis* noſtris Bibliis, eaque ipſa non paucis in locis ſcatere interpretationum varietate, quæ ad marginem ſunt notatæ, omnem meam operam in id collocandam ratus ſum, ut, quænam earum, quæ ad meam pervenerant cognitionem, ſit veritati maxime congrua, rite inquirerem, & ad textum *Hebraicum* examinarem, qui uti unica eſt regula a divina benignitate per Prophetas ac ſanctos viros divino Spiritu agitatos nobis tradita; ita exinde ab ejusdem miranda providentia incorrupta ac integra ſervata.

Haud

Haud enim injuria ex iis quæri posset, qui secus sentiunt, quo tempore is fuisset corruptus, num ante vel post Christi Salvatoris nostri adventum? Si ante Christi tempora id factum fuisse asserant, atque argumenti loco adducere velint interpretationem *Græcam*, quæ antiquitate cœteras longe post se relinquat, atque adeo a Textu *Hebraico* differat, ut non obscure liqueat multa alio modo extitisse in eo, quo usi sunt illi Authores, codice, quam hodierno, nihil ea nos plane movere possunt, nisi hæc tria nobis prius dent comprobata. 1. Istud apographum, quo usi sunt, accuratius fuisse iis, quæ postea a Judæis sunt conservata atque ab illis ad nos derivata. 2. Illos interpretes stricte ac præcise literam illius apographi esse secutos, atque nunquam ausos suam, quam cujusdam putabant loci, interponere sententiam, aut laxius aut diversis verbis expressisse, vel non habuisse quasdam verborum significationes, quæ nobis usu adeo non sunt cognitæ. 3. Versionis illorum exemplaria esse tam genuina ac incorrupta, uti ab eis sunt conscripta sine mixtura & alteratione. Quæ certe nunquam satis fuere probata, nec unquam a quoquam probari posse utique persuasum habeo.

Præterea nullum est dubium, si Christi tempora præcessisset hujusmodi corruptio textus, quin ejus rei aliqualem injecisset mentionem; Vero enim non absimile est, eum qui Judæos ob perversas interpretationes traditionumque glossemata toties reprehendit, non magis fuisse reprehensurum, si ipsum textum corrumpere ausi fuissent.

Quod si ejus tempora hanc alterationem vel corruptionem dixeris secutam esse, in id facinus ad unum omnes conspirasse malitiose Judæos, ut omnia etiam corrumperent exemplaria concedes, nisi conatus tuos vanos esse velis. Atqui jam constat, multos ex tot myriadibus fuisse conversos ad Christum, nec paucos inter eos extitisse, opinamur, similes *Apollo*, qui potens dicitur in S. literis (*Act. 18, 24.*) in quorum manibus genuina versabantur apographa, ex quibus facile vel minimam eorum adulterationem potuissent detegere. Unde ad alios Christianos redundasse eadem, haud sine ratione colligi potest ex eo, quod lingua *Hebraica* Veteris Testamenti libros inveniamus in Ecclesia inter eos lectos multis annis post Christum. Id enim apud *Syros* in usu fuisse, ex erudito aliquo ejus gentis *a* Viro discimus, qui in libro quodam *Arabice* exarato de diversis Christianæ Religionis capitibus, cum de ratione legendi Scripturam in Ecclesia verba facit, inquit كان في القديم تقرا الكتب العتيقة بالعبرية ومنع عن ذلك مار افريم i. e. *Antiquis temporibus Veteris Testamenti libri legebantur hebraica lingua, donec id S. Ephraim probiberet.* Quod nulla alia de causa factum esse patet, quam quod genuinum magis ac authenticum putarent Textum hebraicum, quam ullam ejus translationem in linguam genti peculiarem, non autem ex interpretationum ullo defectu, quod plus quam probabile esse exemplo comprobatum dabimus.

His

a) Al Tacriti c. 29.

His atque aliis rationibus expenſis, quibus etiam merito accenſenda ipſorum Judæorum, quæ omnibus eſt probe cognita, cura, quam in iis accurate deſcribendis ſemper tam religioſe adhibebant, ut permagni ſalutis ipſorum intereſſe id putarent, non video qua ſaltem rationis ſpecie in dubium vocari poſſet textus integritas. Quin imo doctus quidam *b*) vir ex eis, qui textus Hebraici corruptionem adſtruere conati ſunt, lubens id nobis concedit, eadem fuiſſe olim autographa hebraica tempore Chriſti & *Jonathanis* Paraphraſtis cum illis, quibus hodie utimur. Quid ergo de hac re ulterius ſumus ſolliciti? Etenim non poteſt non hujus notæ fuiſſe & codex, quem legendi cauſa pervolvebat Salvator noſter in Synagoga, atque per eundem Spiritum exponebat, a quo hæc antea erant dictata *Luc.* 4,16. 17. &c. & quod legimus, quo eum comprobat, reſponſum legisperito datum, cum interrogaret, quid faciendum eſſet, ut vitam poſſideret æternam; *Quomodo ſcriptum eſt in lege? Quomodo legis tu? Luc.* 10,26. & Scripturæ, quas Judæos jubet ſcrutari, in quibus videbantur vitam æternam habere, & quæ teſtabantur de eo, *Joh.* 5, 39. & lex quam dicit *non veniſſe ut diſſolveret, ſed impleret, & ex qua, usque dum præterierit cœlum & terra, ne unum jota aut apicem eſſe periturum, donec omnia facta fuerint, Matt.* 5,17.18. quamque toties citat & ad eam Judæos ablegat, cujusque impletionem rerum geſtarum ac paſſionum ſuarum conſtituebat regulam. Plus igitur haud immerito

rito

b) Lud. Capel. in Crit. defenſ. p. 572.

rito ejus unius de integritate Textus tunc temporis testimonium, quo sine contestatione codicum eum approbat, valere debet, quam hominum ex diversa hujus vel illius interpretationis lectione, quod nectitur, dubium. Quomodocunque autem hæc argumenta ab iis eludi possint, qui contentiosi esse volunt; hujus tamen ponderis esse ea nemo non videt, ut evincant neque ante, neque post Christi adventum codices Hebræos esse corruptos, regulamque idcirco nostram esse oportere indubiam.

Idem, quem jam citavimus, *c)* Author, versiones censet examinandas esse ad textum Originalem, si ullum ejus apographum sit incorruptum, non hoc ad illas. Atque hinc est, cum ejus characteris illos esse codices, quos habemus, nulli dubitemus, quod id facere nos aggressi sumus, ad eam saltem versionem, quam sequimur, (idque merito, cum tam accurate cum Originali concordet, ut præ cæteris eligi digna sit, quamvis nostra non esset, aut authoritate inter nos publica stabilita) vel tuendam vel ejus rationem reddendam, quod fieri equidem non potuit, quin cum aliis etiam comparetur, omnesque ad textum originalem referantur tanquam ad lapidem lydium, quo prædicato hactenus fuit insignitus atque insignitur adhuc dum, quia tali divino charactere gaudet, qui contra quoscunque contra nitentes jus suum atque authoritatem tuebitur.

Hunc in finem haud semel necessitate coacti sumus in significationem vocum ejus linguæ inquirere, sensusque

c) Id. p. 625.

que diversos, quos ferre possunt, eruere, ut probe liqueret, quænam earum a diversis interpretibus suggestarum & loco, ubi occurrit, & constructioni, in qua usurpatur, optime conveniat. Etenim sola earum diversa acceptio caussa est tantæ inter interpretes discrepantiæ, cujus ratio reddi non potest. Nec est quod interdum conciliari inter se posse credas, aut omnes discrepantes interpretationes ex uno eodemque fonte, aut saltem ex una eademque lectione prodire tibi persuadeas. Quinimo rite attendenti contrarium patebit, quod ex lectionum varietate non oriantur, sed ex diversis alicujus vocis significationibus, quarum alii hanc, alii aliam pro diverso suo judicio elegerunt, certo interim persuasi in eo se sequi textum originalem, nec suam interpretationem inconvenientiæ ullius argui posse. Qua ratione quædam in Novo Testamento loca ex Veteri citata, quæ nonnihil differentiæ videntur præ se ferre juxta vulgares interpretationes, nihil plane differre in aprico est, si ad aliam respicias significationem, quam vox varians æque admittit ac eam, quam recentiores ei tribuunt, eorumque sequaces nullam ejus aliam esse sibi constanter persuadent. E. G. *Hebr.* 8, 9. *Et ego sprevi eos ait Dominus,* qui locus apud *Jerem.* 31, 32. juxta nostrat. aliorumque translationes ita habet: *quamvis essem conjugio junctus eis, ait Dominus.* Hanc diversitatem quis putaret prodire ex eadem Textus Hebraici lectione? attamen si cuipiam in vocem hebraic. בעלתי *baalti* scrutari volupe fuerit, is reperiet utraque eam significatione gaudere, & *conjugio jungi* & *spernere, contemnere, nulloque*

loco habere. Idem fit, ut alia exempla non adducam, in tritissimo illo Prophetiæ loco apud *Mich.* 5, 2. qui citatur hunc in modum *Matt.* 11, 6. *Tu Bethlehem Ephrata non es minima inter Principes Judæ,* ubi non eadem cum Evangelista legisse videtur Propheta ita hodie reddita, *At tu Bethlehem minima ut sis inter mille Judæ,* donec sedula inquisitione adhibita, invenerimus, vocem צעיר *Tsair*, a Propheta usurpatam pariter significare *magnum* & *excelsum, ac parvum* esse. Atque tum non nisi interpretum culpa hanc oriri differentiam constat, quibusdam hac, aliis alia significatione vocem accipientibus, eumque locum eodem modo in Veteri Testamento reddi debere, ac est in Novo. Quare non statim damnanda est ea interpretatio, eo quod ab alia differt, sed utraque est examinanda ad Textum Originalem; cui cum utraque videris congruentem, neque tum alterutra statim rejicienda, sed rite expendendum, quænam loco subjecto quam maxime sit conveniens, quod utique interdum adeo anceps est ac dubium, ut & viris acerrimo judicio præstantibus aqua hæreat, neque in alterutram partem quicquam temere determinare audeant.

Cujus rei cum rationem habuerunt interpretes nostri, summa, uti videmus, modestia & ingenuitate ad marginem rejecerunt diversas lectiones & interpretationes Bibliorum nostrorum, ubi dubitabant quas aliis præferrent, & in prudentis Lectoris arbitrium eligendique placitum injurii esse nolebant, cum non minus hæc quam illa (ut Judæi loqui amant tali in casu) *viventis Dei sint verba,*

utrin-

utrinque vera & verbis hebraicis ac analogiæ fidei pariter congruentia. Qua modeſtia, quicunque Scripturas S. explicare aggrediuntur, eos nihil prius nihilque antiquius habere oportet, quippe qua vix credibile eſt, quot præcidantur anſæ litigandi, quo non tantum veritas præpoſtere defenſa amittitur, ſed etiam ille, qui ad eam inveniendam omne ſtudium curamque convertit, nec ab ea fortean vel latum unguem aberrat, cenſura rigida veritatis habetur abnegator.

Quocirca ut vocis alicujus dubiæ vel difficilis unam vel plures invenirem ſignificationes, illamque cum primis, quæ loco ſubjecto ejusque ſcopo ac contextui apprime eſſet conveniens, omnia pro meæ facultate, adhibui adminicula, eaque non unius generis. Primo omnia ea loca inter ſe contuli, in quibus eandem vocem vel phraſin in S. literis extare memineram. Secundo nullum in præcipuis interpretum maxime celebrium translationibus evolvendis ſubterfugi laborem. Tertio in conſilium adhibui non tantum eos libros, qui nobis ſingulorum duntaxat vocabulorum recludunt ſignificationes, ut ſunt *Dictionaria* &c. verum etiam, qui ad ſenſum eorum, quatenus cum aliis ſunt conjuncta, nos intromittunt, uti Commentatores & Expoſitores. Quod ad tralationes attinet, quas hic præcipue luſtrare libuit, illæ ſunt vel antiquæ, vel recentiores. Ex antiquiſſimis ſunt (quæ plerumque *τῶν* LXX. vocatur) & latina (quam communiter nuncupant Vulgatam) & Syriaca & Arabica. Nec incognitæ ſunt a multis annis in hac occidentali Mundi plaga, Græca & la-

tina,quin imo a quamplurimis tam accurate earum pertexta est ratio & series, ut supervacaneum fore arbitremur amplius quid addere velle. Alia vero est ratio Syriacæ & Arabicæ,quæ uti perquam familiares fuerunt tantum in orientalibus istis oris; ita nullam earum unquam notitiam habuerunt nostrat. donec ultima excellentissima excusa sint Biblia *Parisiensia* & *Londinensia* Polyglotta. Quare ab instituto nostro haud alienum remur, ut earum originem ac Historiam, quam poterit fieri, brevissime his prætexamus. Manifesta res est, Syros olim habuisse translationem S. Scripturæ propria lingua, eamque, si quæ illis ipsis fides habenda, antiquitate contendere cum Græca. Verum enim vero, ut rem paulo enucleatius demus, observandum est,eos habere duas translationes, quarum altera concinnata est ex Hebræo, altera ex Græco. Habemus referente *Gregorio Abul Pharajio* (cujus historia impressa est *Oxoniæ* Arabice & Latine) Græcam versionem opera τῶν LXXII. tempore *Ptolomei Philadelphi* factam, receptam quidem fuisse & Græcis & plurimis Christianorum sectis;minime vero gentium Syris,iisque potissimum, qui magis ad orientem habitabant. Eos enim perhibet habuisse versionem quandam,quam vocabant simplicem sive planam, quia interpretes in ea non studebant verborum phaleris, sed quæ conspirabat cum codicibus Judæorum. Qui vero magis habitabant ad occidentem, eos ait duas habuisse versiones, aliam simplicem, quæ ex Hebræo in Syriacam linguam erat translata post Christi adventum tempore *Addæi* (vel *Thaddæi*) Apostoli; vel ut a-

liis

liis placet, tempore *Salomonis Davidis* Filii, & *Hierami*: aliamque multo concinniorem, quæ ex Græca τῶν LXX. erat facta longo poſt incarnationem Salvatoris noſtri intervallo. Porro ut mentem ejus probe teneamus, opinionemque harum gentium recte capiamus, attendendum velim, quod prolatum eſt a quodam *Soaded* Epiſcopo olim *Hadethenſi*, qui citatur a doctiſſimo *Sionita* in præfatione Editionis ejus Pſalmorum Syriace & Latine. Is enim dicit libros ſacros, ſcilicet *Deuteronomion, Joſuam, Judices, Ruth, Samuelem, Davidem* (ſive *Pſalmos*) *Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum & Jobum* translatos eſſe tempore *Salomonis* rogatu *Hierami* regis *Tyri* amici ejus. Cæteros vero tum Veteris, tum Novi Teſtamenti tempore *Abagaris* regis *Syriæ Thaddæi* aliorumque Apoſtolorum cura. Quandoquidem autem poſterioris ævi aliam habeamus, eam a *Thoma Heracleenſi* concinnatam eſſe haud injuria mihi perſuadeo. Id enim reperio in MS. quodam Syriaco (de quo nonnihil dictum eſt in præfatione poſterioris Epiſtolæ S. Petri Syriace, Græce & Latine impreſſæ *Lugduni* 1630.) ubi inter antiquam & recentiorem *Thomæ Heracleenſis* probe diſtinguitur. Pari ratione verſioni hiſtoriæ *Suſannæ* V.T. in codice quodam Syriaco MS. præfixum invenio, eam eſſe ܡܦܩܬܐ ܗܪܩܠܝܬܐ *ex verſione Heracleenſis*. Binæ enim ſunt hujus hiſtoriæ in eo codice verſiones, quarum tamen neutram antiquam eam eſſe ſimplicem putandum. Nec veroſimile eſt, ullum Apocryphorum librorum ſimplici eo ſtylo inveniri, quippe quibusdam eorum expreſſe præfigitur,

 tur,

tur, uti primo libro *Esdræ, eum conformatum esse ad versionem τῶν* LXXII, & sub finem ejus, *eum non reperiri in versione simplici,* quod idem repetitur ante *Tobiæ* librum. Quo autem tempore *Thomas Heracleensis* vixerit, nondum mihi ex quoquam certò scire contigit. Id tamen silentio nequaquam prætereundum est, quod inter sanctos eum repererim notatum in Calendario quodam Syriaco, cujus in memoriam cum aliis dies 26. *Hariran* vel *Junii* erat consecratus, unde haud improbabile est eum sequioris fuisse ævi. Quod etiam non parum confirmatur, si idem sit, quod equidem puto, cujus mentionem facit *Schultingius* in sua *Bibliotheca Ecclesiastica* tom.3.pag. 106. sub nomine *Thamæ Harchalani,* qui ejus memoriam ex catalogo Missalium ab *Ignatio* Patriarcha *Antioch.* factorum producit, ubi ex Græca in Chaldaicam (ita vocant Syriacam) transtulisse dicitur Missalia *Johannis* Evangelistæ & *Clementis*, quadringentis & septem circiter annis post Christum. Cum vero contendant Syri de antiquitate suæ interpretationis, de altera illa antiquiore id accipiendum esse patet. Quod autem de antiquitate cujusdam Syriacæ versionis dicant, quam nimis fortean videantur jactare, id idem habemus non tantum testimonio Patrum Græcorum, sed & omnium codicum τῶν LXXII. fide comprobatum. Quotcunque enim τῶν LXXII. editiones extant, sive juxta vetustissimum ex Bibliotheca Regis exemplar, sive juxta alia quæcunque, solis Complutensibus exceptis, expressæ, ad unum omnes sub finem libri *Jobi* habent hæc verba, ὗτος ἑρμενεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς

ϱιακῆς Βίϐλȣ, &c. *Hic translatus est ex quodam sive (illo, Syriaco libro* i.e. Bibliis; ex alio enim libro constat illos non petiisse verba Textus authentica. Quod indicio est haud indubio, librum quendam Syriacum (vel versionem) fuisse Syriacum longe antiquiorem quovis Græcorum. Et quamvis in aliis non parum discrepent inter se codices ab antiquioribus illis, quibus id erat adscriptum, descripti, in eo tamen omnes insigniter concordant. Quare ne antiquam valde censeamus versionem Syriacam, vix a nobis impetrare possumus. Atque id ipsum est quod jam affirmamus, quodque simul argumenti loco esse potest, fuisse ante tempora *S. Ephraimi* (quod supra innuebamus) talem versionem, qua potuissent uti, nisi textum hebraicum magis censuissent authenticum tantique habuissent, ut non nisi eum solum in publicum Ecclesiarum suarum adhibuissent usum. Quod si autem tunc temporis nullam velimus extitisse versionem privatos fuisse eos omnino usu S. literarum V. Testamenti, si textus hebraici usus illis etiam interdictus fuisset, manifestum est; quod equidem ita accipiendum non est, quippe ejus mens alia nostra opinione non fuit, quam ut illi legerentur vulgari lingua, qua in eos etiam scripsisse perhibetur Commentarios.

Hæc in rem nostram quamvis sufficere videantur, ulterius tamen, postquam in hanc materiam delapsi sumus, in eandem inquirere abs re esse non arbitramur etiam atque etiam rogantes, ut transeant Lectores ea, quæ fortean minoris videbuntur ponderis.

Qui-

Quicunque ultimum inſpexerit caput *Jobi* in Textu Hebraico, iisque in Verſionibus, quæ ad illum ſunt concinnatæ, deprehendet eum finiri verſu 17. in hæc verba: *Ita mortuus eſt Jobus ſenex & ſatur dierum.* Secus vero habet in Græca, quæ vocatur *Septuagintaviralis.* Ibi enim additi ſunt quidam verſus, idque a tam longo temporis intervallo, ut Græci quidam Patres ſimili ratione in eas commentati ſint ac in Textum authenticum. *d*) *Olympiodorus* ſtatuit eos eſſe traditos ab ipſis Apoſtolis; & *Polychronius*, perinde eos haberi a Patribus. Primo additum eſt: *Scriptura eſt eum reſurrecturum cum illis quos Dominus excitabit.* Deinde ſequitur, quod diximus, *Is* (vel *hic vir*) *translatus eſt ex libro Syriaco, habitans* (vel *qui habitabat*) *in terra Auſitis* (vel *Uz*) *in finibus Idumeæ & Arabiæ: & ejus nomen erat Jobab*, cum aliis multis quæ ſpectant ad ejus uxorem & filium, uti & ad genealogiam ejus, e.g. quod eſſet ſatus poſteritate *Eſavi* atque ab *Abrahamo* quintus, & quod rerum potiretur in *Edom* poſt *Balac* &c. pari modo quæ pertinent ad amicos ejus, qui veniebant illum viſitatum. Quæ omnia in exemplari impreſſo juxta antiquiſſimum illud M.S. quod in Bibliotheca Regis ſervatur, rurſus excipit brevior de ipſius *Jobi* vita narratio, cui iterum id eſt præfixum, *Is translatus eſt ex libro Syriaco;* verum id idem in aliis codicibus non extat. Quod quem habeat uſum, ex ſequentibus dilucide patebit. Præterea res eſt teſtimonio non minus veterum quam recentiorum confirmata, *Aquilam* & *Symmachum*, quorum uterque

terque

d) Procœmio in Catenam Jobi Londini 1637.

terque ex Hebræa in Græcam linguam transtulit Vetus Testamentum, eodem modo finem imposuisse huic Libro atque Textum Hebræum; *Theodotionem* autem, qui idem fecit & circa 180. annum post Christum floruit, non secus eum finivisse ac LXX. cum additione ex versione Syriaca.

Hic vero contra illud, quod ex hisce de antiquitate Versionis Syriacæ elici potest argumentum, excipi posset id, quod Græcorum nonnulli dicunt, per Syriacam, quæ in his Additionibus *Jobi* nominatur, intelligi linguam Hebraicam, quo facit, quod a quodam anonymo Græco Autore (cujus verba mecum communicavit Reverendus ac Doctissimus Vir D. *Thomas Marschall*) asseritur, in M.S. quodam *Johanni Melalæ* præfixa, hanc fuisse opinionem *Origenis*. At cujus is Autor sit authoritatis nescio, vero saltem simile non est *Origenem* ita sensisse aut locutum esse. Eo enim in Commentario, qui sub ejus nomine circumfertur, expresse habetur, hunc librum initio scriptum Syriace, atque deinde in hebraicam linguam translatum & a Mose politum & perfectum. Quod si ita est, diversæ ipsi sine controversia habentur lingua Syriaca & Hebraica. Verum in dubium vocatur ejus libri authoritas, unde nullo suffulcimento nititur hæc opinio. Quod porro de ea re statuit *Origenes*, facile potest colligi ex ejus epistola ad *Africanum*, cujus pars præfixa est libro *Jobi* a Doctissimo *Patricio Junio*, juxta MS. in regia Bibliotheca edito, ubi expresse habet, ea verba, quæ post 17. versum capitis ulti-

mi ſequuntur in Græca verſione,non reperiri in Hebraico,atque ex eo nec in *Aquila*, ſed in τοῖς LXXII. & *Theodotione.* Quodſi ei perſuaſum fuiſſet per Syriacam, ex qua expreſſe dicitur verſio facta, intelligendam eſſe Hebraicam, equidem non dixiſſet in Hebraicis codicibus ea defuiſſe. Utcunque ſit, aliis nihilominus ſic viſum eſt. Ita enim *Nobilius* refert in variantibus ſuis lectionibus verſionis Græcæ, Græcum Scholiaſten dicere ſe dialectum Hebraicam vocare Syriacam, propter affinitatem, quæ illis intercedit, quod probare conatur. At quid de hoc Græco Scholiaſte referam, aliunde nihil habeo quam ab eo. Idem autem ab *Olympiodoro* in *Catena Jobi* expreſſe affirmatur, qui, poſtquam obſervavit *Aquilam* & *Symmachum* eodem modo claudere hunc librum ac Textum Hebræum, *Theodotionem* vero easdem habere additiones quas LXXII. ita mentem ſuam declarat, quod *hoc loco dialectum hebraicam vocet Syriacam;* quam poſtea confirmat his ficulneis & nil ad rem facientibus argumentis; *quia multum affinitatis habet Syriaca lingua cum Hebræa, utraque eodem literarum numero* (*ſcil.* 22.) *gaudente; & quia Judæa comprehenditur ſub nomine Syriæ.*

Quod quamvis ei aliisq;, qui has linguas forſitan ſuperficiarie & ſummis labris tantum attigere, tam ſerio ſit perſuaſum, nos tamen eo adduci non facile patiemur, ut hiſce quicquam moveamur. Præterquam enim quod hæc verba nullibi inveniantur in quodam Codice Hebræo, quod ipſe fatetur, atque ita ſuo ipſius gladio ſibi jugu-

jugulum petit, non est eadem omnium Patrum consensu recepta opinio, si eadem est Syriaca lingua cum Hebraica. Quidam enim eorum dilucide prædicant Hebraicam & Syriacam linguam inter se differre, nec confundendas esse alia pro alia accepta. Utramque citat & Syriacam & Hebræam, tanquam diversas lectiones in versum quendam 48. Psalm. juxta Græcorum divisionem, *S. Chrysostomus*, qui *Antiochiæ* in *Syria* vixit, & cui, quid Syriacæ linguæ nomine tunc veniret, non potuit non incognitum esse. Idem facit *Theodoretus* in Psal. 115. & *Jon.* 3, 4. ut jam prætercam *Origenem* supra citatum, aliaque non pauca testimonia, quarum quædam reperiuntur in Scholiaste Græco, & *Nobilii* in eum notis.

Quodsi alii, eodem *Nobilio* notante, dicant per Syriacam intelligi Chaldaicam, nihil dicunt. Idem enim est ac si dicerent, *per Syriacam intelligi Syriacam*, Hæ namque unius tantum linguæ sunt duæ dialecti, quamvis Chaldaica præcipue vocata sit, quam retinuerant Judæi reversi ex *Babylone*, ubi eam didicerant, propriæque linguæ multum perdiderant, quæ tamen maximam partem ad regulas Hebraicæ est conformata, uti cuivis cognitionem ejus rei majorem cupienti patebit ex erudita præfatione Grammaticæ Linguarum Orientalium *Ludovici de Dieu*. Quo tempore multi Syri se ipsi vocabant Chaldæos, suamque linguam Chaldaicam, quamque nos vocamus linguam Chaldaicam, Judæi nuncupabant ארמי *Arami* Syriacam. Quod cum illis lubens porrigamus, quid aliud

 inde

inde inferri poteſt, quam librum *Jobi* aut fuiſſe ſcriptum dialecto Chaldaica; aut quandam ejus libri fuiſſe tralationem, in qua tanquam verba authentica ſcripta erant hæ additiones, cujus authoritatem ſecuti ſunt LXX. in Græcam linguam eum transferentes. At neutrum horum a quoquam conceſſum iri puto. Nam præterquam quod Paraphraſtes Chaldæus, quem habemus, hujusmodi additiones non agnoſcit, ſine controverſia is multo recẽtior eſt temporibus *Ptolomæi Philadelphi*, nec ullo argumento probari poteſt, aliam hac dialecto tunc temporis extitiſſe verſionem, quæ periit, nec facile aliquis Chriſtianorum in eam ſententiam adducetur, licet quidam *e*) Judæi id nobis perſuadere conentur, Septuagintaque non ex genuino quodam Hebraico Codice, ſed ex ea ſuam verſionem concinnaſſe contendant, quæ certe tanta eſt, ut vix illis poſſit affricari macula. Nihil itaque huc usque promotum eſt, niſi per Syriacam velint intelligi hebraicam, & quis quæſo ita ſentiret? Septuaginta nequaquam, certum habeo; qui cum unanimi omnium conſenſu dicantur Judæi, *linguam* ſuam *ſanctam* (ſicuti omnes eam *κατ᾽ ἐξοχὴν* vocant atque ita ab aliis & quidem præcipue a * Syriaca diſtinguunt) eo usque non putandi ſunt profanaſſe, ut eam hoc nomine indigitarent, vel pro authenticis verbis habuiſſe ea, quæ in textu non inveniebant; quid! quod nec ipſe *Theodotion*,

e) R. Ararias. Vid. Buxt. de punct. antiquitate part. 1. c. p. 128. &c. & R. Gedaliah ab Hotting. citatus Phil. Sac. p. 205.

*) Corari l. 2. c. 68.

on, qui tanto temporis intervallo post eos vixit, hæc nomina, quamcunque etiam linguæ hebrææ notitiam habuerit, confuderit, nec ullus alius Græcorum priscorum, qui tanta literarum cognitione pollebat, ut versionem in se recipere potuisset.

At, uti jam notatum est antea, postquam redierant Judæi ex captivitate *Babylonica*, adeo erat illorum lingua chaldaica, vel Syriaca, mixta, ut pari ferme jure mereretur Syriacæ nomen ac Hebraicæ. Verum enim vero etiam tunc temporis vocata est potius Hebraica, quam Syriaca, ut ex Novo Testamento apparet. Quod vero ad propriam illam vetustam hebraicam attinet, de qua jam verba facimus, quivis facile videt, qui harum linguarum aliquem gustum habet, eam non ita appellari posse nisi certo quodam respectu. Quare qui per Syriacam intelligi cupiunt hebraicam, ii sunt quidam Græci aut harum linguarum omnino expertes, aut nimis invidi Syriacæ versionis laudi, qua antiquitate Græcam videretur vincere. Pari facilitate nobis suggerere possent, *Jacobum* locutum esse Syriace, quando eundem cumulum vocat *Galeed*, quem *Laban* appellabat *f*) *Jegar Sabadutha.* Quodsi autem illis largiamur, Græcos Syriaca innuisse linguam hebraicam, qua ratione nobis expedient, quare illud, quod juxta eorum sententiam olim constituebat hebraici Textus partem, atque idcirco etiam in græcam linguam translatum, hodie in omnibus hebraicæ linguæ codicibus omnino desit, atque olim etiam

 iam

f) Gen. 31, 47.

iam transmitteretur ab *Aquila* & *Symmacho*, qui totum textum authenticum græca lingua deſcribere adorti erant? In vado hærent, certo ſcio, nec ulla rationabili reſponſione ſe extricare poterunt. Nobis autem in ea re nil eſt negotii, qui per Syriacam nullam aliam intelligimus linguam, quam quæ proprie ita appellatur. Facilis enim eſt & expedita noſtra reſponſio quærentibus, unde in græcam verſionem ſe inſinuaverint hujusmodi additiones, quas Hebraicus ſermo non agnoſcit, ſed ex Syriaco libro fluxiſſe perhibent. Nimirum morem fuiſſe olim conſtat quibusdam Syris, talem, ut codicibus ſuis adderent vel inſererent notas vel Scholia, cujus ſpecimina quædam cognita exhibentur collecta a varia eruditione inſtructo Viro M. *Thorndikio* in Bibliis Polyglottis, in variantibus Syriacæ verſionis lectionibus. Ex quo factum eſt, ut quidam explicationis cauſa libro *Jobi* alicubi eorum, quæ vel ex traditione, vel ex quodam ejus temporis hiſtorico de perſona *Jobi* acceperat, adjecerit ſummaria, quorum non abſimile quid, quamvis non ſit idem, præfixum invenimus illis duobus ejusdem linguæ codicibus, quibus uſi ſunt in excudendis Bibliis Polyglottis, quorum alterum ab altero nil quicquam differt, aliudque alio brevius eſt, ut inſpicienti varias ejus verſionis lectiones in prædictis Bibliis luculenter patebit. Quæ cum invenerint olim in quibusdam Syriacis Exemplaribus librarii verſionem τῶν LXX. & *Theodotionis* deſcribentes (ipſos enim Authores id feciſſe, non dixerim facile, priores inprimis, ſi fuerint vere

illi

illi Septuaginta, quorum plerumque hæc verſio præfert nomen) digna habuerunt quæ & in linguam græcam transferrent, & ſuis apographis ſuffigerent. (Ita tamen, ut, cum diverſa hujusmodi in diverſis codicibus occurrerent ſummaria, & illorum haberent rationem, ut id ex codice vetuſtiſſimo M. S. in Bibliotheca Regis apparet, veluti notavimus.) Quod idem deinde ſecuti ſunt librarii, donec in genuini textus partem tandem temporis decurſu cooptata ſunt, quæ ante alium in finem erant addita, ſumma quidem imprudentia, cum ſatis clare viderent, appendicem, ut in Græca Editione *Francof.* bene notatum eſt, non *redolere ſtylum Canonis*. Quibus omnibus rite obſervatis illorum verborum ita fluit ſenſus: *Hic* (i. e. *Job*, ejus *perſona*, non *liber*, ut author Commentarii, qui *Origeni* inſcribitur, videtur ſentire) *translatus eſt*, i. e. ejus *vitæ ratio hic redditur in ſequentibus verbis ex Syriaco libro* (vel *Verſione.*) Ejusdem enim hæc exprimendi forma ſignificationis eſt, atque vox *ἑρμηνεύεσθαι* & *μεθερμηνεύεσθαι* &c. (*transferri*) in Novo Teſtamento & aliis Authoribus, & uſitatum eſt valde orientalibus eosque inter cum primis Arabibus, ut Genealogiæ, nominis & Hiſtoriæ alicujus traditionem vocent ترجمة

Tar-

Tarjamatobo, *ejus interpretationem*, quod non uno in loco apparet in celeberrimo Authore vitarum *Ebn Chalican*, & aliis. Nec ratione vacat in Syriaco libro ſcriptum fuiſſe ܗܘ ܡܬܬܪܓܡ *Hu Methtargam*, *Is ita eſt translatus*, i. e. *ejus vitæ ratio ita eſt tradita.*

Hæc conjectura ex eo abunde confirmatur, quod apud prædictum *Polychronium* ſcriptum legimus, qui ingenue fatetur, has additiones in *Jobum* ab aliis eſſe rejectas, quamvis a non paucis reciperentur in textum, eorumque opinio ſibi ipſi arrideret ob Patrum authoritatem. Rejiciunt, inquit, Genealogiam ſuffixam, quia „ non eſt in Hebræo, & liber in hæc verba deſinit. Et „ Job moriebatur ſenex & ſatur dierum, dicuntque no„ minis ſimilitudinem in Genealogia *Eſavi*, quæ eſt in „ Geneſi, ubi cujusdam *Jobabi* mentio fit, dediſſe occa„ ſionem errandi quibusdam, ut hoc Scholion vel notam „ apponerent, quodque initio margini erat adſcriptum, „ aut alibi notatum, poſtea temporis tractu ab aliis aſci„ tum in verba Textus.

Quomodocunque autem hæc ſe habeant, id ſaltem in aprico eſt ex eis, quæ hactenus ſunt dicta atque ultimo pro cauſa noſtra allata, Syriacam Verſionem eſſe perquam antiquam. Priſcum enim ſit neceſſe eſt, quod in vetuſtiſſimis exemplaribus extat τῶν LXX. & *Theodotionis*, quibus utebantur ac videbant Patres Græci, quodque tanti habebatur, ut rationem ejus haberent deſcribentes, tantæque authoritatis eſſet, ut non minus fere cenſerent authenticum quam Textum ipſum. Equidem

dem non arbitror fore, qui hæc eludat dicendo, ſolum *Jobum* Syriace tunc eſſe translatum, non autem ſimul omnes alios Scripturæ libros. Id enim non tantum contrarium eſſet omnium Syriacorum Authorum aliorumque teſtimonio, quod non facile contemnendum eſt, verum & omni rationi.

Huc etiam facit, quod colligi poteſt ex fine Libri *Job* in Arabica verſione impreſſa, in qua ille verſus, quem Græci conſtituunt 18. *Scriptum eſt eum ſurrecturum &c.* non invenitur, neque id quod ſequitur, *Ille translatus eſt ex libro Syriaco*, cum cætera fere omnia, interjecta diſtinctionis nota, adſint & parum a Græcis verbis abeant. Nam cum in Græcis extet, eum fuiſſe quintum ab *Abrahamo*, Arabica eum dicit ſextum, ut alias in ipſa Arabica differentias tranſeam, quæ maximam partem ſunt factæ Latini Interpretis culpa, ut cuilibet id inſpicienti obvium erit. Exempli loco ſit, quod pro *Aſom*, quod loci proprium eſt, ſubſtituat *nomen*, quia eaſdem habet literas id nominis atque illud. Cum autem ad finem perveniat, adjicit, Authorem autographi illius, ex quo ſuam deſcribebat, dicere, hunc librum translatum eſſe ex Syriaco in Arabicum. Quod an de toto libro ſit intelligendum vel de additionibus tantum, dubium eſt, quod & de quibuſdam aliis dicendum, quæ, niſi hoc M. S. inſpecto ulterius determinari non poſſunt. Utcunque vero hæc ſint, ſat ſuperque inde conſtat, Syriacæ verſioni magnam olim fuiſſe authoritatem, venerationemque. Longe in ea digreſſus ſum, fateor, quod utique

factum non est, ut plus ei versioni tribuam, quam ex æquo & justo sibi postulat, sed ut eam vindicem suæ, quæ jure merito illi competit, antiquitati. Quare ut inde redeamus, telamque inchoatam pertexamus.

Sciendum est, inter veteres versiones etiam haberi Arabicam, priori multo recentiorem. Ea autem lingua variæ sunt versiones, quarum quædam sunt concinnatæ ex Hebræo, quædam ex Græco, quædam ex Syriaco, quædam, & ni fallor, ex Vulgata latina, sequiore ævo facta & *Romæ* impressa; id enim quodam ejus Ecclesiæ assecla referente habeo, quam dicebat illos moliri; contigit etiam mihi quædam ejus specimina videre; sed plane ignoro, num ad finem ea unquam sit perducta. At, quicquid de ea sit statutum vel factum, manifestum est, eam in censum nostrum non posse venire. Quæ instituto nostro inservire possunt, duæ sunt, quarum altera extat in Bibliis Polyglottis, quæ quo tempore, vel a quonam sit facta, incertum est. Quod ad *Prophetas minores*, in illis maxime ea congruit versioni Græcæ. Biblia enim tota non videntur unius contexturæ, quippe in quibusdam magis videtur accedere ad Hebræum (uti in *Pentateucho*) in aliis ad Syriacum, in aliis ad Græcum, sicuti perscrutanti id dilucide patebit. Altera est Manuscriptum quoddam, cujus usus mihi suppeditatus ex penu omnigena eruditione conspicui & amicitia intima mihi conjuncti Viri M. *Roberti Hugingtonii.* At neque in eo authoris nomen alicubi expressum invenio. Num

is

is ſit *R. Saadiah Haggaon* (Judæus, cujus fama inſignis eſt tum ex aliis operibus, tùm ex verſione, quam fecit librorum Vet. Teſtamenti ex Hebræa in Arabicam linguam) haud immerito dubito, quia, quam in eodem volumine reperio *Eſaiæ* prophetiæ verſionem, ab ea differt quam in alio codice invenio ejus nomen præferentem. Certum etiam eſt, alios fuiſſe Judæos præter illum, qui S. literas (vel quandam illarum partem) in eam linguam tranſtulere, quare, ſicubi a nobis extra hunc locum citaretur, ſciat benignus Lector, me id non poſitive affirmare, imo magis etiam propendere in partem negantem. Alicujus tamen vetuſtatis eam eſſe, non eſt denique quod diffitear, quippe Judæorum conſuetudo Arabice ſcribendi non recens eſt, ut in præfatione *Portæ Moſis* oſtenſum eſt. Quorſum porro referendus ſit *Jonathan*, qui in Prophetas Paraphraſin ſcripſit, inter interpretesne an Expoſitores, utique hæreo, quia, cum Paraphraſtæ utatur libertate, in id verius incumbit, ut verborum tradat ſenſum, quam eorum peculiarem ſignificationem, quod præciſi interpretis eſt, quamvis quilibet hujusmodi interpres non injuria poſſit haberi expoſitor ſive Commentator. Magnæ authoritatis eſt ejus paraphraſis inter Judæos, conſtansq; omnium opinio longe ante Chriſti tempora eam eſſe concinnatam, nec ſcio cur id ab aliquo in dubium vocari poſſit. Quod enim contra eam allegatur ex Paraphraſi Leonis, quæ ſub nomine *Jonathanis* circumfertur, & præter ſtyli differentiam, in multis aliis novitatē redolet, nullius momenti eſt, quippe quod uno omnes ore

confiteantur id opus ad *Jonathanem* nihil pertinere, multoque igitur minoris (si modo ullius) esse authoritatis cæteras Paraphrases in alios libros, quam *Onkelos* in legem, vel veri *Jonathanis* in Prophetas.

Operæ etiam pretium duximus alias, præter antiquas illas, consulere versiones recentiores, quales sunt *Pagnini*, *Tigurin.* *Munsteri*, *Castalionis*, *Junii* & *Tremellii* latinas, & *Diodat.* Italicam &c. quas interdum allegatas invenies. Quæ cum sæpe differant & inter se ipsæ, & a vetustioribus & a nostratibus, ansam nobis præbuere & verba hebraica examinandi, & in originem hujus diversitatis accuratius inquirendi, & quid Textus originalis ferat perscrutandi, ut inter eas rite nostrum interponeremus judicium, quod ardui interdum negotii est, necessitatemque nonnunquam imponit libero lectoris judicio quædam judicanda ac præferenda relinquendi, quæ pro diverso usu ac significatione vocis occurrentis, multiplicem, eumque bonum inveni parere sensum. Cum se occasio obtulerit Latinam vulgatam allegandi, id plerumq; feci ex *Duacensium* versione Anglicana, quia plus forsan habitura est authoritatis, quam mea propria. In communi nostra Anglicana velim Lectorem æque oculos habeat fixos in lectiones marginales, quam in ipsum Textum.

Jam quod attinet adminicula vocum hebraicarum inveniendi significata, citatas reperiet interdum, præter cognita ac usitata Dictionaria, *R. Davidis Kimchi Radices*, Lexicon Hebraicum ab eo compilatum, quæ voces expli-

explicat in S. literis uſitatas, undeque Lexicographi noſtri non pauca mutuati ſunt, ut & *Abu VValid*, ætate longe majorem eo, quem allegat ut plurimum nomine *Rabbi Jonah*, veluti *Aben Ezra* nomine *R. Marini*, cujus nomen pluribus eſt *Abu VValid Marun Ebn Jannabi Cordubenſis*, virum certe maſcule doctum ac tantæ inter eos authoritatis, ut *Grammaticorum Princeps* appelletur, qui de re Grammatica diverſos ſcripſit Tractatus, cujus ultimus fœtus fuit Radicum liber ſive Dictionarium, quo Hebraica exponit Arabice, qua lingua omnes ſuos libros exaravit. Non eſt quicquam, quod ſciam, ex ejus operibus ſubjectum prelo atque publici juris factum; qua igitur citantur, ex M.S. ejus cuncta petita ſunt. His accedit etiam aliud Dictionarium Authore *R. Tanchum* elaboratum, quod ſtudiis noſtris quoque inſervivit, licet non præcipue in eo exponantur voces Sacrarum literarum, ſed tantum quæ occurrunt in *Misnajoth* (ſive in textu *Talmud*) aliudque pervetuſtum Hebræo-Arabicum Gloſſarium. Quibus etiam addidimus capitula Concordantiarum Hebraicarum a *R. Nathan* compilata, quæ latina lingua ſunt deſcripta ab *Antonio Reuchlino*, ut & a doctiſſimo viro M. *Nicolao Fullero*, cujus verſio nunquam in lucem edita eſt, ſed in Bibliotheca *Bodlejana* propria ipſius manu exarata ſervatur. Hunc in cenſum venere etiam quædam Arabica Lexica, quæ in uſum noſtrum adhibere neceſſe fuit, ut quarundam hebraicarum vocum eliceremus ſignificationem ex comparatione ejusdem radicis cum ſimili in lingua Arabica.

Quod facere perquam neceſſarium duxi, quia ea lingua eſt admodum copioſa, ejusque uſus latius patet quam Hebraicæ, (unde Arabica originem duxit tantamque affinitatem cum ea habet, ut quidam *) Judæorum doctiſſimorum magis eam habeant ejus dialectum, quam ſeparatam ab ea linguam) eaque propter genuinas nobis non raro ſuppeditat diverſarum radicum ſignificationes, quas Hebræi perdiderunt, earumque vocum, quæ raro in Textu Originali occurrunt (alium enim librum pure hebraicum præter eum non habemus, cujus ambitus tam arctus eſt, ut omnia vocabula capere non poſſit,) ut perquam difficile foret, hoc adminiculo poſthabito, verum earum ſenſum invenire. Atque hinc eſt quod Rabinorum etiam doctiſſimi eas inde petant atque nos in vicinam eam linguam ablegent, qua ſignificatio interdum familiarior eſt, & ex uſu communi ſenſus ejus magis eluceſcit. Quod idem etiam dictum velim de lingua Syriaca & Chaldaica, quia & hæ una cum Hebraica ſint ממשפחה אחת *ejusdem familiæ*, ut mea faciam verba *Aben Ezræ*, excepto quod tam uſitatæ ac tritæ non ſint quam eſt prædicta Arabica.

Hiſce adminiculis ad ſingularum vocum ſignificationem eruendum, ex qua earum ſenſus quam maxime dependet rite adhibitis, officii mei deinceps eſſe putavi, ut expoſitores & commentatores, qui facere poterant ad earum cum aliis conjunctarum ſenſum eliciendum, aſſidue con-

*) Vid. Notas miſcell. ad Portam Moſis c. 1. p. 5.

conſulerem eosque inter non tantum Chriſtianos; verum & Judæos. Qui poſtremi etſi hebraicæ linguæ uſum eatenus perdiderint, ut illis non amplius vernacula ſit, ſed pari ſtudio ac induſtria eam acquirere debeant, qui ejus diſcendæ ſunt cupidi, ac cæteri; ii tamen, qui ad eruditionem quandam adſpirant, huic linguæ a teneris etiam annis tantam impendunt operam, ut ſupra vulgus non mediocriter aſſurgant, majoremque ſibi plerumque cognitionem ſenſus literalis in S. literis comparant, quam alii quicunque. Eo ſaltem tempore ita fecerunt, quo in vivis fuere illi, quibuscum nobis negotium hic intercedet. Ita ut maximo adjumento eorum commentaria habeantur habitaque ſint omni tempore ad ſenſum literalem rite eruendum, iis locis exceptis, quæ prophetias de Chriſto complectuntur, & ad Chriſtianam religionem tuendam adverſus eos adducuntur, in quibus cum traditionibus Patrum authoritate acceptis mordicus adhæreant, ac cum illis unanimiter contra Chriſtum conſpirent, ſecus certe non fieri poteſt, quin ea quam longiſſime a vero ſenſu detorqueant. Verum enim vero neque tum a nobis plane transmittuntur, quin potius eorum opiniones accurate ſcrutemur, ut, ſicubi ullum hujusmodi locum gloſſis ſuis perverterint, eum pro virili vindicemus atque ex eorum unguibus recuperemus, ne habeant quo ſibi de patrocinio S. literarum adverſus nos gratulentur. Atque non exigua certe hic fuit hujusmodi in locis mea induſtria, quam tam uberem non nunquam collocavi, ut, ne tædium lectoribus creare voluiſſe videar, valde timeam.

Quippe

Quippe eorum ſententias refellere non potui,quin eodem tempore etiam eorum cauſam producerem, argumentaque,quibus eam defendant,iis præberem.

In conſilium itaque cum primis adhibitus eſt *Rabbi Salomo Jarchi*, R. *Abraham Ezra*, R. *David Kimchi*, & *Iſaac Abarbinel*, (quem alii vocant, *Abrabaniel*,) quorum nomina tum ex libris eorum impreſſis,tum ex recenſione *Buxtorffii* aliorumque probe cognita ſunt. Quod ad eorum expoſitiones, haudquaquam gravatus ſum eas & fideliter & prolixe, ubi in rem noſtram id videbatur neceſſarium, adducere, ut, ſi ad veritatem inveniendam non ubique directe quicquam facere potuerint, ſaltem pateat, quomodo ab ea deflexerint, quo erroribus illorum detectis magis magisque incitaremur ad eam ſedulo quærendum ac ambabus, ut dicitur, ulnis amplectendũ. Reperiet præterea benignus lector quendam allegatum nomine R. *Tanchum Hieroſolymitanum*, qui minus hactenus innotuit, quia nihil unquam ex ejus ſcriptis eſt vulgatum, licet non minus ea digna ſint quæ edantur, quam quorumvis aliorum,quia in multis locis plus auxilii fert ad Textum intelligendum, quam ullus alius. Notas ſcripſit Arabica lingua in Totum Vetus Inſtrumentum (ipſo declarante,) quamvis eas mihi non contigerit videre niſi in quosdam libros, quippe tantum ea, quæ in Prophetas, *Eſaia* excepto, ſcripſit,in manibus meis verſantur. Quo tempore vixerit, me prorſus latet, id tantum apparet poſt *Moſen Maimonidem* ſcripſiſſe, quem ſæpe citat ac in plurimis ſequitur. Cui accenſere velim

Talkut,

Yalkut, quod libri nomen eſt, in quo variæ expoſitiones S. literarum Allegoricæ colliguntur. Cæteros vero vulgatos hebraicos libros ut in ſpecie recenſeam haud neceſſarium reor, quoniam eorum rationem quivis facile petere poteſt ex *Buxtorffii Bibliotheca Rabinica*, aliisque. Eadem ratio eſt Chriſtianorum, vel aliorum Græcorum, Latinorum &c. Authorum, quos ſtudio noſtro inſervire voluimus, omnibus illi æque noti ſunt, qui huic rei operam navant, nec poteſt quicquam alicui occultum eſſe eorum operum ac præfixi ſcopi, qui eos ipſos aut præfationes eorum inſpicere haud detrectant. Nil etiam omnino refert, quod non ſint omnes ejusdem profeſſionis. Omnis enim rei cardo in eo tantum vertitur, quantum poſſint conferre ad genuinum Textus ſenſum eruendum, non autem quibus peculiaribus opinionibus ſint dediti, quo tempore inprimis videndum non quis dicat, ſed quid dictum ſit, veritasque ſine ullo alicujus perſonæ aut authoritatis reſpectu amplectenda. Eo enim ipſo, quod in diverſa abeant commentantes, adduci debemus, ut textum accuratius ſcrutemur, & quid ferat, quidque eorum maxime congruat ei, quod omnium eſt præcipuum, omni cura circumſpiciamus. Nec eſt quod eorum varietatem valde mireris, modo in mentem revoces, quanta interdum ſit explicationis rerum planis etiam vocibus imo linguis vulgaribus phraſibusque noſtro tempore tritis expoſitarum diverſitas. Quanto igitur major erit, cum Originalis linguæ uſus, quæ hic in cenſum venit, tam longo abhinc tempore deſierit multæ-

que loquendi formæ, quæ tum temporis nil ambigui habebant quin imo etiam vulgo familiares erant, nobis videantur mera ænigmata, Historiæque ac consuetudines pleræq; illius temporis prorsus in oblivionem venerint? Imo quod magis est, cum etiam eo tempore quædam in Scriptis Propheticis viderentur abstrusa, ut apparet ex *Ezech.* 20, 49. *Domine, ipsi dicunt de me, nonne loquitur parabolas?* Adeo ut ad illa declaranda, quamvis adhibeamus omnia, quæ possumus, adjumenta, ea tamen sunt perquam exigua, ne dicam insufficientia. Præstat quidem alterum altero, nihil autem tam perfectum est, quod posterorum cura non possit reddi perfectius. Quare mirandum non est, alios post tot commentarios erudite exaratos, conaturos adhuc planiora quædam, clarioraque reddere suo labore, adminiculoque fortasse alio adhibito, quo præcedentium nemo antea usus est. Campus semper hic erit amplus, quamdiu terrarum orbis perstiterit, donec eum in locum pervenerimus, ubi eadem, quæ nunc eo usque perdita est lingua, omnibus, quorundam judicio, erit universalis.

Cæterum quod præsens hoc opus spectat, animus initio erat sensum verborum marginalibus quibusdam notulis reddere. At satius multo duximus animo iterum hæc revolventes, verborum prolixiorem tradere expositionem, qua res discutiantur atque in ambiguis locis interpretationum discrepantium rationes exponantur, ne in iis, quæ cæteroquin erant positive affirmanda, nimium viderer imperiosus. Ea enim absoluta, facile

brevio-

breviores (si ita ferret occasio, notas exinde confici, atque ad largiores in earum vindicationem Lectorem posse remitti mihi persuadebam. Religio præterea nobis fuit, quod cuiquam palam fiet, quibusdam in locis alteram alteri expositioni præferre, vel quicquam in aliquam partem decernere, rectius multo putantibus, id arbitrio lectoris judicandum relinquere atque quodvis eo accipiendum modo prout oportunitas sese obtulerit, cum quid magis videatur accedere verbis & analogiæ fidei, sensumque bonum constituat.

Conclusiones tandem ac consequentias ex verbis inferre serio me cohibui, ratus id ejus duntaxat esse, qui opinionis suæ habet fixum ac immobile fundamentum, quo sine corruant necesse est ædificiorum instar fundamento destitutorum. Quicquid vero fecerim, Lectoris erit judicare, a quo etiam magnopere peto, ut candide mihi impertire ne gravetur, si quando vel aberraverim, vel nimis concise quid tractaverim, vel supervacanea quædam adjecerim, quæ nullum usum habeant, quod in tanta diversorum Commentatorum varietate, quorum expositiones erant inspiciendæ, earumque ratio habenda, factum fuisse vix ac ne vix quidem dubitare possim. Denique si quid hoc meo opere, quantulumcunque etiam sit, ad gloriam Dei ac incrementum Ecclesiæ promovero, erit quod votorum meorum apicem me attigisse gaudeam, Deoque soli humillimas agam gratias, quod me huic rei obeundæ idoneum reddere voluerit.

Quod vero in specie ad *Joelem* pertinet, sufficiet vel tribus verbis Lectores admonuisse, ut ab hoc legendo non sinant se terreri *Hebraicæ* ac *Arabicæ* linguæ imperiti, quando hujusmodi authorum verba vel opiniones sua cujusque lingua viderint citari, quoniam non mediocris fuit, quam huic operi adhibuimus, cura, ut vernacula omnia rite exprimerentur, quæ ad rem atque nostrum consilium videbantur aliquatenus spectare. Qui vero harum linguarum sunt optime gnari, sciant velim, nos in citandis Arabicis interpretibus, Commentariis vel Lexicis non eandem ubique servasse rationem. Quædam enim eorum loca iisdem proferuntur characteribus, quibus lingua ea communiter ac proprie solet exarari; alia characteribus citantur hebraicis, quibus Judæi plerumq; utebantur, qui inter Arabes Mahometanos atq; illis in locis degebant, ubi lingua Arabica, quæ est omniũ orientaliũ eruditissima, & literatis & vulgo erat perqųam familiaris ac trita. Nec difficile est hujus rei divinare rationem, quam haud injuria dixeris fuisse, ne a Mahometanis suæ religionis hostibus juratis legerentur libri religionis mysteria tractantes; unde quoque factum, quod Syriacis Syri emittebant in vulgus literis ea, quæ ipsis erant concinnata Arabicis. Nec quicquam, opinor, hujus operæ pœnitebit lectorem, qui harum linguarum est peritus & Arabica hebraicis literis intelligere assuefit, quippe incredibilem sibi sic comparabit facultatem ac promptitudinem in eis scriptis legendis, quæ non pauca hacce ratione inveniuntur exarata.

Præcipuum vero, quod hic monendum reor, de ico-

iconographia est, vel schemate areæ templi ejusque partium diversarum, quod æri incidi ac hic inseri sedulo curavi. Commendavi illud cap. 2. v. 17. p. 118. quod in quodam inveni vetusto M.S. *Maimonidis*, quod ejus continebat Commentarium in *Misnajoth*, vel textum Judaici *Talmudis*, in tractatu qui inscribitur *Middoth*. Ex eo, quod haud sine gravi adductus causa censeo ejusdem cum ipso Autore ætatis, illud apponere placuit, quia horum nihil in exemplaribus impressis ac interpretationibus hebraicis mihi occurrit, præterquam quod in quadā editione prisca spatium pro eo sit relictum, ubi & loco cœterorum schematum non nisi charta pura, cum hac inscriptione: *Et hæc est* צורה *Tsurah* sive *figura*. De hoc autem schemate & Hebraice & Arabice dicitur, *esse eam generalem iconographicam, quam diversis in locis in Commentar. promiserat*; eamque *omnia ea comprehendere quorum antea fecerat mentionem*. Unde liquido constat tale schema fuisse in autographo Autoris, quo attentum lectorem ad majorem harum rerum notitiam ducere voluit. Simile schema extat etiam in alio quodam M.S. quod versatur in manibus honoratissimi amici mei D. *Hungintoni* & titulum gerit *Tad Chasaka* summamque doctrinæ *Talmudicæ* complectitur, quod tamen tam vetustum non arbitror quam illud prius. Huic inscripserat eruditus quidam Judæus, qui ejus possessor fuerat illud a se esse emendatum juxta autographum Autoris. Notandum tamen in impressis ejusdem libri exemplaribus id non reperiri. Quibus omnibus rite expensis id communicandi cum lecto-

 ribus

ribus tanquam ipſius proprium nullam viam duxi commodiorem quam ut ea ratione æri curarem incidi, qua ab eo erat concinnatum. Multa ſunt ejusdem rei alia ſchemata ab aliis Authoribus tradita, quæ cum hoc posſunt comparari, quod propter ſuam & antiquitatem & Authoris authoritatem non potuimus non exhibere. Duo equidem ſunt, haud diffiteor, hujus Autoris diverſa ſchemata, quorum alterum eſt in Commentario in *Misnajoth*, alterum in M.S. ejus *Yad*, verum prius eligere maluimus, quod alterum & antiquitate & elegantia longe poſt ſe videbatur relinquere. Et quamvis neutrum illorum exactitudine linearum cum menſura ſpatiorum diverſorum convenientium adæquet quædam recentiora, non multum tamen intereſt, quia menſura cujusvis ſpatii ſuo loco verbis adjecta eſt, ubi eas facilius lector curioſus cognoſcere poteſt quam ex lineis ipſis. Quæ verba in M.S. etſi ipſi ſchemati erant inſcripta, e regione tamen a nobis conſtitui neceſſe erat, quia ſpatium iconographiæ ea capere non poterat.

ADMONITIO AUCTORIS.

SPero equidem nullum eorum locorum, quæ a nobis ſunt citata atque verſione donata ex variis Auctoribus variaque lingua, aut falſo eſſe allegatum aut perperam redditum. Quod ſi tamen præter opinionem id contigiſſet, ejus ut me admoneat eruditus lector etiam atque etiam peto. Id quod hic ſubjiciendum putavi partim, quod ne hujusmodi errores alii obſervent aſſidui harum rerum ſcrutatores, timeam; partim, quod me magis cautum reddit,

reddit, quod hujus notæ errorem mihi objecerit vir eruditissimus *Jobus Ludolphus*, quem licet in alio opere notaverit, hic tamen ejus mentionem facere allubuit, cum alia mihi hactenus, ex quo ad cognitionem meam pervenit ejus correctio, non fuerit unquam commodior opportunitas. Res autem ita sese habet. In Historia *Arabica*, quæ mea versione donata sub titulo *Gregorii Abul-Pharajii Historia Dynastiarum* in lucem est edita de *Samaritanis* p. 116. arabice dicitur وهي مجسمة quod latine est redditum pag. 74. *suntq; iidem corporeitatis (in Deo) assertores.* Hic mendum latere ratus pro مجسمة *corporeitatis assertores*, legendum censet مخموسة *machmusato*, quod significat *quinquepartitum*, adeoque referendum ad التورية *alturato, legem*, cujus ante fit mentio, non autem ad *Samaritanos* dictos, ad quos hic hoc esset referendum, dicendum fuisse *Abulpharajio* وهم *Wahon & illi* numero plurali, non autem وهي *Wahi, & illa*, numero singulari ac fœminino genere. Quæ conjectura satis videtur expedita, nec sine præmeditato consilio mihi posthabita, utpote cui assentiri non poteram, quia duo optimæ notæ codices, quibus doctissimi quidam viri in eis mundi partibus, ubi exarati sunt, usi erant (saltem eorum unus, qui non mediocrem spirabat vetustatem) quosque consului conveniunt in مجسمة, unde si convertendum in مخموسة obvium est, literas debere & mutari & transponi & augeri, quod utique sine quadam auctoritate fieri non potest. Quod porro pro conjectura sua confirmanda adfert, quod nostra lectione retenta pronomen debeat esse هم illi non autem هي *illa*, nullius omnino momenti est, quia illud commode referri potest ad فرقة *secta*, quo etiam deducimur a præcedenti voce السابعة *septima.* Quod si autem huic rei ita insistere velit, scito, unum ex his codicibus habere هم illi, atque id connectere cum السمرة *Samaritani.* Ita ut novam hujus libri editionem adornantibus nequaquam auctor sim alicujus *in Arabico* immutationis. Quod autem ad versionem *latinam*, omitti vellem hæc verba *in Deo*, quæ Arabice non habentur, adeo ut sensus sit;

inter-

interpretantur res *corporaliter* i.e. divinas promiſſiones ac comminationes, non tribuunt quidem ſtricte Deo corpus, ſed interpretantur dicta ac promiſſa divina corporaliter atque eum in modum, ac ſi ad hanc vitam tantum ſpectarent. *Mareſtanius* & *Abulpheda* referunt quosdam e ſecta *Doſithcanorum* affirmaſſe, ان الثواب والعقاب في الدنيا præmia & pœnas divinas tantum ad hanc vitam pertinere, quamvis alii eorum ea etiam ad futura extenderint. Hujusmodi quid de iis inaudiviſſe vel fando *Abulpharagium* haud vero abſimile eſt. Alio enim modo ea, quæ expreſſi, legere prohibet duorum codicum diverſis temporibus & diverſis locis (ni fallor) exaratorum auctoritas.

Hiſce reſponſionis loco adjectis ſilentio prætereundum non eſt, quod alium Arabicum Hiſtoricum mecum poſtea communicavit omni cultus ac amoris genere mihi ſuſpiciendus *D. Bernhardus*, cujus poſſeſſor eſt Venerandus *D. Huntingtonnis.* Auctor quidem hujus libri in eo non eſt expreſſus, apparet tamen, illum opus ſuum compilaſſe ex noſtro *Gregorio* aliisque, qui hanc rem tractarunt, Arabicis Scriptoribus. Eadem autem verba in hoc codice extant de Samaritanis, quæ in noſtra editione ſunt exhibita, ſcilicet وهي مجسمة, unde conſtat hanc genuinam eſſe ejus lectionem, nullo autem modo per errorem poſitam pro مخموسة. Vale.

A. מזרח. Oriens. B. מערב. Occidens.
C. צפון. Septentrio. D. דרום. Meridies.

Prima Partitio.

1. עזרת הנשים. Atrium mulierum. 2. לשכת דיר העצים. Cella lignorum. 3. לשכת הנזירים. Cella Nasiræorum. 4. לשכת המצורעין. Cella leprosorum. 5. לשכת בית שמניה. Cella olei.

Secunda Partitio.

6. שער ניקנור. Porta Nicanoris. 7. לשכת פנחס המלביש. Conclave Pinchas vestiarii. 8. לשכת בית עושי חבתין. Camera pistorum placentarum. 9. לשכת הגזית. Conclave cæsi lapidis. 10. לשכת המלח. Conclave Salis. 11. עזרת ישראל. Atrium virorum seu Israelitarum. 12. לשכת העץ והיא לשכת פלהדרין. Conclave lignorum, seu camera προέδρων, ubi Sacerdotes de negotiis templi conferebant. 13. לשכת הגולה. Domus peregrinorum. 14. לשכת המדיחין. Camera balnei. 15. לשכת הפרוה. Conclave Pirvæ.

Tertia Partitio.

16. עזרת הכהנים. Atrium Sacerdotum.

Quarta Partitio.

17. מזבח. Altare. 18. כבש. Ascensus ad Altare. 19. טבעות. Locus annulorum, terræ impactorum, ut funibus per eos traductis victimas mactandas ad Terram traherent. 20. שלחנות Mensæ. 21. מקום הנכסין והוצא בית המטבחים. Conclave Sacerdotum, ubi victimæ mactabantur. 22. כיור. Labrum.

Partitio Quinta.

23. שער האולם. Porta, quæ in Porticum ducebat. 24. אולם. Porticus 25. שער בית המוקד. Porta foci. 26. בית המוקד. Conclave domus foci. 27. לשכת הטלאים. Camera agnellorum. 28. לשכת שבה יורדים לבית הטבילה. Locus, ex quo descendebant in balneum. 29. לשכת שבה גנזו אבני המזבח. Camera lapidum seu repositorum luderum diruti altaris. 30. לשכת עישי לחם הפנים. Cella pistorum panis propositionis. 31. עלית בית אבטינס. Conclave superius domus Aftines seu eorum, qui suffitum parabant aromaticum. 32. שער הגדול. Porta magna. 33. מזבח הזהב. Altare aureum. 34. היכל. Templum. 35. שלחן. Mensa. 36. המנורה. Lychnuchus. 37. שער המים. Porta aquarum. 38. שער הקרבן. Porta sacrificiorum. 39. שער הקרבן. Alia porta oblationis, priori opposita. 40. קדש הקדשים. Sanctum Sanctorum. 41. שער הדלק. porta lucida, ubi accedebantur candelæ. 42. שער הנצוץ Porta splendidissima.

מאה

a מאה ושלשים וחמש. Longitudo atrii mulierum habebat 135. cubitos.

b מאה ושלשים וחמש. Latitudo ejusdem, ut & totius ædificii S. templi 135. cubit.

c מאה ושמונים ושבע. Longitudo totius ſtructuræ ab atrio mulierum habebat 187. cubitos.

d אחת עשרה אמה. 11. Cubitos in longitudine.

e אחת עשרה אמה. 11. Cubitos in longitudine.

f שתים עשרה ומחצה. 12. $\frac{1}{2}$ Cubitos in latitudine.

g שלשים 30. Cubitos in latitudine.

h שלשים ושתים. 32. Cubitos in latitudine, & totidem in longitudine.

i שמונה 8. Cubitos in latitudine.

k עשרים וארבע 24. Cubitos in latitudine.

l שמונה אמות. 8. Cubitos in latitudine.

m שתים עשרה ומחצה 12. $\frac{1}{2}$ Cubitos in latitudine.

n שמונה 8. Cubitos in latitudine.

o עשרים ושתים 22. Cubitos in longitudine.

p עשרים ושתים. 22. Cubitos in longitudine.

q עשרים· ושתים. 22. Cubitos in longitudine.

r עשרים ושתים 22. Cubitos in longitudine.

ſ מאה אמות. 100. Cubitos in longitudine.

t מאה אמות. 100. Cubitos in longitudine.

u אחת עשרה. 11. Cubitos in longitudine.

Index aliquarum vocum Hebraicarum quæ in Commentario explicatæ ſunt.

COMMENTARIUS
in
PROPHETIAM JOELIS.
CAP. I.

Verſ. 1. *Verbum Domini, quod venit ad Joëlem, filium Pethuelis.*

Quod ſe omnium primo quaſi ſua ſponte hic offert inquirendum, eo ſcilicet tendit, quisnam Joel Paterque ejus fuerit, ubinam vixerit, quoque ſeculo demum ſuam prophetiam protulerit. Attamen cum nulla horum mentio in ſacris literis neque hic neque alibi facta ſit expreſſe, unde ea certo cognoſci poſſent, manifeſtum eſt, quæcunque ab interpretibus recentioribus de iis ſunt prolata, conjecturas eſſe, nec quicquam certi in ſeſe continere. Plures equidem *Joeles* (a quibus hic Propheta adjecto patris *Pethuelis* nomine diſtinguitur) Scripturæ lectio nobis ſuggerit: at Pethuelem, excepto hoc Joelis loco, reperias nusquam. Hinc Judæorum nonnulli (innixi, ut puto, incertæ ſuæ regulæ, quod ubique una cum propheta nominetur ejus pater, hic non vir tantum bonus, ſed & propheta fuerit,) Pethuelem *Samuelemque* pro uno eodemque habuere. Habet ſane *a) Samuel* filium qui vocabatur *Joel;* at uti neque tempus, quo hic vixit, admittere videtur, ut cum Noſtro eundem eſſe opineris; ita nec id, quod de Joele Samuelide memoriæ proditum novimus, vero eſſe ſinit ſimile, prophetam fuiſſe hunc hominem peſſimæ vitæ & morum inſimulatum *b):* quin nec ulla præterea poſſit dari ratio, cur *Pethuel* iſte *Samuel* eſſe exiſtimetur. Illa enim quam affert *Rabbi Salomon* ratio nullius momenti eſſe videtur, nempe quod ſic appellatus ſit, quia פתה לאל בתפלתו *perſuadebat vel flectebat Deum precibus ſuis.* Nam ea ratione quilibet Propheta, vel alius vir probus non minus atque *Samuel* ſic nominari

A poſ-

a) 1. Sam. 8, 2. *b)* ibid. v. 3.

poſſet. Cum itaque meliori auctoritate id ipſum firmari nequeat, e contrario nobis dicere licet פתואל אינו שמואל *Pethuel non eſt c) Samuel*, proinde nec *Joel* filius Samuelis, ſed alterius cujusdam. Quo tempore vixerit & prophetaverit, (cum Sacra Scriptura prorſus hac de re ſileat.) æque incertum eſt, neque ſine ratione *Aben-Ezra* ait: אין דרך לדעת דורו ולפי הפשט איננו בן שמואל *nullam viam eſſe ad cognoſcendum ejus ætatem & absque figura loquendo*, eum *non fuiſſe filium Samuelis*. Quin imo nequaquam probabile eſt, tam antiquum illum eſſe. *d)* סוף דבר לא ביאר הכתוב ואנחנו לא נדע יואל הנביא מאיזה שבט היה ובאיזה דור היה: hoc eſt, In ſumma: *Scriptura non declaravit, & nos non poſſumus cognoſcere de Propheta* Joele, *qua ex e) tribu fuerit, quove ſeculo vixerit*. Hinc tantopere a ſe invicem diſſentiunt interpretes circa tempus, quo prophetia hæc edita eſt. Taceo, quæ de ſententia *Rab. Salomonis* ſupra monui. Sunt, *f)* qui Joelem floruiſſe ferunt regnante Joramo filio *Ahabi*, cum ſeptem annis ingens in terra Iſrael fames *g)* eſſet, de qua hunc prophetam loqui opinantur. Alii faciunt eum coætaneum *Hoſeæ*, qui ante eum collocari ſolet, regulæ huic, quam *h)* incertiſſimam, quin plane falſam judico, innixi: *i) Quando tempus Prophetæ non exprimitur, reputandus eſt eodem tempore prophetaſſe, quo proximo loco eum præcedens prophetavit.* Alii cenſent edidiſſe prophetiam ſuam ſub *Manaſſe*, quæ eſt opinio quorundam Judæorum, quam ex *k)* Chronico aliquo hauſerunt, magnæ inter eos auctoritatis. *l)* Alii tempore *Joſiæ* regis *Judæ*, quodque dictum eſt ab ipſo (ut putant) de fame, ad eandem referunt, de qua loquitur *Jeremias 14, 1. 2.*

Qui exiſtimant, quod ſub recentioribus Regibus floruerit, exinde argumenti vim petunt, quod, cum nulla decem tribuum fiat mentio in hac prophetia, ſed duarum duntaxat, quibus omnia congruant, quæ ab eo prolata ſunt, conſequens ſit, non niſi decem tribubus in captivitatem abductis eum prophetaſſe. Satis igitur opinionum hæc varietas oſtendit, quam incerta ſit ejus rei ratio, cujus cum ſacræ literæ

---

c) Abarbanel. *d)* Abar. *e)* Epiphanius ex tribu Ruben fuiſſe adſerit, ſed qua ratione nitatur, non patet. *f)* Kimchi. *g)* 2. Reg. 8. 1. *h)* Tarnov. *i)* Hieron. in præf. in 12. Proph. *k)* Seder. Olam. *l)* Dancus.

ræ quoque nullum indicium faciant, evidenter patet, quam parum debeamus eſſe ſoliciti circa tales minutias. Suffecerit noſſe, *Joelem* fuiſſe *Pethuelis* filium, quo cognomine ab aliis diſtinguitur ejusdem nominis, eo tempore, quo vixit; ex iis fuiſſe, quem Deus idoneum & cenſuit & reddidit, ut munere legationis ad populum rite fungens ſuo nomine loqueretur, quod iis innuitur verbis aperte, *verbum* Domini eſſe, quod ad *Joelem* fuit, & in hac prophetia continetur, ſignificantibus. Atque hiſce auctoritatem verbo comparavit, quod ſcilicet ſit verbum *Domini*, non verbum *Joelis*. Quod cum indubiæ veritatis ſit, auctoritatemque in ſeſe habeat, factum eſt, ut in Canonem ſacrarum literarum receptum & inter eos libros relatum ſit, qui, quantumvis hujus vel illius ætatis homines, apud quos verba fuerant prolata, ſpecialius ſpectaverint, conſtans tamen ac firma debent eſſe regula cunctis generationibus futuri temporis, ut eas exemplo ſuo in voluntate Dei inſtruant, *m)* utilesque fiant ad doctrinam, redargutionem, correctionem, & diſciplinam in juſtitia. Quodque ejus verbum non illud tantum concernat ſeculum, ſed & futurum, aperte teſtatur S. Petrus, qui iſtud citat tanquam prædictionem eorum, quæ erant futura tempore Chriſti (Act. 2,17. &c.) id quod tam evidenter præſtat, ut Judæi ipſi non potuerint non illud confiteri. Confitetur certe *Kimchius*, Prophetam primo prophetare de locuſtis, quæ *venturæ eſſent ſuper terram* Iſraelis *propter peccata*, & *non multo poſt* eandem exponit prophetiam עתידה לימות המשיח *ut quæ eventum habitura ſit diebus Meſſiæ*, de quibus Petrus ibidem ait, *hoc eſt, quod dictum eſt à Propheta Joele*, quæ idcirco etiam ſuo loco reſervanda ſunt, ubi data ulteriori occaſione ſpeciatim in hæc inquiremus. Sufficiant inpræſentiarum, quæ præfationis loco adduximus: jam quid contineat hoc verbum Domini, quod fuit ad Joelem, ſuo ordine expoſituri ſumus.

2. Audite hoc, o Seniores, & auribus percipite omnes habitatores hujus terræ: an fuit hoc temporibus veſtris, aut etiam diebus majorum veſtrorum?

A 2 3. De

m) 2. Tim. 3,16.

3. De hoc filiis vestris narrate, & filii vestri filiis suis, & filii illorum generationi vestræ.

Propheta hic a Deo missus, & verba habens ori suo imposita, ut stupidos illos peccatores, ad quos ablegatus erat, eo perduceret, ut peccata sua agnoscerent, matureque ac serio resipiscerent, quo tristissima Dei averterent judicia, quæ suis istis peccatis (quibus adhuc inhærebant) in se provocaverant, initium facit a designatione magnitudinis & natura illorum judiciorum, ut cum ad ea rite attenderent, facilius perciperent, ea nequaquam ejus generis esse, qualia, ut se communiter res habent in mundo, contingebant hominibus. Quocirca necesse erat, ita stylum ac linguam informare, ut extraordinariam Dei manum ac virtutem in iis sentirent, atque palam fieret, quam atrociter & quam graviter iram divinam irritassent, quodque minime sibi possent persuadere, neque sperare, se ab ipsis jam liberos & immunes esse, antequam pacem iniissent pœnitentia seria cum eo, qui, sicuti solus ea immiserat, ita & solus ea avertere, & quæ damna inde illata erant, compensare posset. Quod magnitudinem ac gravitatem attinet, tantam fore eam describit, quantam nec ullus antea oculus, nec ulla unquā vel fando percepisset auris, quantamq; generationes secuturæ, quum ad ipsorum noticiam perventura esset non secus consideraturi essent, ac rem plane inauditam nulliq; antea ætati cognitā. Hæc comprehenduntur v. 2. & 3. ubi per interrogationē propriæ ipsorum menti omniumq; inter eos ordinum hominibus expendendum proponit, annon hujus rei veritatem ipsos oporteret confiteri. *Audite hoc, o Seniores, & auribus percipite omnes habitatores terræ.) Audite*, quæ dicturus sum, *o seniores.* Cognitione inprimis pollebant rerum, quas tum ex propria experientia, tum ex relatione aliorum gestas longo annorum retro spatio certo sciebant hincque tanto magis idonei erant ad judicandum de iis, quæ erant jam dicenda, annon hæc descriptio sit gravioris tristiorisque longè judicii, quam antea meminerint factum aut relatum esse; vos, inquit, una cum *omnibus habitatoribus terræ* (vel ut aliis placet, *totus terrarum orbis*, & uniuscujusque regionis) percipite auribus, scrutamini & considerate, an ullo prorsus tempore

pore vel loco tale quicquam videre vel audire ſive ipſismet vobis ſive majoribus veſtris contigerit; quod ſi minus, quid magis jam neceſſarium, quam operis hujus tam inſoliti inquirere cauſam, minimeque eam negligere, veluti rem, quæ ſæpe uſu venire ſolet, ſed qualis ætas præterita nec viderit & ſecutura vix viſura ſit. Excitatis hoc modo ad attentionem animis, progreditur ad deſcriptionem illius judicii, quod juxta quosdam jamjam dicit immiſſum, juxta alios tam certo futurum, ac ſi jamjam adeſſet.

4. *Quod reliquit eruca, comedit locuſta; & quod reliquit locuſta, comedit melolontha ac; quod reliquit melolontha, comedit bruchus.*

Quod reliquit eruca. Interpretes noſtri notant in margine, quod in hebræo ſit *reſiduum erucæ,* ut verba יתר הגזם אכל הארבה *jether hagazam acal haarbeh,* ad literam ſonant. Cur vero hac ratione iſta reddiderint, eam cauſam ſubeſſe reor, quod ambiguitatem evitare voluerint, cui literalis ſenſus videtur ſubjectus, nam id vellet, *quæ erucæ ſuperarant, a locuſtis ſunt comeſtæ.* Idem obſervatum eſt Rab. Tanchum יתר הגזם يريد بقوله ما بقاه من نبات الأرض لا بقيّة نفسه *Intelligit per* Yether hagazam *reliquum erucæ, quod reliquerunt ex plantis terræ, non reliquias ipſarum erucarum.* Et ſi tali modo reddatur, ut factum eſt in poſteriori noſtra translatione, multo eſt clarius quam in *Geneven ſi,* quæ habet, *quod reliquum eſt erucæ.* Inſectorum vel creaturarum noxiarum recenſentur hic ſpecies quatuor, quarum alia alii ſuccedit, & ubi poſteriori cedit, quod a priore relictum eſt, donec quæcunque fructuum terræ erant comeſtibilia, abſumta ſint omnia; & illæ quidem in medium producuntur velut executores gravium judiciorum, quæ Deus immiſſurus erat Judæis. Prima eſt גזם *Gazam,* quæ noſtris interpretibus eruca vocatur tum hoc in loco, tum *Amos 4, 9.* cujus *n)* denominatio deſcendit a גזז tondere, ſecare, evellere, & litera ם in fine addita; vel alias a גזם *Gazam,* quæ vox quamvis in ſacris literis non extet, eandem tamen ſignificationem in hebræo habere conjicimus,

 quam

n) Ab. Ezra. R. Tanch. Fuller. Cap. Concord.

quam habet apud Rabbinos. Pari modo & Arabicum جرز significationem eandem admittit, quod indicio est exinde ipsi nomen ortum שגיזז ארת התביאה quia detondet frumenta ut Kimchi habet. Secunda est ארבה *Arbeh*, quæ vox nostratibus eadem vocula hic reddita est, qua *Exod. 10, 4.* At aliis in locis jam *locusta*, jam *cicada* redditur. Videtur nomen suum traxisse a רבה *multum esse* vel *multiplicari*, quod hujus speciei magnæ sit copia. Occurrit hujus vocis radix & nomen *Jer. 46, 23.* רבו מארבה *rabbu mearbeh*, quod nostrates interpretantur, *plures sunt* (arbores) *quam locustæ*. Sic & *Jud. 6, 5.* occurrit cum alio quidem nomine conjunctum, at non alia significatione, כדי ארבה לרב *sicut locustæ præ multitudine*. Tertia est ילק *yelek*, quæ hic non secus ac *Jer. 51, 14.* per *volvocem* transfertur, at *Nah. 3, 15.* per *erucam*. Verum si usitatæ derivationi accurate attenderis, idem significare comperies ac *linctorem*, quippe ad radicem [illegible] lakak, *lingere*, eam reducendam esse, interpretum unanimis est [illegible]entia שהוא לוקק ולוחך ארת העשב *quia agit ac si o) herbæ lambendo essent absumtæ*, ut Kimchi loquitur, easque tali modo devorat. Quarta est חסיל *Chasil*, quam ubique per *volvocem* reddunt, cujus denominatio videtur designare *exesorem, consumtorem*, a verbo חסל *Chasal*, quod, (quamvis p) a nomine magis videatur deductum) significat *consumere*, eaque significatione nostratibus usitatum, *Deut. 28, 38.* יחסילנו הארבה *yachsilenu haarbeh, locusta illud absumet*. Græcis interpretibus reddita est hic ἐρυσίβη, & Vulgatæ q) *rubigo*, (quam Duacensis interpretatur *flamen*) alicubi tamen eandem Græci exprimunt nomine alicujus noxiæ creaturæ, ut βροῦχος, *bruchus, 2. Chron. 28.* & ἀκρὶς *locusta, Esa. 33, 4.* Quo in loco utroque Vulgata etiam habet vocem *bruchi*. Quantumvis igitur nulli refragemur, quin significationem eam vox admittat, quam ipsi tribuere r) quibusdam placuit, prætereaque non improprium valde sit rubigini, noxam inferre & viridantibus frumentis & aliis quibuscunque rebus; id tamen certo affirmare habeo, quod magis convenire huic loco videatur, si de vivente creatura accipiatur, quippe reliquæ tres priores ejus-

o) Ita & Aben Ezra. p) R. Tanch. q) Sic etiam Tigurini & Munsterus. r) Ribera. Pet. a Fig. Chr. a Castro.

ejusdem procul dubio ſunt ſpeciei,ſingulæque poſteriores comediſſe dicantur,quod a prioribus fuerat relictum, cui rationi quoque pondus accedit,cum proprie comediſſe eos ſtatuatur,eo nimirum modo, qui conveniens eſt creaturis vita præditis. Difficultas tamen non levis hinc urget *s)* quosdam ſingularis quoque eruditionis viros,ſi pro quadam animalium ſpecie ſumunt,quæ hic dicuntur comediſſe,quo ſcilicet nomine Latine proprie ſint efferendæ. Id quod in aliis linguis quoque locum habere putant, quum non minus ac latina vocibus ſint deſtitutæ,quibus probe ab invicem diſtingui queant. *Arabica* ſola diſtinctis ac propriis referta eſt vocibus,quibus absque ulla ambiguitate reddi poſſunt; at quomodo hic ea ſint applicanda, ut prophetæ mentem protinus exhauriant,hoc opus, hic labor. Quin imo difficulter,ne dicam, prorſus non ad cognitionem illarum perventuri ſumus,nec qua ſint forma,quæq; earum proprietates ſint, cognoſcemus,niſi quis regionem illam ingreſſus oculis eas perſpexerit,nomenque cujusvis auribus perceperit. Hinc factã,ut interpretum nonnulli in quibusdam illarum *t)* Hebraica nomina maluerint retinere quam interpretari. Quare ſufficiat nobis, ut cum *u)* Judæo quodam erudito dicamus هذه الاسما كلها قد تكون لاصناف من الجراد وقد تكون مترادفة عليه *Hæc nomina omnia continent certas locuſtarum ſpecies*, & ſunt Synonyma,vel diſtincta ejusdem creaturæ nomina, cujus diverſæ ſpecies eſſe ex eo apparet, quod dictum eſt in lege *Levit. 11, 22.* הארבה למינו Haarbeh lemino, *locuſtam ſecundum ſpeciem ſuam.* Quam hic invenimus poſitam vocem *Arbeh*, ac ſi unius ſpeciei nomen eſſet, eandem habemus ibi quaſi ſub ſe varias ſpecies comprehendentem, unde jure merito conjeceris, aliquando admodum generaliter, aliquando ſpecialiter nimis voculam hanc eſſe poſitam وقد يطلق الواحد منها علي الجميع مجازا *poſito unius ſpeciei nomine* (ut ille loquitur) *pro omnibus.* Quatuor autem harum hic diſtincte ſatis introducuntur, quæ appellationes,quas gerunt, a diverſa lædendi ratione obtinuiſſe videntur; quæ in eo tamen conveniunt,quod omnes damnum inferant,ac frumenta terræque

s) Ar. Montanus. Bochart. *t)* Pagn. Interlin. *u)* Rab. Tanchum.

que proventus exedant atque consumant. Recte itaque nostros fecisse interpretes arbitror, quod talia substituerint creaturarum nomina, quæ & notissima sunt & pariter nova, quamvis ratione admodum diversa, qua nimirum, quod reliquit altera, altera sibi vendicat, donec omnia prorsus absumta sunt ac devorata. Quandoquidem igitur satis jam patet, ejusmodi noxia animalcula innui hisce nominibus, quærendum venit, an quæ de ipsis dicta sunt, propriè etiam de ipsis sint intelligenda, & si hoc sit, *quidve damni inferant*, ut habent verba prophetæ; an potius de hostibus quibusdam sint exaudienda, qui cum illis comparentur, quarumque sub nomine & figura hujusmodi destructio ac desolatio proponatur, quam illæ faciunt sibi invicem succedentes, nihilque illæsum relinquentes. Quæstio hæc jam olim mota, tam magna opinionum super eandem diversitate, ut nec nunc quidem neque inter Judæos, neque inter Christianos Auctoribus conveniat. Mentionem quidem ejus rei facit S. Hieronymus, at fluctuare in hoc negotio valde videtur, magis tamen in eorum sententiam propenedns, qui id de hostibus, regionem Judæam invadentibus, interpretantur, quo sensu & Judæorum nonnullos ante se accepisse affirmat, (etsi minime constet, quosnam indigitaverit); ita ut prima vox respiciat *Assyrios, Babylonios* & *Chaldæos*; secunda *Medos* & *Persas*; tertia *Græcos, Alexandrum* & ejus successores, eosque inter imprimis *Antiochum Epiphanem*, quo regnante gesta sunt *Maccabæorum* bella: quarta *Romanos*. Qui populi omnes diversis temporibus Judæorum regionem invaserant, eamque desolatam utplurimum reddiderant. Attamen alios etiam fuisse Judæos affirmat, qui tempore Joelis tantam locustarum copiam invasisse terram Judæam statuerint, ut omnia implerent, neq; frumenta tantum devorarent, verum etiam vites arborumque cortices & ramos exederent. Verum enim vero qvum nulla hujus rei verisimilitudo sit, neq; in historia profana neq; in Sacra appareat ejus vel exile vestigium, quod sit tamen, cum regionem fames aliquando afflixit; mirum nobis videri non potest, quod in dubium hanc sententiam vocet, quin protinus rejiciendam esse arguit. Hinc demum ambiguis quantumvis verbis pedem figit, dum invasionem hostium, quos ante memoravimus, sub figura locu-
starum

ſtarum innui ait, & quia ex mente & intentione Prophetæ collegiſſe videtur, quod ſcilicet hoſtium improbitatem vel crudelitatem ſub figura *locuſtarum* ipſe velit depingere, *locuſtasque* ita deſcribere, ac ſi imaginem illarum gererent hoſtes, *ut cum locuſtas legeris, hoſtes cogites, cum hoſtes cogitaveris, redeas ad locuſtas.* Atque ita locus iſte dubie per ipſum exponitur. Pari ratione & *Cyrillum* de illis hoſtibus verba intellexiſſe patet, qui Judæos diverſis temporibus aggreſſi ſunt, quos inter poſtremi inprimis erant *Salmaneſſer, Nabuchadnezar, Antiochus* & *Romani*, qui tamen nihilominus ad verſ. 14. rurſus dicit, quod quæ dixerat, æque vera ſint, ſi vel maxime de *locuſtis* aliisque creaturis noxiis intelligerentur. *Theoderetus* aliquorum tropice ea intelligentium mentionem facit, quosdam de Regibus, videlicet Aſſyriæ, ut ſunt *Tiglath Pileſer, Salmaneſer, Senacherib* & *Nebuchadnezar*, cui etiam ſententiæ tanquam veræ adſtipulari non veretur, ſubjiciens tandem, καὶ τὰ κατὰ τὸ ῥητὸν νοούμενα τῷ ὄντως γεγενέσθαι, *quæ ſecundum literalem ſenſum intelliguntur, revera facta eſſe.* Aſt Rufinus planiſſime perſuaſus eſt, non tantum hæc de animalibus illis dictis ſecundum literam eſſe capienda, verum & eos refutandos, qui de hoſtibus Judæorum ſumenda eſſe arguunt. Atque exinde cuique liquere arbitror, quam variæ ſententiæ & Latinis & Græcis interpretibus ævi antiquioris hac de re fuerint. Sed minus obvium eſt, quinam ſint illi Doctores Hebræorum veteres, quorum mentionem injecit Hieronymus. Retinet plerumque, ut alibi ita & hic, Chaldæus literam, quæque hic extant voces, vocibus eis in ſua lingua reſpondentibus quam maxime reddit. Cum vero earundem, quamvis inverſo ordine, cap. 2, 25. ſit repetitio, alio modo viſum ſuit ipſi agere, quippe ſenſum earum, quem habere ſibi perſuadet, potius exprimit, quam literam, quando illarum in locum ſubſtituit עממיא אומיא ולישניא ומלכותא פורענין *Nationes, populi, linguæ, principes & regna.* Quod diverſitatem interpretationum illius temporis immane quantum confirmat. Idem inter recentiores Judæos poſt Hieronymi tempora obtinuit. *R. Sal. Aben-Ezra* & *David Kimchi*, celebriores ſuæ gentis interpretes, proprie hæc verba exponunt de *locuſtis* & hujusmodi noxiis vermibus, qui fructus terræ abſumebant,

eoque caufam præbebant ingentis famis, reique frumentariæ inopiæ, quæ regioni incubuit. *R. Tanchum* non tantum de *locuftis* creaturisque his fimilibus ea exponit verba, quæ hic extant, fed & quæ fequuntur verfu 6. *Gens enim afcendit fuper terram meam*; ita tamen ut confiteatur انه لا يبعد ان يكون جميع ما ذكره في هذه القصة من امر الجراد وافعاله مثل مجي الاعدا وكثرتهم واخرابهم البلاد ونهبهم لها *non abfurdum effe dicere, quæcunque memorantur de natura* locuftarum, earumque actionibus, parabolicam effe *expreffionem de invafione inimicorum, eorumque multitudine & devaftatione regionis ejusque corruptione.* Idque ex aliis loquendi modis, quæ fequuntur, conatur confirmare, præfertim ex illo terrore, quo afficiebantur intuitu harum *locuftarum*. Nec non ex eo, quod nulla liberatio fuperiore dicatur, nifi *in refiduis, quos Jehova vocaverit*, cap. 2,32. unde difficile eft creditu, tantam valuiffe *locuftarum* immiffionem: Eo quoque tendunt, quæ adjunguntur de fumenda vindicta de hoftibus, quando hic infit cap. 3.7. *Congregabo omnes gentes* &c. *Difceptabo cum eo pro populo meo & poffeffione mea* &c. Et *quid vobis mecum Tyre & Sidon* &c. *Feftinanter & velociffime reddam retributionem veftram in caput veftrum.* Et *quamvis*, inquit, *interpretes & expofitores tantum de locuftis fermonem hic effe autumant, quæ terram* Ifraelis *erant ingreffæ, magis tamen congruere videtur*, الاسعي *ut antea dixi.*

Ex quibus jam videre eft, eum non protinus abhorrere ab ea expofitione, quæ refpicit *hoftes*, illisque fimiles creaturas noxias, ut tamen usque adeo illam recipiat ut nonnifi nomina ab his animalibus mutuo effe fumpta ftatuat, quibus inimicos *Judæorum* juratos Propheta vult indigitare. Recentior his eft *Abarbanel*, fibique magis conftans in fua expofitione, quum in illam fententiam totus ruat, quod his verbis cæterisque aliis exprimendi formis לא אמרתי שלא ידבר הנביא על החרגול חלילה רחוק הוא ממני להאמין בזה כי אם על אויבי השם שהחריבו את עירו והגלו את עמו *Propheta non loquutur de locuftis*... *Abfit procul a me, ut id credam, fed quod loquatur de hoftibus DEI, qui deftruebant ejus civitatem, populumque fuum captivum abducebant.* Eos vero hoftes ftatuit quatuor regna fcilicet

licet

licet *Babyloniorum, Persarum, Græcorum* & *Romanorum*, cui expositioni adeo favere & congruere credit dicendi, quæ sequuntur, formulas, ut nequaquam induci possit ad credendum, de *locustis* atque hujusmodi noxiis vermiculis hic esse sermonem.

Quod si etiam volupe est *u)* recentiores Christianorum inspicere interpretamenta, credas velim, te eandem varietatem sententiarum offensurum. Quare nonnisi earundem rerum opus est repetitione, quas hactenus apposuimus. Quidam eorum præferunt opinionem, qui non secundum literam verba exponunt de *locustis* &c. sed de inimicis, qui eo nomine innuuntur, quorumque violentia Judæis ruina est illata. In eo tamen minus conveniunt, quinam per inimicos istos sint intelligendi. Alii proprie ea sumunt de animalculis, damnumque regioni illatum primario ac proprie illis tribuendum putant, quos inter doctissimus est *Bochartus*, qui se aperte sententiæ Abarbinelis Judæi, quam postremo recensuimus, opposuit, & per consequens omnibus aliis, qui huic in eo concinunt, quod non prædictæ bestiolæ, sed inimici terram invasuri inprimis respiciantur *w)* Alii utrumque fuisse designatum contendunt, alteros aliorum extitisse præcursores. Hinc præcessisse *locustas* inimicorumque invasionem portendisse *x)* aliis observatum est. Verum enim vero ne nos intermisceamus ulterius hisce controversiis, eam putamus viam ad id extricandum esse planam maxime & securam, quæ est simplicissima. Huic autem institisse nos, nemo inficias ire poterit, si inhæreamus verbis, prout sonant, quippe tum deniq; fas esse cuique patet pro lubitu suo huic vel illi rei ea applicare. Quod ad expressiones alias attinet, ex quibus nonnulli contrariam sententiã confirmant, cum suo ordine nobis sese offerent, earum quoque vim diligenter tunc expendere non oblivi scemur. At aliæ enascuntur quæstiones sensui literali insistentibus, quæ cum multum lucis rite explicatæ adfulguræ sint historiæ, operæ pretium omnino judicamus eas exacte resolvere. Exempli causa, primum, quomodo quæ hic dicuntur de noxiis animalculis eorumque damno illato, *an fuit hoc temporibus vestris, aut etiam temporibus majorum vestrorum?* cum iis possint conciliari,

 quæ

u) Oecolampadius. Ribera. C. Castro. Grot. *w)* Pet. a Fig. *x)* Vid. Merc. Tarnov.

quæ dicuntur de locuſtis, quas immiſit Deus terræ Ægyptiorum *Exod.* 10, 14. quod *fuerint valde graves, ante quas non fuiſſent ſic locuſtæ pares iſtis, & poſt quas non eſſent futuræ ſic?* Alii aliter hunc nodum conantur ſolvere. Sunt, qui rem optime expediri ſtatuunt, dicendo *Primo y)* de magnitudine locuſtarum ibi, de multitudine hic ſermonem eſſe, veritatemque utrique loco conſtare, quod nec unquam viſæ eſſent tam magnæ, quam ibi, nec tam multæ, quam hic. *Secundo* in *Ægypto z)* unius generis tantam fuiſſe multitudinem, quanta unquam fuerat nec unquam futura erat; hic vero multitudinem variorum generum, quorum nuſpiam fuerat vel hic vel alibi tam numeroſa turba. Ad hæc vero objici poteſt, quod quamvis in lege non niſi *locuſtarum* mentio facta ſit, id tamen minime impedire quo minus & alia genera earum eo nomine indicentur, ut conſtat ex Autore Pſalmi 78, 46. qui ad hanc hiſtoriam reſpexiſſe putandus eſt, quando dicit: *Et dedit brucho* proventum eorum, ac laborem eorum *locuſtæ*. Et *Pſalm.* 105, 34. quod ſimul *locuſtæ* & *melolonthæ* advenerint eæque *innumeræ*. Quam objectionem tamen ex eo ſolvere conatur Kimchi, quod locuſtæ ſolum præcipuæ fuerint earum, de quibus in lege relatum eſt. *Tertio* in Exodo omnium locuſtarum immiſſionem non niſi *a)* unius diei vel paucorum dierum fuiſſe; hic vero ſucceſſivam innui irreptionem, & unius quidem generis poſt alterum. Quod tamen num eo pacto factum ſit, ulteriori probatione ac indagine indiget. *Quarto,* clarior reſponſio eſſe videtur, ſi dicamus, ad Ægyptum tantum reſpicere, quod in Exodo contigiſſe legimus; e contrario vero Judæam, quod hic memoratur, unde utrumque veritati congruere, ratione ſcilicet loci, quo contigit. Sed adverſus hæc excipit *Abarbanel,* quod החלטי כללי *abſolute & univerſaliter* dictum ſit, quod in Exodo legimus de qualitate & quantitate harum locuſtarum, nulloque modo reſtringendum ad regionem *Ægyptiorum,* ſicut quod paulo ante extat de *grandine* Exod. 9, 18. de qua expreſſe dicitur, quod ſit futura tanta, cui par nec extitura ſit, nec in regione Ægypti unquam talis extiterit, qualis v. 24. fuiſſe narratur. Idque ipſum eum etiam videtur movere, ut de inimicis hæc verba potius intel-

y) Daneus. z) Vid. Sal. Jarchi & Kimchi cap. 2. a) Kimchi.

intelligere cupiat, quam proprie de *locustis*, quippe minus tunc hos duos locos sibi invicem contrariari persuasum habet. At nonne liceret conjicere, eandem restrictionem grandinis ad Ægyptum locum quoque habere in cæteris plagis, si locustæ ad eam regionem restringendæ sint, & quod erant facturæ, peculiariter ad eandem pertinere intelligendum sit? Quicquid demum ad reconciliationem horum locorum, qui sibi invicem directe non sunt contrarii, affertur, manifestum est, quemlibet horum continere descriptionem insignis & inflictæ plagæ, ex qua certo scire poterant, Deum quam maxime esse offensum, serioque pœnitentia opus esse, de rebus iis, quibus ad iram provocatum esse, ignorare ipsimet prorsus non poterant.

Secundo quæritur, quo tempore id sit factum, quod a Propheta hic futurum prædicitur. Quemadmodum vero sacræ literæ omnino solent silentio involvere ætatem vel tempus, quo Propheta noster vixerit & prophetiam suam protulerit; sic quoque nullibi hujusmodi judicii vel famis extat memoria, quæ hic prædicitur. *b)* Quidam eam fuisse famem putant, de qua Elisha loquitur 2. Reg. 8,1. Quia autem ad septennium usque perdurasse in proclivi est, nec ejusdem temporis ratio constare potest, nisi annorum numerus utrinque par constituatur, eo suam sententiam tueri conantur, quod quatuor annorum famem ex quatuor noxiis animalibus, frumenta terræ exedentibus, traxisse originem, reliquam vero trium annorum ex defectu pluviæ, velint. At quoniam nil præterea est, unde vel certo vel probabiliter possit erui, Prophetam eo temporis spatio floruisse, quo Amos videlicet rerum potiente *Jehoramo*, nec eam septennii fuisse famem aut ullam aliam in Sacra Scriptura memoratam, aliis videtur satis comprobatum, quod nil certi de ea habeatur, & *Abarbanel* desumit inde argumentum, quod nequaquam ejusmodi sit intelligenda fames, quæ originem suam animalculis hisce voracibus debeat, sed potius invasionis vis, quæ ab inimicis truculentis his nominibus designata facta sit. *c)* Alii rursum nullius putant momenti illud argumentum, quod ex Scriptura nullam hujus rei alibi mentionem faciente deducitur, cum bene multa eaque valde insignia accidisse perhibean-

b) Rab. Salom. & David Kimchi. *c)* Pet. a Fig. Merc.

habeantur, quæ tamen nullibi in sacris literis expressis habeantur terminis, quo in numero dicunt esse terræ motum, qui tanquam maxime notus & insignis describitur *Amos. 1,1.* & *Zach. 14,5.* Nec id proprie Sacræ Scripturæ intentum, ut harum rerum accuratam reddat rationem; quod ex aliis etiam *d)* famibus constat, quæ non idcirco solum referuntur, ut earum cognitionem habeamus, sed ut illustria reddantur magis alia, quæ tunc temporis sunt gesta. Hinc quæ *Abrahami* temporibus extitit fames, eam ob causam memoriæ proditam esse censent, ut ratio constaret peregrinationis ejus in Ægyptum, *Gen. 12, 10.* Quæ temporibus *Isaaci,* ut cognitum esset, quo pacto se contulerit ad *Abimelecum* regem Philistæorum, *Gen. 26,1.* Quæ septennalis temporibus *Josephi,* ut occasio redderetur omnes insignes exhibendi historias de *Josepho,* ejusque fratribus, de filiorum *Israelis* servitute in Ægypto & mira inde eorum ereptione, *Gen. 41.* Quæ temporibus *Ruth,* ut ostenderetur, quâ occasione regnum *Moab* intraverit *Abimelech,* cum tamen altum ejus sit silentium in libris *Judicum*, quorum tempore eam evenisse in aprico est. Quæ temporibus *Saulis,* quam Gibeonitarum cædes intulerat, quæque non nisi suspensione septem filiorum ejus restingui poterat, ut appareret, qua ratione stabilitum esset regnum *Davidis.* Quæ temporibus *Eliæ* Prophetæ *1. Reg. 18,2.* & *Elisæ 2. Reg. 4,32.* ut palam fierent, quæ fecerat eo tempore miracula. Nec prorsus ratione caret, plures tanto annorum spatio extitisse alias fames, verum oblivioni traditas esse compertum habemus. Cumque relatarum alia de causa fiat mentio, ut nobis observatum est cum doctissimo *Bocharto*, qui eandem famis rationem & in Novo Testamento locum habere asserit, mirum profecto esse non potest, quam hic refert Propheta *Joel* famem, in aliis libris historicis insuper haberi & omissam plane esse. Interim vere extitisse talem *locustarum* plagam, famemque per eas factam nemo diffiteri poterit, quanquam nullibi temporis ratio exacte designetur. Quod si autem necessarium adeo fuisset atque utile ad instructionem nostram, utique *e) Spiritus Sanctus dixisset.* Interea nobis quoque dictum esse, quod hac historia ab eo intenditur, omnino persuasum habea-

d) Bochart. e) Oecol.

habeamus; quare in nostrum quoque ut deducamus usum, etiam atque etiam monendi sumus. Quod autem ad quæstionem illam attinet, ad quod nimirum tempus referenda sint verba a Propheta prolata, determinatum certe non est, nec quoad ætatem qua impleta sunt, nec quoad circumstantias temporis quo prolata. f) [illegible] scilicet famem prædixerit, antequam extiterit; an vero de[illegible] jamjam prætteritam, aut innuerit præsentem? Eo autem fundamento hæc nititur quæstio, quod verba hîc præteriti sint temporis, & indicare videantur ipsam aut revera jam contigisse, aut nunc demum incipere & in præsentiarum sævire. Id namque perquam familiare est Prophetis ut præterito tempore utantur loco futuri, quo significare volunt, tam certe ea futura esse, quæ Deus constituit facere, ac si jam essent prætterita. Atque hinc magna iterum expositionum hujus loci est diversitas. Quidam de prædictione accipiunt verba, qua eos admonere voluerit, ut resipiscentia amoliri ingruentia mala sedulo darent operam. Alii descriptionem ejus esse putant, quod jam erat factum, quo animos ipsorum excitaret Propheta, ut ea qua par erat attentione id adverterent, & ad Deum reverterentur, quodq; ipsis jam erat immissum, eum in finem factum esse putarent, ut sentirent, quam graviter Deum provocassent, quantaque opus esset movendi eum sedulitate, ut, quodcunque adversi immorigeris obvenisset, benigniter velit ire compensatum. *Rab. Salomon*, ut & *Aben-Ezra* & *Rab. David*, qui verba proprie & juxta literam de creaturis noxiis sumunt, (nam si de inimicis ac hostibus intelligerent diversis temporibus venturis, quod alios dixisse paulo ante notavimus, quæstioni non esset locus) dicunt eum prædixisse שיבאו יבאו באותן הימים f) quæ essent futuræ, quodque iis diebus congrue venirent g) immissæ a Deo in terram illorum propter sua peccata. Huic opinioni nonnulli & h) Christianorum interpretum succinunt dicentes: *de futuris loquitur in præterito prophetico more*. Ast sunt alii, quibus de præteritis dixisse visum est. *Calvinus* eos dicit *errare & corrumpere genuinum Prophetæ sensum*, qui ea pro denunciatione pœnæ instantis accipiunt, quippe Prophetæ intentionem esse reprehendere stupi-

f) R. Sal. g) Kimchi. Mercer. h) Mercer. Pet. a Fig. Bochart.

ſtupiditatem populi,qua minus ſentiebant,quibus a Deo correpti eſſent plagis, nec,quod propter peccata ſua iisdem obruerentur,intelligebant. Atqui ad eas cum nequaquam eſſent attenti, *i)* ideo *præteritas proponit calamitates,docens eſſe pœnitendum peccatorum.* Quantumvis igitur hæ ſententiæ ſibi invicem videantur contrariæ, nihil tamen meo judicio impedit, quo minus ambæ hoc loco jungantur, quippe veri quid utrique ineſſe arbitror. Nullus enim dubitationi hic locus eſt, quin, quæ hic deſcribuntur plagæ,per aliquot annos duraverint, quodque nondum ab iis prorſus fuerint immunes,cum diceretur *cap. 2, 25. Et rependam vobis annos illos, quos abſumſit locuſta*,&c. Unde dicta ea eſſe,cum jam plagæ immitterentur, non difficile conjeceris. Quin & aliquamdiu jam duraſſe conſtat, diutius vero duraturas pronunciat Propheta, ſi in peccatis ſuis eſſent perſeveraturi. Nondum enim finis illis impoſitus erat,nondum re[illegible]ni, quos adhuc dum abſumſerat locuſta, nondum fames d[illegible] Hinc alii nonnulli malunt deſcriptionem pœnæ, *k) qualis & tam ex parte ſentiebatur, & magis adhuc percipienda erat.* Et alius, *l) quid huc usque paſſi & quid præterea paſſuri ſint*, commemorat.

Porro quæritur de tempore & ordine, quo noxiæ illæ beſtiolæ venerint,ſcilicet ſucceſſerintne ſibi invicem diverſis annis eo ordine, quo ſunt conſignatæ, an omnes eodem anno venerint? *David Kimchi* ſucceſſiſſe ſibi invicem diverſis annis ſtatuit,adeo ut anno primo venerit גזם Gazam vel *eruca*, & comederit, ſecundo anno *locuſta*, & abſumſerit, quod prior reliquerat, & ſic deinceps. *Nam*, inquit לא באו ארבעה המינים בשנה אחת *quatuor genera non veniebant eodem anno*, אלא זה אחר זה בארבעה שנים *ſed unum poſt aliud diverſis annis*, prout poſtea dicitur, ושלמתי לכם את השנים *Et rependam vobis annos illos, quos abſumſit locuſta, melolontha, bruchusque & eruca.* At ſunt qui contrariæ faveant ſententiæ, nimirum quod eodem anno omnia eorum genera venerint,idque ex eo probatum eunt,quod dicatur יתר הגזם reſiduum vel *reliquum erucæ* &c. Quia, quod reliquerat *erucæ*, [illegible] eodem anno a ſequenti animalculorum ſpecie abſumtum fuiſſe[illegible] poſ-

i) Mercer. *k)* Daneus. *l)* Gualter.

possset vocari יתר yether, *residuum* vel *reliquum* ejus, quod eodem anno reliquerat vermis præcedens, quippe cum potius alterius anni sit productum & incrementum antea prorsus intactum. Unde tam absurdum non sit, quin potius necessarium, ea sic accipere, quod simul venerint unum post aliud eodem anno, ita ut ab alio sit devoratum, quod ab altero fuerat relictum, eaque ratione ad interitum usque ab illis absumta, quæcunque terra produxerat. Quod autem ad annos attinet, quorum hic ratio habetur, absit cuique locustarum speciei unum destinemus, cum nihil aliud significari hic manifestum sit, quam quod depastionem illam quotannis sint repetituræ. Nec obscure id indicat diversa nominum istarum creaturarum proferendi ratio, qua quæ priora hujus loci, posteriora sunt in sequenti capite; argumento certe non levi, quod simul omnes fuerint, alteraque in alterius locum successerit. Ac illa quidem tot generum locustarum invasione, uno eodemque anno in terræ nascentia facta, pœnam fuisse redditam tanto mirabiliorem gravioremque, auctor est m) Hieronymus.

Sed tanti forsitan vix cuipiam videantur nonnullæ harum quæstionum, in quibus enucleandis tantum temporis consumatur, quippe nec ad doctrinam, nec ad redargutionem, correctionem aut instructionem in justitia, nec ad ullum alium, quorsum Scriptura Sacra potissimum spectat, finem utiles? At multum conducunt eædem ad eruendum totius versus perspicuum verborum sensum, qui quam proficuus sit, nemini obscurum esse potest, si modo singulare illud, quod hic exhibetur, divinæ justitiæ ac severitatis, qua in peccata ab universis perpetrata universaliter animadvertit, exemplum paulo accuratius considerat. Quo sane nil aliud innui videtur, nisi ut intelligamus, quam promte advolent ad perficiendam Dei sui voluntatem, quotiescunque supplicium exigere constituit, creaturæ omnes ac singulæ, indomitæ licet alias regique nesciæ, adeo ut ne tenuissimi quidem vilissimique vermiculi imperium ejus detrectare valeant, satis idonei habiti, qui elatam hominis mentem nimiamque sui confi-

m) Hieronymus in hæc verba: *Ut quæ singula raro eveniunt, omnia simul facta memorentur, & ideo mirabilia sint.*

dentiam deprimere ac penitus dejicere queant. Præterea versus hic fundamentum est totius sermonis Prophetæ, unde eum amplificat, atque ex eo infert, quicquid inculcandum habet. Ut adeo ad propositum ejus rite eruendum dictaque bene intelligenda nil magis convenire putem, quam ut omnia ejus verba & circumstantiæ ea, qua decet, dexteritate & opera exponantur.

℣. 5. *Expergiscimini ebriosi, ac flete, ac ejulate omnes vini potores, propter mustum, quod excisum sit ex ore vestro.*

Debebat eos equidem e somno peccatorum suorum expergefacere gravissima, quæ hic describitur, pœna, eaque ex parte jamjam illata, vel a Deo intentata, adeoque inevitabiliter ipsis imminens parataque ad occupandum ipsos, nisi plane fuerint stupidi ac mentis impotes, atque adeo impellere, ut obviam irent Deo suo, eumque intuerentur, cujus brachium adversus eos jam erat extensum in percutiendo ægre desiturum. At tanta eos invaserat stupiditas, ut conditionis suæ miseriam minime sentirent, quod vel ex alloquio & clamore magno apparet, quo eos Propheta ad expergiscendum incitat, & quid illis faciendum sit, ut salvarentur, præscribit. Verba ipsa videntur adhortationem ad pœnitentiam continere, quemadmodum eos etiam paulo post ad illam serio adhortatur; eaque explicatio suos *n)* adinvenit *o)* defensores. At vero si diligentius expendantur, ex iis rationeque addita, cur agere debeant quod jubet, magis apparebit, exprobrationem ea continere, quod non citius id adverterint, quasi diceret: Tempus nunc quidem præterlapsum est satis diuturnum, quo vestra ipsius sponte abstinuisse debebatis; at jam in eo est, ut non amplius res vestri sit arbitrii, velitis an nolitis, quippe nec materia nec occasio indulgendis iis est relicta, necessario vobis abstinendum ebrietate vestra & excessu, cum nil vini, nil grati liquoris mentem dementantis supersit, quo animus obrui atque in altum soporem conjici ulterius queat. Atque ita declaratur, quanquam sub forma exhortationis, quem *p)* nimirum effectum habitura sit pœna descri-

pta,

n) Vid. Cyrill. Tarnov. *o)* Mercer. *p)* Diodat. *in Analysi.*

pta, ut ita & somnolenti, & stupidi & ebriosi, postremi alioquin rerum omnium æstimatores, eam agnoscere ac sentire cogantur.

Expergiscimini ebriosi.) Huic vitio videntur homines istius ætatis imprimis indulsisse, stupidosque ac fatuos, ut ebriosi solent & somnolenti, eo effectos fuisse, tantumque inde contraxisse soporem, ut non solum operum Dei nullam habuerint rationem, sed & sui ipsius salutem prorsus neglexerint. Quare & in specie ad hos orationem suam accommodat, cum pessimo hoc vitio præsentem pœnam sibi suisque terris contraxissent. Accommode igitur vox הקיצו hakitzu, *expergiscimini,* de illis usurpatur, quippe quæ proprie dirigitur adversus hujus vitii stuporem, moremque ac consuetudinem illorum, qui ei sunt dediti, complectitur. Ita ebriosis tanquam contraria stupori hujusmodi malorum, quæ inde originem ducunt, applicatur *Prov. 23, 35.* Alias adhibetur ad exprimendum excitationem hominis ipsius a securitate in aliis peccatis, ut *Rom. 13, 11.* & *Ephes. 5, 14.* Verba reliqua quæ his addita sunt, videlicet ובכו והילילו Ubecu vehelilu, *ac flete & ejulate,* explicant magnitudinem calamitatis, quæ non tantum ex quieto somno illos sit excitatura, verum etiam eo usque provocatura, ut quam profunde miseriæ hujus sensu tangerentur, sive ex mœrore propter peccata sua, quibus hæc commeriti erant, sive ex impatientia perpessionis, gravioris fortasse (ut supra annotatum) quam videretur, significationem ederent haud obscuram. Hanc vero calamitatis descriptionem excipit demum adhortatio ad veram resipiscentiam cum debita conditionis suæ consideratione conjunctam, vers. 13. Qua in re autem consistat hæc ipsorum calamitas, apparet tum ex personarum hic designatarum descriptione, *ebriosorum* videlicet & vini *potorum;* tum ex declaratione ejus quod factum aut futurum erat, his verbis: *propter mustum, quod excisum sit ex ore vestro,* h. e. quod eo deberent carere, in quo omnes delicias summamque animi voluptatem collocabant, & sine quo nullum amplius vitæ ipsius solatium restare sibi videbantur. Vox quæ a nostratibus vertitur *vinum novum,* est עסיס *asis,* quæ juxta radicis significationem videtur innuere liquorem, qui premendo & calcando ex uvis aut aliis fructibus exprimitur. Quemadmodum & ipsa etiam

pro *calcare* uſurpatur *Mal. 4, 3.* ועסותם רשעים veaſſotem reſhaim, & conculcabitis improbos. Atque hoc nomine עסים *aſis* ideo denotatur vinum, لكونه يداس حين العصير *quia calcatur, quando conficitur.* Kimchi transfert id nomen ad כל משקה שיצא על ידי כתישה ודריכה *quemvis potum vel liquorem, qui producitur tundendo* (aut premendo) *& calcando.* Exemplum hujus, ut opinor, extat *Cant. 8, 3.* מעסים רמני *Meaſis rimoni*, quod interlinearis interpretatur *de vino dulci mali granati mei*, noſtrates vero *de ſucco mali granati mei*; ſed minus valebit hoc exemplum, ſi interpretationem R. Tanchum ſequamur, qui illud *q)* exponit de الخمر الاحمر اللون كالرمان *vino coloris rubri inſtar mali granati*, ita ut ex ejus ſententia vinum ſit intelligendum, quod ejusdem coloris eſt cum malo granato, non autem vinum quod ex malis granatis exprimitur. An vero de aliis quoque liquoribus ſit accipiendum, inſtituti noſtri ratio non permittit ut inquiramus. Illud vero non obſcure liquet, imprimis hic reſpici vinum, vel vini productum, nec male noſtratibus redditum *novum vinum*, aliis *muſtum*, cum plerumque id ſignificet; quamvis ambigue magis reddere velint *r) propter ſuccum expreſſum*, vel *s) propter laborem.* Chaldæus habet חמר מרת *purum vinum*; Rab. Sal. יין הטוב *bonum vinum.* Druſius proprie ſignificare ait *vinum dulce & recens expreſſum.* LXX. reddunt על עסים *al aſis*, quia novum vinum eſt *t) εἰς μέθην ad ebrietatem*, quos impreſſa etiam ſequitur Arabica للسكر; Vulgatus latinus *in dulcedine.* Equidem non arbitror ullum horum alio ſignificatu vocem *Aſis* accepiſſe, ac ab aliis factum, ut antea vidimus, per eam nimirum non ſignificari proprie ebrietatem, ſed vinum robuſtum ad dementandum atque inebriandum aptum; non dulcedinem in abſtracto, ſed dulce atque gratum vinum. Quod vero nonnulli iſta verba aliter interpretati ſunt, ex eo factum eſſe conſtat, quod diverſa ratione ea diſtinxerint atque conſtruxerint, præpoſitionemque על *al*, quæ præponitur voci *aſis*, notione diverſa ſumſerint non pro *de, ob* vel *propter*,

q) R. Tanchum in Lexico ſuo. r) Tigur. s) Caſtal. t) Vetus latina: *in ebrietate*.

propter, ſed pro εἰς *ad* vel *in*, *ſuper* vel *cum*. Noſtrates cum aliis tam recentioribus, quam antiquis, Chaldæo nimirum & Syro, verba *al aſis* (quæ Chaldæus reddit על חמר מרת *ob* vel *propter merum* (vel novum) *vinum*, Syrus ܥܠ ܚܡܪܐ *ob vinum*) eo referentes verba, ut idem comma efficiant cum præcedentibus, *flete & ejulate*, quaſi cauſam hujus fletus & ejulatus declarantia; alteram vocis ſignificationem eligere maluerunt, qua innuatur videlicet, quinam fleturi ſint ac ejulaturi, ebrioſi nimirum & vini potores, quorum ratio bibendi vinum robuſtum deſcribitur, nempe *ad ebrietatem usque*, ut ſumunt LXX. vel *cum dulcedine*, ut vulgatus accipit. Ac verbis hunc in modum conjunctis & retentis, prout ad literam ſonant. *flete vini potatores, cum* vel *ſuper Aſis, vino robuſto*, vel novo grato vino, palam fiet, quam ſententiam quisque foveat. Tum vero in concluſione hujus verſiculi, *quod exciſum ſit ex ore veſtro*, neceſſe eſt ut aut eadem vox, aut huic æquivalens alia ſubintelligatur. Atque hac ratione Vulgatus accepiſſe videtur. At LXX. *u)* juxta codices uſitatos ſupplent εὐφροσύνη καὶ χαρὰ, *quia gaudium & hilaritas ab ore illorum erant detracta*. Planior nihilo ſecius apparet prior altera diſtinguendi ratio atque conſtructio verborum, quam non tantum recentiores interpretes ſecuti ſunt, verum & antiquiores, Chaldæus & Syrus; Quin idem ſuggerit manuſcriptum Arabicum, cujus verba cum prælo nunquam ſint publicata, digna ſunt ut ſubjiciantur, استيقظوا يا سكاري وابكوا وولولوا يا كل شاربي الخمر علي العصير ان انقطع من فيكم Quæ transferri aliter opus non habent, quam factum eſt Anglis ex Hebræo, præterquam quod ultima habeant verba: *videntes quod exciſum ſit ex ore veſtro*. Atque hinc *Aſis* vel vinum novum non erat, quod bibebant cum voluptate & ultra ſatietatem, ſed Aſis erat ſubjectum, cujus cauſa flebant & ejulabant, quod non haberent quod biberent, quia exciſum erat ex ore illorum, protinusque ablatum, adeo ut non haberent quod ſummis etiam labiis libarent vel attingerent, locuſtis omnes prorſus devaſtantibus *w)* uvas, ex qui-

u) Nam deeſt in eo quem Hieronymus ſequitur, & in quibusdam aliis. Vid. Conject. Druſii.
w) Kimchi.

bus illud exurgeret. Eandem conſtruendi rationem & horum nonnulli ſecuti ſunt, qui per ea inſtrumenta, quibus illorum vinum excidendum erat, non proprie intelligunt locuſtas & hujusmodi vermiculos, ſed inimicos ſub hoc nomine latitantes. Ita hunc verſum ſatis perſpicue etiam explicat Abarbenel: *Expergiſcimini ebrioſi & flete &c.* hoc eſt: *Vos omnes, qui vanitatibus mundi atque deliciis abdominis ſemper eſtis profunde immerſi, nullamque rationem operum divinorum habetis, expergiſcimini ab ebrietate veſtra, ac flete & ejulate propter deſtructionem regionis veſtræ. Vinum enim & muſtum, quæ fructuum terræ ſunt delicatisſima, quibusque veſcebamini & quæ bibebatis, ſunt exciſa ex ore veſtro pro appulſibus inimicorum ad omnia late diripienda.*

6. Gens enim aſcendit ſuper terram meam, robuſta & innumera, cujus dentes dentes ſunt leonis, cui molares immanis leonis ſunt.

In hoc & ſequenti verſiculo deſcribuntur porro executores plagarum divinarum, quæ recenſentur *v. 4.* atque preſſius paulo perſequitur modum & media, quibus efficiebatur, vel efficiendum erat malum, cujus auctores eſſe vel fore dicuntur. Hæc vero divinæ vindictæ inſtrumenta non multo ante dicta, *eruca, locuſta, melolontha & bruchus* vocantur hic habita conditionis ſuæ ratione גוי *Gens robuſta & innumera, cujus dentes ſimiles ſunt dentibus Leonis* &c. Quæ denominatio quibusdam argumento eſt, quod non proprie noxii illi vermiculi, qui hujusmodi nominibus plerumque gaudent, ſint intelligendi, ſed tales homines, qui non ſecus atque in agris contingit locuſtis, terram Judaicam juſſu Dei eſſent late directuri. Ita enim Abarbenel לא אמר הנביא זה באמת על הארבה כי איך יקראהו גוי וקהל גוים אבל אמרו על האויבים שעלו על הארץ להשחיתה h. e. *Propheta hoc non revera dicit de locuſtis; quomodo enim eas vocaret gentem & multitudinem gentium? Sed dicit hoc de illis hoſtibus, qui veniebant terram depopulatum.* Verum nullius momenti hanc argumentandi eſſe rationem, ex impoſitione hujus nominis

nis desumtam, ex eo liquet, quod, quamvis istud nomen, (fortasse etiam proprie & usitate) hominum congregationi ac multitudini tribuatur, commodum nihilominus satis sit, ut aliis etiam imponatur creaturis non minus atque עם *am* populus, quod constat ex *Prov. 30, 25. &c.* nec non ex sequenti capite *v. 2.* Quare sine ratione forsitan non est, quod observavit Kimchi כל קבוץ מן החי יקרא גוי congregationem quamvis vel multitudinem creaturarum vivarum appellari גוי Goi, Gentem. Est etiam illud in omni ferme lingua usitatum valde, ut *gentis* vel *populi* denominatio & aliis præter homines imponatur creaturis; *gentis* inprimis illis applicari, quæ hîc vocantur locustæ, exempla probant diversorum Auctorum a doctissimo Bocharto allata, eorumque quod lingua Arabica أمة *Ommaton* gens, sit usitatum pro collectione creaturarum vivarum, & præcipue pro locustis, prout ex dicto, quod Mahumedi adscribitur, patet, quo Deus creasse dicitur mille gentes, quarum sexcentæ sunt in mari, quadringentæ in terra & quod أول هلاك prima, quæ interitura est ex his gentibus, (sic enim vertenda esse hæc verba arbitror, non *prima pestis,* ut putat Bochartus) sint locustæ, quibus interemtis reliquæ suo ordine secuturæ sint. Unde concinne admodum a *Rab. Tanchum* (quamvis alia ratione ipsi) de hac voce dictum, quod sit استعارة للجراد لكثرته وعظيم افساده *metaphorica expressio locustarum respectu habito ad earum multitudinem & prædam ingentem cui inhiant.* Nec ulla præterea inest vis huic ratiocinio: Vocantur hic locustæ gentes, ergo de locustis non sunt accipienda quæ traduntur versu præcedenti, quod *Abarbenel* vult. Nec approbanda *x)* aliorum placita, quod alii hic innuantur, quibus appellationis ratio magis proprie conveniat, nimirum *inimici* quantumvis in præcedentibus de locustis sermo fuerit. Nec simpliciter eas appellari nationem apparet, sed additione hujusmodi epithetorum, quæ eam ut eminentem præ cæteris, ita terribilem etiam reddunt aliis gentibus, eo quod gens sit robusta & innumera, cujus dentes similes sunt dentibus leonis. *Robusta.* Licet hæ creaturæ natura sint imbelles admodum & despicatissimæ,

x) Calvin.

pretantur dentes maxillares, hoc observandum est, quod alias quoque inveniatur transpositis literis מלתעות Maltaoth, ut *Psal. 58, 6.* vocula לביא *labi* nostratibus redditur *immanis leonis*, at aliter apud alios. Paraphrastes Chaldaicus habet כבר־אריון *ut catuli leonis*, sic & Græca, Vulgata, Syriaca atque impressa Arabica. Quippe omnes habent *catulum leonis*. Cujus translationis proprietatem *b)* quidam explodere conantur exemplo validissimo, quod extat *Job. 4, 11.* ubi legitur בני לביא *bene labi*, quod nostrates reddunt *audacis leonis catulorum*, ubi aperte distinguuntur & qui appellatur *labi*, & qui nominantur catuli, tanquam senior & juniores. *c)* Alii vertunt, *vetuli leonis*, qui tamen objectionibus obrui possunt, quia vetus leo *d)* non habet dentes validos, cum tamen ad validitatem quam maxime hic videatur alludi. Alii reddunt *e)* Leænæ, (quod & Vulgato aliis in locis frequens) quam translationem duo recentioris ævi viri illustrissimi, Hugo Grotius & *f)* Bochartus, aliis præferre videntur, eamque probare nituntur ex usu vocis لبوة *Labwat*, quæ non aliter ac لباة *Labah* & لبية *Labiyah*, & similia lingua Arabica, de fœmina dicuntur, non de mare. Prorsus vero ignoro, num validum sit satis ad probandum, quod vox לביא *labi* linguæ hebraicæ ac generis masculini, ea de causa fœminino applicari possit, quia ea nomina lingua Arabica fœminini generis sunt, etsi nullum ejus radicis derivatum masculino genere usitatum sit. Id tamen affirmare habeo, quod masculinum æq; ac fœmininum hac in lingua possit discerni, quantumvis usu adeo frequens non sit. Hoc enim ex manuscriptis Arabicæ translationis apparet, qui reddunt ואניאב אללבו לה & literis Arabicis وانياب اللبو له *Waanyab allabui labo*, quod significat *longos dentes Labu*, & cur non debemus vertere *leonis*, cum sit masculini generis sine ulla terminationis nota, qua fœmininum a masculino distinguitur? At sensum nullo modo infringere potis est generis ambiguitas, quippe cum leæna non minus sit ferox atq; leo, neque adeo ad sexum ea alludatur expressione, quam ad fortitudinem. Celeberrimus Grammaticus Hebræus *Abu Walid* ait, *g)* לבו *labuo* plerum-

 que

b) Livel. Drus. *c)* Castal. & Trem. citati a Drusio. *d)* Drusius. *e)* Tigur. *f)* De animal. part. 1. p. 719. *g)* Ultima litera ubique fere est extrita, aliam tamen non posse esse ex spatio colligo; eodem etiam redit, si א substituamus, quamvis vix eam admittit spatii angustia.

que lingua Arabica etiam dici leonem, neque tamen id se legisse unquam in ullo libro authentico, cujus autoritate posset niti. Utcunque sit, sive in Arabica lingua ea vox tantum sit usitata fœminino genere pro *leæna*, sive masculino etiam genere pro *Leone*, hoc tamen validum argumentum non est, eam masculino genere sermone hebraico esse positam ad significandum tantum sexum fœmininum. Meo quidem ipsius judicio majori nititur ratione, quod dicit Kimchi, masculinum *Labi* eo loco denotare leonem, cum formam fœmininam eadem vox producat, quæ occurrit *Ezech. 19,2.* לביא, quæ quamvis iisdem scripta sit literis atque *Labi*, aliis tamen gaudet vocalibus, videlicet *Lebija.* Attamen magis in usu est לביאה *Lebiah* secundum *Abu Walid* & *Kimchi.* Quare non video, cur a doctissimo Bocharto contradictum sit, at suspicor initio sic fuisse lectam eaque forma fœmininum constituisse, unde in omnibus aliis locis, ubi legitur *Labi*, magis videtur congruere *masculino*, ut a prædictis Hebræis grammaticis aliisque in genere annotatum est. Quid? quod hanc quoque sententiam stabiliat plurale Masculinum לבאים, *Lebaim* ab una, & fœmininum לבאות, *Lebaoth* ab altera deductum. Sed, ut jam diximus, non hic ulla ratio habetur sexus, sed fortitudinis tantum, qua antecellit alias generosa bestia. Atque ideo maxime inter commentatores convenit, eam vocem tantummodo respicere Leonem justæ magnitudinis ac fortitudinis, non *h)* catulum, qui hæc nondum est assecutus, neque vetulum, qui ea jam perdidit. unde commode satis ea videtur expressa & a nostratibus & ab aliis per *Leonem i) immanem* vel *magnum*, quantumvis aliis in locis simpliciter eam reddant per *leonem*, ut *Hos. 13,8.* a *Kimchi* observatum est, quod sit גדול מן האריה *majoris efficaciæ, quam vox Arjeh* paulo ante posita (quod generalius leonis nomen est) *necessario infert*, quippe quod ideo adhibeatur, ut evidentior evadat comparatio, & dentium harum tam imbellium creaturarum, cum dentibus tam immanium bestiarum, & cum tanta vi inferendi rerum perniciem, utpote quarum dentes non essent tantum ut dentes communis leonis, sed ut illius, qui ad eam pervenit ætatem

tatem

h) Illis magis placet, leonis catulis non adeo respexisse eos ut item quam genus. *i)* Jun. Trem.

tatem atque fortitudinem, ut possit vocari *Labi.* Si per hæc insecta *locustæ* &c. antea nominatæ literaliter, ut interpretati sumus, sint intelligendæ, dentes etiam ac molares de talibus, quos habent, proprie sumendos esse ipsa res loquitur; E contrario si per hæc verba illi Judæorum inimici, quos Abarbinel & alii volunt, intelligendi sint, oportet certe quid aliud in iis per *dentes* & *molares* significari, quod ei maxime accedat, in quo vis atque potentia nocendi præcipue sita est. *k)* Quare *Arias Montanus* his putat denotari illorum arma, alia quidem propter aciem, ut enses, hastæ & sagittæ; alia propter ingentem efficaciam, ut arietes pro munimentis &c. Hieronymus in eo acquiescere videtur, ut generaliter capiantur ad de notandum ferocitatem & crudelitatem; & Abarbinel, ut sit רמז לכחו ועצמו *expressio significans illorum vim & fortitudinem.* Grotius: *Rapiditas hic significatur.*

Tradita vero executorum vindictæ divinæ exacta quoad qualitatem & conditionem, vim atque potentiam nocendi descriptione, modum exequendi Propheta etiam notare haud negligit, quando hisce verbis infit: *ascendit super terram meam, posuit meam vineam in desertum* &c. Tanto scilicet furore aggressa est ea gens regionem, ut nec repellere nec resistere, imo ne prohibere quidem valuerint, quin faciat quæ fecisse dicitur. *Super regionem meam*, inquit, (quisquis tandem hic intelligatur loqui) degebat, *& posuit vineam meam in desertum & ficum meam decorticavit.* Hic quæstio oritur ex pronomine affixo primæ personæ, quo non simpliciter Propheta dicit, regio, vinea, &c. sed ac si ejus esset possessor, *mea regio.* Quis nimirum hæc omnia sibi vindicet, atque ita horum verborum auctor concipi queat? Kimchi constructionis ambiguitatem advertens ait: כל הכנויים הם דברי יושב הארץ או הם דברי הנביא *omnia hæc prenomina ostendunt verba esse aut habitatoris terræ, aut Prophetæ. l)* Alii membrum addunt, quod verba possint esse vel *verba Dei vel Prophetæ, vel ipsius etiam populi.* Ita Drusius: *Deus loquitur, aut Propheta, aut quilibet e populo dicet.* Quin divino mandato prophetaverit Propheta, nemo unquam dubius hæsit; at in eo ver-

k) Et Tirinus. l) Pet, a Fig.

ſatur quæſtio, num Dei an ipſius populi hic gerat vicem,cum quisque illorum poſſet dicere, *mea regio,* reliquaque omnia tanquam *ſua* ſibi vindicare. Si DEum hic introducit loquentem, ejusque verba recenſet, manifeſtum eſt, complecti ea declarationem eorum,quæ vel immiſerat, vel immittere regioni conſtituerat, quam cum iis omnibus, quæ continebat, peculiari jure tanquam ſuam ac ſua ſibi aſſerit; unde curæ ſibi eſſe eam etiam peculiariter, quamvis non mediocriter potuiſſet colligi ex eo quod Moſes dicit: *Jugiter oculi Jehovæ Dei tui intenti ſunt in eam, a principio anni usque ad finem ejus, Deut. 11, 12.* eam tamen propter impietatem incolarum tradidiſſe in deſtructionem atque deſertum abunde patet. Id ſi rite atque debita ratione ad mentem revocaſſent, certo ſcio, niſi *m)* ſomno fuiſſent alto ſepulti, eoque ſenſibus prorſus privati, non potuiſſent non expergiſci ac conditionis ſuæ miſerrimæ ſenſu tangi, quam ſibi ipſis provocaverant irritando atque offendendo tamdiu Numen benignum,ut quam hactenus eorum ſummam geſſerat curam, plane abjicere coactus fuerit; eaque ratione impelli, ut,quo repentina reſipiſcentia cum eo in gratiam redirent,omnem locarent operam,quorſum quidem præcipue hanc prophetiæ partem ſpectare perſuaſum habeo.

Si ipſius Prophetæ verba hic ſunt,pronunciaſſe ea, quæ a DEO ipſi erant injuncta ut populo indicaret, dicendus eſt, quo mentem ac animum adhiberent ad eas calamitates, quarum ipſi fuerant Auctores,quasque tantopere lugebant. Si populi nomine,vel alicujus ex populo proferuntur, lamentationem indidiſſe ejus ori putandus eſt, qua poſſent vel deberent calamitates ſuas deplorare,ac quæ horrenda ipſis accidebant, quorum non niſi lacrymis procidentibus poſſent meminiſſe, & enumerando exponere. *n)* Ita *Mercerus*, qui *lamentationis formulam* a verbis, *expergiſcimini ebrioſi* &c. ordiri ſtatuit. At eodem res redit, ad quamcunque demum harum perſonarum pronomen retuleris. Nimirum Regio ſignificat regionem *Judæam* arboresque arbores in ea virentes. Regio illa erat Jehovæ *Hoſ. 9, 3.* ſimulque Prophetæ & populi, quia in ea erant nati ejusque adhuc dum

m) Vide Calvin. *n)* Sic Tarnov. ait, hæc verba ori cujusque Judæorum indita, quibus queſtus ſuos ederent tot malis obruti.

dum incolæ. Hinc pari horum quisque gaudebat jure eam vocandi *suam*, cæteraque omnia, in ea virentia sibi tribuendi tanquam *sua*.

Quid vero huic regioni, rebusque in ea existentibus factum sit vel faciendum esset ab ea natione, quæ descendisse hic dicitur, id omne sequentibus verbis declaratur.

7. Posuit vitem meam desertam, & decorticavit ficum meam, nudans spoliavit eam & projecit, rami ejus albi facti sunt.

Posuit vitem meam desertam &c.) vel depopulata est vitem meam; usque adeo eam exedendo, arrodendo, vel aliis mediis perdidit, ut amplius non sit proficua, nec alius porro usus, quam ut solum tegat. Vulgatus habet: *Posuit vineam meam in desertum*, quem Duacenses secuti sunt. Quod tamen *Drusius* minus recte factum arguit, quum גפן *Gephen* magis proprie significet *vitem*, quam כרם *Cerem*, vineam; at non constat Vulgatum ejus fuisse sententiæ, cum utrumque significet hæc vox & vineam & vitem. Et cum vinea non nisi plurium vitium sit congregatio, rei nulla est differentia. Qui etiam vitem hic proprie spectari censent, numero plurali vocem vertunt, *o) vites meas*, quasi *p)* collective nomen capiendum sit, non pro una particulari ac simplici vite, sed pro pluribus vel omnibus hujus generis, quas noxia illa vermiculorum gens depopulata erat. Pari ratione & sequentem vocem non denotare *q)* contendunt *ficum*, sed *ficus*, quibus, ut manifestum esset, quid detrimenti inferrent vel illaturi essent vermiculi, inquit, & *ficum meam decorticavit*, vel ut in margine est vocum hebraicarum exactior expressio, ותנאתי לקצפה Uteenati Likrsapha, *posuit ficum meam pro excorticatione*. Non abludit hinc Vulgata, & *ficum meam decorticavit*, quæ eadem sunt ac nostrates habent (sed a *Duacensibus* ita expressa: *& decorticavit corticem a mea ficu.)* Eandem translationem approbant & alii recentiores interpretes reddendo, *& ficum meam in decortationem*,

o) Jun. & Tremel. *p)* Mercer. *q)* Drus.

nem, quæ in noſtris Bibliis in marginem ſunt rejecta. Nec ſecus facit *Kimchi*, cum quorundam ſententiam eſſe referat, quod קצפה *Ketſapha*, coincidat ſignificatione cum קליפה *Keliphah*, decortatio, quando Ketſeph corticem arboris *Hoſ. 10,7.* ſignificare poſſe affirmat, ac in libro radicum idem ſtatuit addita hujus ſententiæ cauſa שנקלפה מרוב היובש *quia decorticata eſt præ nimia ſiccitate*. Sic & Vatablus, *præ nimia ſcilicet ſiccitate & ariditate, vel quod locuſta decorticavit & comedit eam.* Verum enim vero non deſunt, qui diverſas alias hujus vocis ſignificationes & priſcis & hodiernis temporibus notant. R. Tanchum reddit per تشويط واحراق *aduſtionem & concremationem*, & ante illum *Abu Walid* شوطه واحرقه *aduſſit vel concremavit eam*. Quodque conveniat hæc ſignificatio voci, probat R. Tanchum tum ex frequenti ſacrarum literarum uſu, tum ex radice & formis quæ inde deducuntur, ad notandum *aduſtionem vel ebullientem ex furore calorem.* Congruit etiam rei, ſi voci congruat, ſignificatio, quippe naturalium rerum *r)* ſcrutatoribus hæc quoque locuſtarum proprietas notatur, *multa contactu adurere*, ita ut arbores *s)* ejus contactu pereant & exareſcant. Hujus ſignificationis, qua vox denotat *calorem* vel *uſtionem ex ira*, illi quoque habuerunt rationem, qui eam reddunt, ut *t)* M. S. Arabicum شخط *ira*; vel ut *Kimchi* לקצף וזעם ולמארה *in iram & indignationem & maledictionem*, hoc eſt, ut *Mercerus* vult, in talem ſtatum, qui provocat poſſeſſoris *iracundiam & mœrorem non tolerandum*, vel qui poſſit conſiderari ut *u)* divinæ vindictæ ſignum, aut maledictio vel ipſius ficus, vel qui eam poſſidet, qua eandem conditionis ſortem ſubiiſſe conjiciendum eſſet, atque *w)* illa, cui Salvator noſter maledixerat. Significat hæc vox etiam *ſpumationem*, quam *x)* nonnulli primariam ejus ducunt ſignificationem, cui altera ſuam originem debeat; at non una ratione interpretantur, qui id innunt. *Vatablus* notat, *in y) ſpumam* quibusdam Judæo-

r) Plin. vid. Bochart. s) Bochart. t) quod præferendum cenſet interpretationi illorum, qui reddunt غ *Gamo* dolor. u) Pet. a Fig. w) Matth. 21,19. x) Nic. Ful in Concord. y) Bux. Lex. Tarnov.

Judæorum esse redditam. A quibus non longe abeunt, qui vertunt *in z) clavum* vel *fungum*, in fungum, vel quod idem est, spumæ productum, vel humiditatem, quæ se non rite per omnes arboris partes diffundit siccitate vel aliqua alia re impedita, sed quæ ad radices arboris expullulascit in hujusmodi effervescentias, quæ vel ex spuma constant aut eam referunt. Hinc *Grotius: Hebræa vox spumam significat, & sic videntur per similitudinem appellari clavi arborum.* Huc etiam referri videtur expositio Aben-Ezræ, qui ejusdem significationis hanc vocem vult cum קצף *Ketseph Hos. 10, 7.* quam nostrates reddunt, *spumam*, quamque sic explicat, quod sit res שאין בו ממש *cui nil substantiæ solidæ sit, res nihili*, ut Buxtorfius eam interpretatur in Dictionario suo minori, quo, *a)* eodem referente, etiam Paraphrastes Chaldæus collineasse videtur, qui habet *b)* למפחת נפש *efflationem animæ*, ut Mercerus, aut ut alii, *exhalationem animæ*, quod juxta quosdam, quæ ejusdem Auctoris nota est, nihil aliud significat quam *halitum*, vel *levissimum quod anhelitu difflatur.* Nos tamen, pergit idem, pro exhalatione animæ accipimus, quasi dictum esset, *in mœrorem, quo anima tandem efflatur*, hoc est, in mœstam suspirationem, in quam erumpebant tantæ rerum *) jacturæ memores. Atque hac ratione voce accepta magis eum probasse, in aperto est, priorem significationem *caloris ac iræ* quæ non minus, ac mœror, parit anhelitus, sufflationes & suspirationes, inprimis cum simul sint juncta eademque causa prognata, sicuti hic loci, ubi tanta rerum erat destructio, ut utrique locum fuisse jure merito dicendum sit.

Diverse tamen etiam a LXX redditur, καὶ τὰς συκάς μου εἰς *c)* συγκλασμὸν, *& ficus meas in confractionem*, quibus cum & Syro convenit [illegible] *Lephushocho* (quæ latine redduntur *ad divulsionem*) & Arabicæ impressæ *le'taphsich* للتفسيخ *ad discerptionem*, quam significationem maxime propriam esse Bochartus statuit,

z) Jon. Tr. [illegible] Tarn. *a)* in Dictionario suo majori. *b)* Vide hæc verba hebr. Job. 2, [illegible] *) In d[illegible] anime[illegible] est enim gravis dolor cum fruges & arbores devastantur. Fet. a l[illegible]g in c[illegible]at. animæ, i.e. tantam vastitatem, ob quam non [illegible] merito quis animam a[illegible] vel respondeat. Tarnov. *c)* Bibl. Polyglott. Alii enim aliter legunt, videlicet γλυκασμὸν, ac perperam judice Drusio.

tuit, cujus confirmandi argumentum ex usu petit, quem obtinet in Arabica lingua, in qua قصف *Kasapha* significat *frangere* (quocirca proprie ramus arboris fractus dicatur قصيف *Kasiph)* ac si innueretur, locustas exedendo & arrodendo ficuum ramos in frusta esse fracturas. Et in eo non longe relinquunt interpretationem, quam nostrates secuti sunt, vertendo *decorticare*. Id solum interest, quod *τὸ* frangere non solum videatur respicere corticem, sed etiam lignum; cum corticem tantum *τὸ decorticare* spectet. Attamen utrobique fractio interveniat necesse est, quare translationi adhærere fas esse censeo, quam tot aliis posthabitis interpretes nostri elegerunt, qua arrodendo *d)* ramos tenues fuisse fractos innuunt, quod locustis æque convenire, ac aliis, nemini dubium esse poteit. Exinde *e)* quidam argumentum deducit contra literalem sensum, quod durum admodum sit, statuere, locustarum attactu ficum fuisse læsam, morsuque folia, quin & corticem exesum, quia præterquam, quod aspersit omnino, habeat etiam insipidum & amarum succum; unde multo probabilius esse cum *Hieronymo* sentire, quod non proprie sit accipiendum de locustis, sed de damno a Babyloniis illorum & regionis hostibus intentato; vel si proprie accipiendum de locustis, *tantam fuisse ipsorum voracitatem*, arguere, ut neque foliis neque cortici ficus pepercerint. At explosa est ab *f)* aliis protinus hæc difficultas, qui ex eo, quod experientia est suffultum & rerum naturalium scriptoribus observatum, plane affirmant, ideo vitis & ficus mentionem fieri, *quia bruchi & locustæ utrique infesti sunt*. Quod elucescit ex descriptione damni ab illis illati, *Nudavit eam prorsus & projecit* &c. (Eam) Affixum cum sequatur immediate nomen *ficus*, necessario ad eam etiam referendum est; sed, ut Kimchi arbitratur, non ad eam solam, sed & ad aliud nomen, præcedentem scilicet vineam, ita ut, quod illatum est, *g)* utrique illatum esse intelligatur, quare a *h)* quibusdam etiam vertitur *eas*, vel, *vitem juxta ac ficum* חשף חשיף *Casboph casbaph*, nec non MSS. Arabicum תקשיר קשרהא *Nudando illa* (scilicet *natio vel gens) nudavit*, id est, ut habent nostrates, *plane eam*

d) Bochart. *e)* Petr. a Figur. *f)* Bochart. de Animal. part. post. p. 469. *g)* Ar. Mont. *h)* Jun. Trem.

eam nudavit. Chaldæus, quia corticis decorticationem hic insinuari putaverat, reddit מקלף קלף *decorticando decorticavit;* Verum non necessario id per *nudare* intelligi, Auctor est *Bochartus* quum satis expressioni putat fieri, arbore suis foliis, fructibus & floribus spoliata, quantumvis cortex integer relinquatur. LXX. habent ἐρευνῶν ἐξηρεύνησεν αὐτὴν, *scrutans scrutatus est eam* (sicut & Arabica impressa فتشت تعتيشا *scrutata est scrutando*, i. e. ut Latinus transtulit, diligenter scrutata est.) Quod conjiciendi *i)* nonnullis occasionem dedit non legisse eos olim, sicut hodie, in hebraico codice חשיף חשפה *Chasoph Chasapha*, sed חפש חפשה *Caphas Chaphasah*, transpositione literarum, cum frequentius *scrutandi* significationem habere *Caphas* adverterint. Verum quia nemini non perspectum est utramque significationem admittere *Caphas* & *detegendi* & *nudandi*, non video, cum *Casaph* cum eo in uno conveniat, cur non olim & in altero convenisse admittendum sit. Præterea significationum tanta diversitas non est, quin altera alteram in se includat, quippe res aperiuntur & nudantur, ut investigentur, atque ita locustæ ficum nudasse dici queunt, ut scrutarentur istius cibi extrema, quæ sibi usui cederent. Syrus solummodo habet sine vocis repetitione ܦܫܚܗ *divulsit eam.*

Hanc sequitur והשליך *Vehischlic*, & *projecit.* Nostrates addunt *id*, quod putant subintelligendum id scilicet, quod arroserunt & manducaverunt de foliis, fructu vel cortice, decidere sinentes, quæ non devoraverunt, cum absumerent humiditatem, quæ est inter corticem & arborē, cujus folia (inquit *Kimchi* referendo id ad vitem) postquam exederant, uvam projecerunt in terram, quo facto הלבינו שריגיה Hilbinu Sharigeha, *rami illius* (vitis vel ficus) *albi facti sunt.* Quanquam hoc verbum plerumque transitivum sit, tamen intransitive hoc loco sumitur. Dicuntur autem albi facti, vel quod cortice ac omni viridi exeso, nudum lignum apparebat, quod album est, ut quibusdam placet; vel ut aliis, quod ipse *k)* cortex vel folia & germina contrectatu & suctu horum tam noxiorum vermiculorum cor-

i) Merc. Druf. *k)* Bochart. part. 2. pag. 469.

rupta & putrefacta, amittebant viriditatem atque alba evadebant. Utrumque valet, cum hac voce illa indigitetur tabes ac interitus, quem induxerant pernitiosæ bestiolæ arboribus, in quascunque etiam incidebant. Æquum enim censeo, quod contigisse hic viti ac ficui dicitur, ad omnes arbores referre, quarum non paucæ hanc fere ob causam *v. 12.* recenseri putandæ sunt, quia cæteris præstant plurimo usu ac emolumento, unde ex illarum etiam corruptione accrevisse magis calamitatem conjiciendum est, quam quod aliæ male erant constitutæ. Alii tamen hanc rationem subesse putant, quod in dulcedine horum fructuum ebriosis, quorum mentio fit *v. 5*, plus delectamenti situm fuerit, quam in cæteris, unde citius etiam mentem adhibere ac sentire poterant, quam hujus rei gravem fecissent jacturam.

Vox שריגים Sharigim nostratibus æque ac Vulgato *rami*, quibus alii non pauci accedunt. Verum *Junius* & *Tremellius* habent, *botri illarum*, scilicet virides illarum uvæ, quæ succo destitutæ pallidæ albæque redduntur. Censoria tamen virgula eos propterea notat *Piscator*, tum quod ad vitem eam vocem referant, quam ad ficum magis spectare persuasum habet, tum quod *botros uvarum viridium* interpretentur, quum magis proprie ea vox significet *palmites*. Ipse vero reddit, *albæ evaserunt frondes earum*, quam vocem, quamvis magis ejus sententia *palmites* notet, *molli* tamen *metaphora* translatam ad notandum frondes ficus, de qua hic peculiariter sermonem esse, atq; ad eam pronomen præcipue referendum nullus ambigit. *Abu Walid* comparat hanc vocem cum radice سرغ *Saraa* linguæ Arabicæ, quæ usurpatur pro frondibus & ramis اذا امتدت cum se ipsos *extendant. l)* Præcipuus Arabū Lexicographus ait nomen سرع *Sarno* significare قضب الكرم للغض لسنته *teneros ramusculos vitis primi anni* vel كل قضيب رطب *aliquam madidam* (aut viridem) *virgam*. Idem nobis refert, السرغ *arsargo* conjunctam cum غ g, (quæ sono ab hebraica non admodum differt) *esse* قضيب الكرم *virgam* (vel ramum) *vitis*.

l) Auctor Kami.

vitis. Qui accuratius introſpiciunt radicem hebraicam, volunt ea denotari *m)* tales ramos, qui ſunt quaſi intertexti atque alii aliis implicati, ut ramis contingit vitis; attamen in genere pro ramis uſurpari.

Ita vero hæc verba explicavimus propriamque eorum ſignificationem eruimus, ut, retento ſenſu literali hujus verſus, prout etiam factum in præcedenti, declarationem continere ſtatuamus detrimenti, quod afferebant vel allaturi erant vermiculi arboribus ac fructibus terræ infeſtiſſimi. Atqui eo ſenſu a non paucis ſunt accepta. Verum qui præcedentia allegorico ſenſu accipiunt, eundem hic ita continuant, ut per vitem, vel vineam & ficum intelligant populum Judaicum (de quo dictum eſt *Jeſ. 5, 7. Vinea Jehovæ exercituum domus Iſraelis, & viri Judæ ſunt planta deliciarum ejus)* & per vitem deſertam redditam ficumque decorticatam (vel factam indignationem aut maledictionem) quarum utraque nudata, abjecta earumque rami facti ſunt albi a locuſtis & aliis vermiculis, deſtructionem populo ab inimicis illatam, qua privati ſunt omni honore & omnibus rebus quibus inſigniter gaudebant, ipſique redditi captivi, atque pauperes & mœſti. Sic inter Judæos Abarbinel & inter Chriſtianos *n)* diverſi.

8. Plange, ut virgo accincta ſacco propter maritum adoleſcentiæ ſuæ.

Subeſt ſane ratio, quare inprimis compellentur, qui nominantur *ebrioſi* ac vini potores, qui luxuriæ ac abdomini toti ſeſe dederant, ad flendum & ejulandum; quippe qui iis privabantur fructibus, ex quibus omne deliciarum genus ſibi hactenus profluxerat. At malum non tantum in ipſos, ſed etiam in longe ſobriores ac prudentiores redundabat. Et calamitas, qua premebantur, inprimis eas tangebat res, quæ ipſis maximam afferebant voluptatem, maximeque erant neceſſariæ; hoc eſt, non tantum eas, quæ humana ac terreſtria concernebant bona, ac delitias, ſed & quæ ad cultum DEO præ-

m) Ramus tortilis atque implexus. Etenim Radix hæc proprie ſonat perplecti, implicari, contorqueri. Nic. Fuller. Cap. Concord. *n)* Ar. Mont. Chriſt. a Caſtro. Brent.

ſtandum requirebantur. Atque ideo ad illos pariter atque ad univerſum populum jam dirigit Propheta ſermonem,ut attentos eos faciat ad conſiderandum,quid ipſis accidiſſet,quaque animi ſedulitate id ſit expendendum; *Plange,ut virgo* &c.) Quæ extant *v. 5.* ſunt numeri pluralis, pariterque nomina, ad quæ verba ſunt referenda; ſed hic ſingularis numeri ac fœminini generis,quæ cum ejusdem rationis nomen requirant,quod non extat,per ſe patet,illud ſubintelligendum eſſe. Quod *Kimchi* cum Paraphraſta Chaldæo haud ſine ratione ſupponit eſſe כנסת ישראל congregationem *Iſraelis*. Aben-Ezra putat illud eſſe vel ארמה regionem, vel נפשי *Naphſchi* animam meam. *R. Tanchum* בת ציון او ما يشبه ذلك *o filia Zionis*, vel *aliquid huic ſimile*. Ut innoteſcat quantum mereatur planctum calamitas ingreſſa vel ingreſſura,quantumve ſit extortura, exprimit id per *αὔξησιν* deſumpta comparatione ab eo, quod in eo genere maxime ſit frequens,ſcilicet ut *plangat*,non ſicut perſona vulgaris ordinaria occaſione, ſed *ſicut virgo accincta ſacco propter maritum adoleſcentiæ ſuæ*, i. e. ſicut quæ vix dum guſtata nuptiarum ſuavitate, ſponſique blanditiis,immaturo mariti recentis interitu vidua, non poteſt non gravem exinde concipere dolorem,atque evidentibus externis indiciis, (quæ illis temporibus uſu veniebant,ut exempla multa atque formulæ S. literarum loquendi probant) ſacci ſcilicet induitione ac planctibus lugubribus prodere.

Quod omnia, quæ hic extant, בתולה *Betulah* & בעל *Baal*, *virgo* & *maritus* translata proprie hanc ſignificationem ferant,a nemine,quod ſciam,unquam in dubium vocatum eſt. Verum ut horum alterum non tam ſtricte ſumatur,ut fas eſſet,ſenſus videtur expoſcere. Quomodo enim virgo dici poteſt proprie, quæ habebat maritum, cuique ipſo loquendi genere libatus videtur eſſe pudor a marito? Hinc eſt ut alii alterum, alterum alii conentur infringere; vel quod primum non ſtricte ſignificet virginem, ſed *o)* novam nuptam,

o) Atque vocem בתולה hujusmodi denotare quidem ex eo probant,quod, cum de *Rebekah* ſermo ſit,immediate ſubjiciatur Gen. 24,16. *quam vir non cognoverat*, verum ſi nuda vox ſtricte ſumta talem ſignificat,quam vir non cognovit,cur hoc adjecit,ſi Betulah non eſt etiam juvenca? Druſ.

ptam, quæ nunc primum nupſerat; vel quod alterum non ſolum denotet virum, qui revera duxerat uxorem, ſed qui deſponſatam habebat nondum geniali pompa celebrata. Qui priori expoſitioni ſe mancipant, eorum non poſtremus eſt Kimchi, qui verba ſic explanat: Hæc dicit ad congregationem Iſraelis, Plange propter illud malum luctumque age gravem, ſicuti virgo, quæ nupſit adoleſcenti, qui mortem ſubit, dum illa adhuc eſt puella, quia tunc *p)* utriusque lætitia maxime viget, unde ea, cum moritur, graviter dolet locoque ſuorum cirueliorum atque ornamentorum induit ſe ſacco: Hancque explanandi rationem tanquam maxime planam *q)* diverſi ſequuntur. Alii tamen accipiunt hoc nomen ſenſu ſtrictiſſimo & maluntamplificare alterum, adeo, ut non ſtricte pro *r)* marito ſit ſumendum, ſed pro quodam, qui mulierem deperit eamque ſibi deſponſatam habet, quacum tamen non conſuevit. Sic intelligendus per maritum, inquit *Piſcator, is, qui uxorem virginem ſibi deſpondit quidem, ſed nondum cum ea conſuevit, quippe mortuus ante conſuetudinem conjugalem.* Eandem videtur ſententiam fovere Autor verſionis Arabicæ MS. non adeo transferendo nomen poſterius, quod vertit زوج *maritus*, quam prius vertendo عاتق quod ſignificat puellam matrimonio aptam, at nondum a parentibus ſeparatam ad commorandum cum præſtituto marito لم تبن من اهلها الي زوج *Jaubari.* Eſt & aliud in *Piſcatore* obſervatione dignum, quod ſcilicet, quæ noſtratibus & aliis redduntur *maritum adoleſcentiæ ſuæ*, quod idem eſt ac ſi dicas, cui nupſerat in adoleſcentia ſua, ille ſecundum literam denotare velit, *maritum juvenem ſuum*, adeo ut ætatis mariti hic rationem haberi, non ſponſæ, ducat. Atque in eo videtur ipſi quoque accedere *Grotius*, cum explanationi verborum adjiciat, *ſolent enim mariti a fœminis magis amari, quibus adoleſcentulis adhuc nuptæ ſunt.*

 Sed

p) Ita Aben-Ezra בימי שמחתה in diebus lætitiæ ejus. *q)* Betulah ætatis hoc non integritatis nomen. *r)* Non videtur ſibi conſtare Mercerus, cum in prioribus ſuis notis in hunc verſum dicat *Baal* proprie ſignificare *Amaſium*, non *maritum*. In poſterioribus autem non *Amaſium*, ſed *maritum qui jus habet in uxorem*. Rurſus in prioribus notis Hoſ. 2,18. dicit *Baal* utrumque denotare, *Dominum* & *Amaſium*; & in poſterioribus falſum eſſe, quod quidam ſtatuant, *Baal* hebraice denotare *Amaſium*.

Sed hujus conſtructionis quanquam exempla, quæ adducantur, non deſint, tamen rigidam eſſe magis, quam priorem, certum eſt. Nec novi ſatis, utra magis vel æque multum rei ſubjectæ conveniat, quia mœroris illius vis exprimitur, qui potiſſimum locum invenit apud tales, qualis hic nobis ſiſtitur virgo (deſponſata vel juvencula) recens conjugata, quæ immatura morte amiſerat (ſponſum) vel maritum ſuum. Nec alienum eſt conjicere, florem ſuæ ipſius ætatis æque auxiſſe vim mœroris, atque adoleſcentiam mariti; hinc uttrumque hic notari non obſcure liquet, & juvenculam fuiſſe recens nuptam, & juvenem, quem tam impenſe amaverat, cujusque manes adeo copioſe deplorabat, atque omnia doloris inſignia edebat, ita ut ab ejus conditione apta deſumta ſit comparatio *u)* ad graviſſimum luctum arguendum.

Græca, quamvis ab aliis diſcrepare paululum videatur verbis, ſenſu tamen convenit, cum habeat, *Θρήνησον πρός με ὑπὲρ νύμφην περιεζωσμένην σάκκον, ἐπὶ τὸν ἄνδρα αὐτῆς τὸν παρθενικόν.* Quam Arabica impreſſa ſequitur: نوحي علي اكثر من عروس اتزرت بالمسوح علي رجلها العذروي Quæ ſic vertit Vetus eorum latinus Interpres: *Plange ad me ſuper ſponſum accinctum cilicio, ſuper virum ſuum virgineum;* quod anglice deberet reddi: *Lament to me above* (or more then) *a bride* (or nevv married vvoman) *girded with ſackcloth, for her virgin husband;* qua in verſione additur *πρός με, ad me*, quod textus Hebraicus non agnoſcit, cujus cauſam Druſius divinat fuiſſe hanc, quod duplici ratione poſſit reddi vox אלי, *Eli*, quæ cum ſic legatur, notet *plange*, ſed iisdem literis *Elui, ad me*, quarum utraque antiquis quibusdam ſcriptoribus inveniatur conjuncta; ita ut ad conciliandum id cum textu hebraico ſupponat poſteriorem ſignificationem eſſe protinus extrudendam. Pari modo ſupponit *ὑπὲρ νύμφην*, quæ deberent verti *ſupra* vel *plus quam* novam nuptam, initio ſcriptum fuiſſe *ὥσπερ, ſicut*, quod congruit voci hebrææ כבתולה *Cibtulah*, erroreque amanuenſis vel librarii mutatum in *ὑπὲρ*: Per *ἄνδρα αὐτῆς τὸν παρθενικὸν, virgineum ſuum maritum* intelligit *Hieronymus*

u) Livcley.

nymus juxta cum aliis, primum ejus maritum, qui eam ducebat cum adhuc esset virgo, w) qui eo nomine indigitetur, *quod primus flores virginitatis abstulerit.*

Quorsum alludi censeat *Abarbinel*, ab hujusmodi virginis conditione hanc comparationem desumendo, ex ea verborum paraphrasi apparet; *Plange o congregatio Israelis, quæ eras olim sicut virgo, quatenus nulla unquam gens tibi dominata fuit, & accinge te cilicio propter maritum adolescentiæ, qui Deus est* (benedictus in æternum) *quia augusta ejus præsentia decessit a te.* Quod ab Hieronymo accepisse videtur x) qui eandem ferme tuetur sententiam.

9. *Succisum est sacrificium & libamen a domo Jehovæ, lugent sacerdotes ministri Jehovæ.*

Si ad literam hæc verba sumenda sunt, declaratur, quare prædicta ratione ipsis sit lugendum totique præterea illorum cœtui. Respici tamen adhuc in specie supra memoratos ebriosos, Autor est *Aben-Ezra*, qui ea verba confirmationis loco habet, cujus antea mentio injecta erat, *quod* nimirum *excideretur vinum ex ore illorum*, ac si diceret: unde vobis vinum suppetet, quo tam copiose & ad excessum usque uti solebatis, quando sacrificium & libamen, necessarium officium atque totius cœtus oblatio, quod, si ulla tantum præstandi sese offerret occasio, nequaquam omitti debet, *succisum est a domo Jehovæ* (nulla re amplius ad sacrificium existente) *ut Sacerdotes ministri Jehovæ lugere cogantur.* illorum tam misere laborantes defectu? Verum magis placet, ad totum cœtum iterum direxisse hæc verba Prophetam, quibus haud obscure docet, quare plorandum sit non tantum ebriosis, quibus & necessariis non sit satis, verum & iis, qui nil amplius expetebant, quam necessarius usus exigebat, cum vel id ipsum, quo sine vota Deo persolvere pares non erant, cujusque rationem majorem habere tenebantur, quam aliarum rerum, sive ad proprium commodum sive ad voluptates spectantium, succisum esset ab illis. *Hoc sacrificium & libamen*, inquit, *est succisum*, quia, secundum

---

w) At Cyrillus exponit id per παρθενικον τε και εφηβον νύμφιον, ac si denotaret ætatem viri integram, ut apud alios videre est. x) Vide *Ar. Mont.*

cundum literalem sensum verborum præcedentium, vermiculi isti perniciosi *v.4.* omnes terræ fructus populati erant, unde ea conficiebantur. Qua in re consistat, undeque conficietur מנחה *minchah* sacrificium, consignatum extat *Levit.2,1.&c.* & *6,14.&c.Num.15,4.&c.*&*28,5.&c.* Vox ea quidem generaliter alibi accipitur pro quovis dono vel oblatione, at præcipue sacrificio attribuitur in lege, cujus præcipua pars *y)* erat *simila.* Libamen appellatur נסך *Nesec* & fiebat ex vino, ut eodem capite describitur *Num.15,5.*&*28,7.14.* Tritico vero & vino, ex quibus ea conficiuntur, ab erucis, locustis, & aliis harum similibus creaturis noxiis adeo vitiato, ut amplius fructum nihil expectandum esset, necesse erat, ut succideretur simila & vinum. Cumque adeo invalesceret illarum rerum defectus, ut non amplius restaret, quo rem sacram in domo Dei sacrificiis & libaminibus ritè administrarent, certum est tantam fuisse penuriam, ut ad plangendum eo, quo describitur, modo non potuerit non excitare, & totum populum, qui ea perpessus est, quemque hic ad plorandum provocat Propheta, & præcipue Sacerdotes, qui rerum sacrarum in domo Dei curam gerebant, atque eas, quamdiu earum suppetebat copia, indesinenter, prout officii eorum ratio exigebat, offerebant. Hinc cum totum cœtum acerbissimos jubet edere luctus & gemitus, lugere jamjam eos affirmat. LXX. quidem hanc legunt vocem אבלו, quam alii præsentis vel præteriti temporis volunt, *lugent* vel *luxerunt*, modo imperativo, πενθήσατε, lugete, eoque non adeo præcedentibus verbis eam conjungunt, quam consequentibus, quibus simili modo indicatur quare ipsis sit lugendum, atque iis, quæ ad populum antea dicta sunt. Quæ quantumvis non adeo cum reliquis constructione conveniant, sensum tamen non multum immutant, quippe eandem tantum lugendi causam ipsis injungunt. Quare autem sacerdotes cumprimis hic in considerationem veniant, *a)* duplici ex ratione factum esse probabile est. Quarum una est, quod magno amore atque zelo flagrarent erga cultum divinum, qui illo tempore absque

y) Cum *Minchah* sit fœminini generis, MS. Arabicum præfigit *Korban*, quasi subintelligatur, ut expresse habetur Levit. 2, 5. quia verbum הקרבן masculini gen. est.
a) Hieronymus.

absque his ſacrificiis, quæ cum aliis neceſſario erant conjungenda, nequaquam ea, qua par erat, ratione poterat præſtari; Altera, quod domeſticis ſumtibus privarentur, quos Deus ex ſacrorum miniſteriis inter alias tribus iis deſignaverat, ita ut in terra illorum nullam aliam haberent poſſeſſionem, neque partem inter eos, *Num. 18, 8. 9. & 20.* Syrus inter lugentes etiam, quamvis, qua ratione nitatur, prorſus ignoro, recenſet reges, cum ea verba reddat: ܥܒܪ ܣܡܝܕܐ ܘܢܘܣܟܐ
ܡܢ ܒܝܬܗ ܕܡܪܝܐ ܝܬܒܘ ܡܠܟܐ ܒܐܒܠܐ *Simila* (ſacrificium) & *adſperſio* (vel libamen) *abiit* (vel deceſſit) *a domo Jehovæ, Reges ſedent* (vel ſederunt) *in mœrore, & ſacerdotes miniſtri Jehovæ.* Non eſt translatio, quarum quidem cognitio huc usque ad nos pervenit, quæ vocem *Reges* agnoſcit, nec in Textu Hebraico aliquid invenitur, quod huic voci reſpondeat, quove veriſimiliter ſaltem poſſet niti, præterquam quod duplici ratione vox *Cohanim* reddita cenſeri poſſet, quaſi æque notet *reges* atque *ſacerdotes*, quarum utramque ſignificationem forſitan autor voluerit retinere, quia utrosque hic innui ratus ſit. Id adfirmare certe habeo, quod in Gloſſario Hebræo-Arabico quodam כהן سلطان *Soltan regem* reddi non minus, quam *ſacerdotem* repererim, atque tum præcipue locum habere, cum dicitur, *Tu es* Cohen *in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.* Uſitatum eſt quoque alibi pro Principe vel magnate; verum non conſtat dilucide, num ejus rationem habuerit Syrus nec ne: at nulla plane eſt ratio, cur eum in eo ſequamur. Quæ adduntur, ut conſtare poſſit, quinam intelligendi ſint, videlicet *verbi miniſtri*, vel qui res ſacras Deo adminiſtrant, evidenter vocem reſtringunt ad *Sacerdotes*, quibus prædicta ex cauſa plorandum erat.

Qui allegorico ſenſu per noxias creaturas indigitari cenſent hoſtes Judæorum, horum alii per deciſionem ſacrificiorum & libaminum a domo Jehovæ intelligunt *b)* depópulationem regioni illatam ab illis hoſtibus, qui fructus terræ delebant; *c)* alii vias ſimul impervias ab iis redditas, quo minus ex aliis locis transferrentur, quæ ad templi miniſteria pertinebant. *Abarbinel* alia ratione procedit,

F cum

---

b) Ribera, Menochius. *c)* Gvalt.

cum destructionem templi, ut fit *v. 10*, hic notari statuat, ita ut quæ sacrificanda erant non adeo dicantur succisa propter illorum defectum, ex quibus fiebant, quam quod *d)* locus, ubi more solenni offerebantur, esset destructus. Verum ex ipsis verbis *e)* contrarium elucescit, quippe calamitas erat plaga, quæ immittebatur integro adhuc templo. Non dicitur, domus succidetur a sacrificiis, sed sacrificia a domo, & quomodo dici possunt ab ea succisa, quæ non amplius erant in rerum natura?

10. Vastatus est ager, luget terra, quia vastatur frumentum: Mustum exarescit, languet oleum.

Pergit in descriptione hujus calamitatis, quæ jamjam venerat, vel certo ventura erat, atque particulatim jam exhibet, quibus in rebus potissimum sese sint exsertura tristissima fata. Hæcque tam accurata omnium descriptio, crebraque ejusdem pluribus verbis repetitio, quod paucioribus potuisset capi, indicium videtur nonnullis ingentis *f)* stupiditatis incolarum, qua, licet tanta malorum serie premerentur, ut quam maxime eam debuissent sentire & sub ista suspirare, non tamen curabant, ita, ut considerassent causam mali, & respexissent ad illum, qui id propter detestanda ipsorum peccata immiserat, & ad pœnitentiam commoti fuissent. In specie vero dicit: שדד שדה *Schuddad Sadeh*, *vastatus est ager*. Id scilicet verbum notat vastare, destruere, spoliare & diripere. Chaldæus habet אתבזזו חקליא *agri sunt spoliati*, nec non Syrus ܐܬܒܙܙ ܚܩܠܐ & MS. Arabicum نهب الصحرا *ager est vastatus*, vel spoliatus, literali sensu retento, a locustis &c. quæ absumebant, quicquid in eo vernabat. Græci habent τεταλαιπώρηται, vel in aliis apographis τεταλαιπώρηκε, quæ vox cum bis in hoc versu occurrat, ab interprete latino altero commate reddita est, *desolati sunt campi*, altero, *afflictum est triticum*, id est, male habet, in pessimo statu est. Vulgatus, *depopulata est regio*, cujus vestigiis insistunt *Duacenses*: Alii recen-

d) Ita Interpretes Duacenses in suis notis: Hierosolyma superata, & templo Babyloniorum irruptione devastato, sacrificia ex mente hujus & aliorum Prophetarum cessabant. *e)* Bochart. *f)* Calvin.

recentiores, *vastatus est*, ut & nostrates, *privatus est g) omni suo fructu & incremento. Luget terra* אבלה אדמה *Abelah adamah*, luxit terra, Vulgatus, luxit *humus*; præteriti temporis revera est verbum hebraicum, ita ut Syrus ܘܐܬܒܠܬ ܐܪܥܐ *& terra sedit in mœrore*, & MS. Arabicum حزنت الاديمة *terra fuit tristis* vel mœrore gemens. At non est, quod acute interpretationes has rimemur, utrum præterito, an præsenti, vel futuro accommodatius verba sint reddenda, cum horum cuilibet forma præteriti temporis possit accommodari. LXX. vero, licet verba præcedentia præterito perfecto, quo cum præcedentibus etiam conjungantur, reddiderint, imperativo tamen modo ea hic vertunt, πενθείτω ἡ γῆ, quos sequitur Arabica impressa لتحزن الارض *lugeto terra*, vel esto tristis, quantumvis ex usu hebraicæ formæ non sit, quo eos fuisse *h)* nixos appareat. Nos igitur eo collineantes quoque expressum hic esse, statuere possemus tam lugubrem rerum statum, ut & creaturas sentire nescias, imo ipsam terram ad lugendum provocare & impellere valeat.

אדמה Adamah *Terra* (luget) i. e. inquit Aben-Ezra אבלו יושביה *incolæ ejus lugent*, atque ita etiam Hieronymus ante eum, *qui versantur in humo*, vel quæ vivunt in ea animantia, atque de illis magis proprie dici videtur, quam de iis, qui damnum sentiebant. Aliis tamen ἐμφατικώτερον videtur, id referri ad ipsam terram, cum & in aliis locis ad eandem & suam in ea contentarum rerum faciem exprimendam eodem modo adhibeatur, ut *Esa. 24, 4. Terra luget & languet*, & *Jer. 4, 28. Ad hæc lugebit Terra*, & *12, 4. Quousque lugebit terra?* ut *i)* reliqua dicta jam non adducam. E contrario, quando spirant arva croceis vestita floribus sorteque placida utuntur, colles dicuntur exultare, vallesque plaudere, ut canit *Psal. 65, 12. 13.* Nec inusitata est aliis linguis hæc figura, quippe prata dicuntur etiam illis *ridere*, & *lætus ager*, quando campi vernant & floribus numerosis sese conspiciendos præbent; sicut contra, cum sunt desolati ac omnibus

F 2 bus

g) Vatab. h) Merc. i) Ita *Lam. 2, 8.* Et luctum affert præmunitioni & muro pariter languescentibus.

bus his prorſus deſtituti, lugere, triſtes eſſe, mœſta facie ac lugubri habitu dicuntur. Paraphraſtes Chaldæus magis rationem habet ſubjecti, de quo ſermo eſt, quam vocis proprietatis, ideoque reddit: חרובת ארעא regio vel terra eſt *k)* deſolata. Interea manifeſtum eſt, qua ratione ad incolas ſpectet quod de terra dictum eſt. Si enim luget ut deſolata & proventibus orbata, neceſſario lugebunt, qui ex proventuum ubertate vitam ducunt & absque iis ſubſiſtere vix poſſunt. Quare vero terræ lugendi cauſa ſit, ex verbis ſequentibus apparet, quibus tropologico iterum ſermone triſtem earum rerum faciem depingit, quibus bene ſe habentibus exultare ſolebant & criſtam erigere incolæ. Scilicet quia שדד דגן *Schuddad dagan, frumentum devaſtatur*, vel ut *Genevenſis, deſtruitur.* Eadem vox eſt atque antecedens, eodemque modo a noſtratibus expreſſa. Quod etiam fecit Græca, Syriaca & MS. Arabicum. Sed differt Chaldæus non adeo quidem ſenſu, quam voce, quia, quod ibi reddit per *Embezitu,* ſpoliantur, hic exprimit per סף *Saph,* conſumitur, deſtituitur. Sic & Vulgatus priori loco habet *depopulari*, poſteriori *devaſtari.* Id nimirum, quod omnium maxime fructuum terræ præſtat, quo vita mortalium ſuſtentatur, quod hominis corroborat vires atque unde petebatur ſubſtantia *minchah* vel ſacrificii, quod Deo immolabatur, id, inquam, deeſt illis, vel a *l)* noxiis ante memoratis vermiculis corruptum vel abſumtum: vel ut *m)* quidam ex ſequentibus colligunt, *per nimium æſtum ſolis.* Porro eundem ſtatum alia ratione depingit הוביש תירוש *Hobiſch Tirosh, Muſtum exareſcit,* ita textus noſter; verum in margine, *pudefit:* cujus diverſitatis ratio eſt ambigua ſignificatio vocis הוביש *Hobiſch* in textu originali, quæ interdum ordinariam retinet ſignificationem verbi יבש *Jabaſch exareſcere;* interdum vero verbi בוש *Bosh,* quod notat *pudefieri.* Cumque harum radicum *n)* formæ atque hinc etiam notationes multifariam plerumque miſceantur & confundantur, factum eſt ut interpretes hic ſibi non conſtent, quod de antiquis quoque affirmare habeo, quippe LXX. reddunt ἐξηράνθη exareſcit, & Chal-

k) Et quidam alii, *deſolata eſt terra.* Pag. *l)* Cyrill. *m)* Piſ. Dan. Tarnov. per nimium æſtum & inſecta varia. *n)* Buxt. Lex. in יבש & ibid. Schindl.

Chaldæus *vites aruerunt;* ſic & Syrus & Arabica impreſſa, cum non paucis aliis recentioris ævi; ſed Vulgatus: *o) confuſum eſt vinum,* quo convenit MS. Arabicum: כצי אר— מסתאר *muſtum eſt pudefactum.* Nec hodiernis admodum in eo convenit & ſunt Rabbinorum Hebraicorum nonnulli, qui utrique ſignificationum congruere ſtatuunt; ſic *p)* R. Tanchum يجوز ان يكون في معني الخزي والخجل وذلك اسعارة لانقطاعه ويجوز ان يكون من معني اليبس والجفاف مثل הובשת נהרות איתן لكنه كيف كان ذاتي غير متعدي وان كان من بنية הפעיל i. e. *fieri poteſt, ut ſignificet pudorem & confuſionem, & ſic metaphorica expreſſio eſt defectus illorum; & fieri poteſt, ut ſignificet ſiccitatem & tabem, ut in Hobushta Neburoth Eiton,* exſiccas potentes fluvios *Pſ. 79, 15. qua ratione accipitur ut intranſitivum, quantumvis ſit conjugationis Hiphil, in qua verba plerumque ſunt tranſitiva.*

Et hæc eſt vocis notatio, quæ cum utrique ſignificationi accommodari poſſit, diverſas in ſententias traxit interpretes, quorum quisque eam ſeligit quæ ſcopo ſuo quam maxime videtur convenire: Quam noſtrates alteri præferant, ex textu illorum apparet; Verum ne lectori judicandi atque eligendi præriperent facultatem, margini appoſuerunt quoque alteram, quam viri quidam eruditi præhabent, ut vidimus, utpote qui accommode hic autumant deſcribi fruſtrationem vini, & voluptatis, quam ex eo capiebant, ita ut per metaphoram *q)* affici dicatur, ſicut homines, qui erubeſcunt ac pudore ſuffunduntur, quotiescunque earum rerum ſpe excidunt, quas vel *r)* expectare erant juſſi, vel ipſimet expectabant. Quod porro vocis notatio, quantumvis *s)* hominibus duntaxat ac ſenſu & vita præditis creaturis proprie congruat, etiam ſenſu deſtitutis per figuram apte poſſit applicari, manifeſtum reddunt *t)* nonnulli ex eo, quod eadem ſignificatione uſurpetur *Jeſ. 33, 9.* ubi החפיר *Hechephir,* quæ ſolummodo

o) Et Duacenſes. *p)* Et Kimchi. *q)* Tanta cultores fruſtratione decepti, ut mendacium ſuum videantur erubeſcere. Ruff. Vide ſis Kimchi & Druſ. *r)* Lively. *s)* Sic hoc loco accipit Pet. a Figur. ſcil. pro cauſa pudoris, quo ſuffundebantur illi, qui ſpe ſua excidebant. *t)* Livel. Bochart.

modo notet, *pudere*, nunquam vero *exarescere*, dicitur de *Libano*, Libanum *pudet*. Verum enim vero, licet quoad sonum illarum significationum quædam sit differentia, quoad sensum tamen aut exilis aut nulla est, quippe vinum pudefactum est, succo uvarum siccatione adeo destituto, ut cultoris expectationem, qua majorem sibi sperabat, quam accipiebat, copiam, protinus explere non potuerit: quocunque igitur sensu id lector acceperit, sive proprio sive improprio, cum utrumque vox ferre non recuset, rei diversitas nulla erit. *Castalio* habet, *fœdatum vinum*, ita scilicet ut exinde pudorem contraherent cultores. אמלל יצהר, *Umlal ytshar, Oleum languet*, *u)* vox ea notat الضعف والوهن *infirmitatem & languorem* ut *Abu Walid*; vel ut David Kimchi הולשה וכריתה *infirmitatem & excisionem*. Græcus reddit ὠλιγώθη, *diminutum est quantitate*, ut & Arabica impressa نقص Chaldæus נתרו זיתיא *olivæ deciderunt*. Sic etiam *w) Buxtorffius*. Alii *x) defluxerunt olivæ*, vel *y) Oleæ*, & Mercerus, *foliis spoliatæ sunt olivæ*; vel ut in notis suis super hunc locum, *defluxerunt* (foliis scilicet,) *oleæ*, Vulgatus, *elanguit oleum*. Syrus ܡܬܦܣܩ ܙܝܬܐ *oleæ amputatæ sunt vel destructæ*, MS. Arabicum انــتـقــف الدهن אנקף אלדהן, quod *z)* præsuppono legendum *Enkaffal dohn*, ac transferendum, *oleum exsiccatum est*. Diverse diversi recentiores translatores habent, ut *fracuit oleum, excisum est, exterminatum est, infirmatum est, a) deformatum est, b) periit, languit, & elanguit*. Paucis, olei *c)* corruptio indigitari videtur, cujus nec integritas nec quantitas tanta erat, ut pro more usui esset aut fieret vel in sacrificiis, quæ immolabantur Deo, vel in sua ipsorum ratione vivendi. Hæc tria, *frumentum, vinum & oleum*, cum tanti inter eos essent, ut sine iis nec ea persolvere possent sacrificia, quæ lege erant sancita, & necessario ex iisdem constituebantur; nec vitam agere jucundam, quippe quæ, ut Kimchi ait, רוב חיי האדם *maxima pars humanæ vitæ*; panis scilicet ad animum corroborandum,

u) Vid. Hos. 4, 3. *w)* Lex Chald. *x)* Bib. Polyglot. *y)* Pet. a Fig. *z)* Vel potius انتقص ut v. 11. infirmatum. *a)* Drus. *b)* Fig. a Cast. *c)* Parum provenire morbo & erubigine corruptis oleis. Pet. a Figuiero.

dum, vinum ad exhilarandum, & oleum ad reddendum gratum adſpectum, cumque iis privarentur tam miſere, non poterat non maxima enaſci occaſio lugendi, non tantum ſacerdotibus & miniſtris Dei, verum & omnium ordinum inter eos hominibus: Quare eorum conditione hac in re rite propoſita, etiam cæterorum nobis ſtatum condocefacit. Ad eos enim ſuam orationem ſequenti commate dirigit, qui rerum illarum cura maxime tanguntur, & in illis præcipue, qui laborem ſuum iis locant, adjuncta etiam mentione defectus rerum aliarum, quæ ad rationem jucunde vivendi ſumme neceſſariæ ſunt.

11. Erubeſcite, agricolæ, ejulate, vinitores, propter triticum & propter hordeum: quia meſſis agri periit.

12. Vitis exaruit, & ficus elanguit, malus punica etiam, palma & malus, omnes arbores agri arent, quia gaudium exaruit a filiis hominum.

Vox prima הובישו *Hobbiſchu* ejusdem formæ eſt cum הוביש *Hobiſch* præcedentis commatis, quæ a noſtratibus redditur, *exaruit*, & in margine, *pudefactum eſt*, utpote quæ utramque ſignificationem patitur, nec quicquam derogat hujus loci ſenſui, quacunque etiam acceperis: Sed idem *R. Tanchum*, quem diximus id annotaſſe eo in loco, dicit quod hic الخرب تخجل بلا شك procul dubio *pudoris ac confuſionis* ſignificationem habeat. LXX. nihilominus eam altera ſignificatione ſumunt, nimirum, qua communiter ſolet legi & diſtingui, cum reddant ἐξηράνθησαν γεωργοί, ſicut & Arabica impreſſa, quæ eos ſequitur جفت الفلاحون *Agricolæ exaruerunt*, quæ ſenſum certe reddunt durum, eoque corrigenda videntur, ac alia ratione diſtingui, quod Cyrillus facit, ita ut juxta eum ἐξηράνθησαν tantum ſit ejus repetitio, quod in præcedentibus verbis dictum eſt, videlicet *ea*, de quibus antea dictum, exaruerunt; novamque nomine juncto cum verbo ſequenti: γεωργοὶ θρηνεῖτε κτήματα, *agricolæ lugete poſſeſſiones*, ſequentia conſtituant periodum, ut ſtatim ſumus viſuri.

visuri. Attamen alii ſunt & hujus & antiquiorum ſeculorum, qui meo quidem ipſius judicio perbelle prædictum verbum ſenſu erubeſcendi arripiunt, quod a nomine *agricolæ* regatur; differunt autem in ejus modo & tempore, quippe quidam præterito illud exponunt & ut Vulgatus, c) reddunt, *confuſi ſunt agricolæ*, cui Syrus ſuccinit ܒܗܬܘ ܐܟܪ̈ܐ ex translatione latina, *erubuerunt agricolæ*. Et hodierni interpretes, *Junius* & *Tremellius*, *erubeſcunt*, & alii ad eandem mentem, d) *pudet* vel *diſpudet agricolas*. Alii vero malunt illud accipere modo imperativo, ut Chaldæus בהיתו אכריא *erubeſcite agricolæ*, & MS. Arabicum اخزوا يا اكارين, quia utrumque admittit forma modum. *Kimchi* notat, *imperativi modi* hoc verbum æque eſſe atque ſequens צווי, quod etiam diverſis aliis non minus ac noſtratibus in interpretationibus noviſſimis arridet, tanquam e) maxime conveniens & emphaticum: *Erubeſcite*, vel ut interlinearii, f) *pudore afficite vos agricolæ*. Sicuti vero utraque interpretandi ratio optime congruit verbi formæ, ita & ſenſum neutra infringit, calamitatis magnitudinem, qua erant obruti vel obruendi, quæque non niſi magnum luctum eumque jure merito deberet provocare, ambæ exprimentes. Si præterito ſumatur tempore, quid jamjam effecerit, indicat; ſi imperativo modo, quid in illis merito deberet efficere, ut *Kimchi* ait: כי ראוי לכם שתבושו *quia æquum eſt ut pudore ſuffundamini, quandoquidem omnis labor ac opera in agro eſt in vanum;* ut ex ſequentibus manifeſtum redditur. Ad quos vel de quibus hic loquitur, ſunt אכרים *Iccarim*, Chaldæo אכריא *Iccarya*, Syro ܐܟܪ̈ܐ *Acare*. MS. Arabico اكارين *Accarin*, quæ omnia ab eadem radice *Acar*, omnibusque ſignificantur, עובדי השדות, agrorum cultores, ut *Kimchi*, vel ut *R. Tanchum* الفلاحين الذي يحرثون الارض *aratores vel agricolæ, qui arant vel colunt terram*. Numerus ſingularis אכר *Iccar* occurrit *Jerem. 51, 23.* quem exponit *Abu Walid* אכר והו אלדי יקלב אלארץ באלחראתה *agricolam, qui arando terram vertit.*

Quæ

c) Duacenſ. d) Druſ. a Caſt. e) Merc. Tarnov. f) Munſt. Pagn. Tigur.

Quæ ſequuntur הילילו כורמים *Helilu Ceremin* reddduntur, *ejulate vinitores.* Primum, verbum Helilu a ילל *jalal* ejulavit, ejusdem ſtatus atque formæ *g)* eſt cum antecedenti *Hobishu*, ita ut nihil interſit, ſive tempore præterito, ſive modo imperativo verteris, quare & a quamplurimis non ſecus ſumitur quam antecedens. Hinc quibusdam placet præteritum, ut Vulgato *ululaverunt vinitores*, & Syro ܘܐܝܠܠܘ ܟܪܡܐ *Waïlelu carme*, quæ interpres latinus vertit, *ululaverunt vinitores*, Jun. Trem. *ejulant vinitores*; aliis vero modus imperativus, ut Chaldæo אליליו מפלחי כרמיא, juxta *h)* uſitatam translationem, *ululate cultores vinearum*, & *Mercero*, *ejulate* &c. (licet *i)* nonnulli & hoc & præcedens verbum malint accipi tempore præterito, *pudefacti ſunt agricolæ, ululaverunt vinearum cultores*, formis nil quicquam refragantibus) nec non MS. Arabico ولولوا يا كرّامين *ejulate vinitores*: ita vero accipiendum eſſe una cum præcedenti, notat *Kimchi*, & ſunt *k)* recentiorum interpretum, qui ita accipiunt. Sola hic a cæteris differt Græca, & quare eam ſequitur, Arabica impreſſa cum verborum alterum tempore præterito, ἐξηράνθησαν, alterum imperativo modo θρηνεῖτε, *ejulate*, interpretata ſit. Quos hic alloquitur Propheta, vel de quibus ipſi ſermo eſt, ſunt כורמים *Coremim*, i.e. עובדי הכרמים, *Ovede hocceramim*, (Kimchio exponente) tales qui vineis ordinandis, plantandis & colendis adhibentur. Ita Chaldæus מפלחי כרמיא *Mephalechi carmaya*, cultores vinearum, Syrus ܟܪܡܐ *Corme* & MS. Arabicum كرّامين *Carramin*, ejusdem radicis, ſonus ac ſignificationis verba cum hebraico. Notat enim *vinitores*, ut reddidit Vulgatus & cum eo ferme omnes recentiores præterquam Græca & Arabica impreſſa, quippe ea habet κτήματα, hæc مواشي *Cattel*. Quod ut cum textu hebraico concilient nonnulli conjectant, eos loco *Coremim* vinitores, legiſſe *Ceramim*, quod ſignificat *vites*, atque græce ſcriptum extitiſſe κλήματα, quod notat vitium *propagines*. Ita quidem conjicit *Mercerus*, quam emendationem non malam eſſe pronuntiat *Druſius*; ſed cur ea amplectenda

G ſit,

g) Kimchi. *h)* Polyglot. *i)* Pet. a Fig. *k)* Pagn. Tigur. Munſt.

ſit, nulla prorſus eſt ratio. Probabile quidem videtur eos *Coremim* pro *Ceramim* accepiſſe, verum quod κλήματα ſit legendum, non κτήματα, evidens certe non eſt, cum id autoritate apographorum ullorum notorum non nitatur, imo iisdem potius omnibus, ut & veteri latinæ verſioni τῶν LXX. apud Hieronymum contrarietur, qui illud vertit *poſſeſſiones:* id quod ex Arabica quoque manifeſtum fit, quæ habet, *cattel*, quod poſſeſſionis notione venit, (quantumvis non talem, qualem græca videtur innuere) non *vitium propaginum.* Præterea eadem vox כרם *Cerem*, alias quoque vertitur per κτῆμα, ut communiter legunt, quæ græca habemus, apographa. Ita *Prov. 31, 16.* quod in hebræo eſt נטעה כרם *Natcah Cerem*, plantat vineam, Græca reddit κατεφύτευσε κτῆμα, *plantavit poſſeſſionem.* Et *Hoſ. 2, 15.* ubi eſt כרמיה *Cerameha*, redditum eſt τὰ κτήματα αὐτῆς, quo in loco legendum putat Druſius κλήματα, *vitium propagines*, ut hic *Mercerus*; ſed quæ ibi mutandi ratio fuerit, ibi vidimus, & minorem hic eſſe præſupponimus, quia κτήματα, *poſſeſſiones*, quamvis non ſimpliciter notent vineas, melius eas exprimit quam ea vox, quæ non niſi plantas ac ramos ſignificat, lecto *Ceramim* vineas pro *Coremim* vinitores: Verum cum ita legatur (ſcil. κτήματα) vel aliter, quæſtio oritur, quomodo ea vox ſumenda ſit? Nimirum utrum regat verbum, an a verbo regatur? Primo modo ſumitur, lectione uſitata retenta, *ejulate o poſſeſſiones*, ſed *Cyrillus* alia diſtinctionis ratione adhibita, aliam etiam videtur ſequi rationem interpretandi, *lugete poſſeſſiones*, ut hoc ex explicatione ejus elucet, qua procul dubio illum rerum in agris interitum in mœrorem injecturum eſſe eos indicat qui terram colunt. Hujusmodi difficultates ac ſcrupuli oriuntur ex verſione, at evaneſcunt, ſi plana retineatur lectio textus hebraici atque eorum interpretatio, qui ei adhærent, ut ſunt noſtrates & alii.

Qui jubentur ejulare, ſunt *Coremim, vinitores*, quorum poſſeſſiones ac emolumenta erant vineæ, in quarum ubere fructuum ſegete ac incremento omnis erat collocata voluptas ac commodum cum ſui ipſius, tum aliorum, qui una cum ipſis inhabitabant terram ac laborum ſuorum fructibus gaudebant. Nec deeſt hic ulterior lugendi ratio in ſequenti verſu, quanquam in præcedentibus plus ſatis ſit

expo-

expoſita, præfigitur tamen, cur prædicti agricolæ jubeantur *pudeſieri*, in hoc verſu, videlicet *propter triticum* & *propter hordeum* &c. frumentis præcipuis hominum uſui deſtinatis, in quorum cultura agricolarum cura conſiſtit, & ex quorum grato incremento ſpes omnis & patrimonium dependet, adeo devaſtatis (ut retineamus ſenſum literalem prædictum) *l)* a locuſtis & aliis noxiis creaturis ſupra recenſitis (vel ut alii ab hoſtibus) ut nulla omnino fructuum colligendorum meſſis ſit expectanda, gravis naſcitur cauſa, ut pudore ſuffundantur ac confundantur, qui talibus omnibus perditis ſpe ſua fruſtrati ſunt, etſi ad totum etiam regionis populum ea reſpicere nullus dubitaverit, qui jacturam omnium rerum ad vitam neceſſariarum conſideraverit; ita ut gravem ac generalem hic depingat calamitatem, qua omnes eo redigere vult, ut eam advertant, tanquam ſignum iræ divinæ, quam ſibi accerſiverant, præſertim cum & aliorum fructuum, quorum jacturam vel corruptionem vinitores jubentur dolere, in ſequentibus mentio fiat. Latet interea prorſus, quam ob rationem LXX. hæc verba קְצִיר שָׂדֶה *Ketſir Sadeh*, *meſſis agri per vindemiam* reddiderint τρύγητος ἐξ ἀγρῦ. Et Arabica impreſſa القطاف هلك من الحقل *vindemia periit ex agro.* Quamvis enim generalis ſit meſſis ſignificatio & ad collectionem omnium fructuum, ut uvarum &c. extendi patiatur, magis tamen proprie ac ſtrictius, quod apparet, hic ſumitur pro collectione & meſſione tritici & hordei, circa quæ אִכָּרִים *Iccarim* vel agricolæ inprimis ſunt occupati atque ideo in ſpecie jubentur pudefieri ὑπὲρ πυρῦ καὶ κριθῆς, ut Græca verſio habet, propter triticum & hordeum. Prorſus enim perſuaſum habeo, non bene intellexiſſe hæc verba Arabem qui LXX. ſequitur, cum ſenſu omnino corrupto legat اكثر من القمح والشعير *plus quam triticum & hordeum*; Perſpicuum magis eſt, atque cum textu hebraico plus convenientiæ habet in his omnibus MS. Arabicum علي الحنطة والشعير اذا باد حصاد الصحرا *propter triticum & hordeum, videntes meſſem agri periiſſe:* ita ut hæc

G 2 ver-

l) Druſ. Dan.

verba proprie respiciant *agricolas*, vel terræ cultores; *vinitores* vero sequentia, nempe *vitis exaruit*, ubi idem rursus occurrit verbum, quod non ita multum ante, videlicet הוביש *Hobisch*, quod *v. 10.* translatum est notione *exarescendi*, & in margine *erubescendi*, quæ ultima significatio etiam retinetur *v. 11.* eandemque hic ferre posse, quam ibi, annotat *R. Tanchum* juxta cum aliis. Nihil tamen prohibet ejus decisio, quin diverse diversis transferatur. Nostratibus placet, *exaruit*, *m)* aliis *pudefacta est*. Ita Vulgatus: *n)* vinea confusa est: Sic MS. Arabicum الجفنة خزيت *vitis erubuit*: & recentiorum Drusius: *vitem pudet*, nam, inquit, succo suo & fructu spoliatæ vites quasi erubescunt, ut homines solent, cum illis mali aliquid præter opinionem accidit; vel cum spe sua, qua aluntur, excidunt. Quod etiam sic accipi posset, ut pudorem *o)* injecisse diceretur cultoribus suis, qui sua, quam de ea conceperant, frustrati sunt spe & expectatione. Nil interim patitur damni, in injuriæ sensus, quamcunque significationem elegeris, sive *erubescendi* metaphoricam, sive propriam *exarescendi*, quippe nil nisi defectus fructuum innuitur, cum vitis exarescens liquore suo proficuo privatur, atque exinde suboritur pudor. *Et ficus* אמללה *Umlalah, languet*; eadem iterum vox, quæ ante *v. 10.* nostratibusque non secus atque antea reddita. Quomodo ab aliis alii differant ibi probe observavimus, quibus insuper addendum, quod eodem modo hic reddant interpretes, quo reddiderunt ibi. Sic faciunt LXX. Arabica impressa, Syrus, Vulgatus, & Chaldæus utroque in loco eadem voce utitur, quod & recentioribus nonnullis proprium, utut verbum mutent; *p)* alii immutata sensus integritate. MS. Arabicum habet انقصفت *Encasaphat* (quod interpreteris, *debilis est vel fracta*) atque sic arbitror oportuisse scriptum extare etiam *v. 10.* etsi in eo apographo, quo utor, desit una litera in انقف *Enkaffa*. Expedit explicationem adducere, quam tradit horum verborum Drusius; præsertim cum optime congruat vocis notationi: *Succo ficus omni exsucto ficus ipsa elanguet,*

---

m) Ita LXX. Chaldæus, Syr. Arab. impres. & diversi recentiores. Merc. Dagn. *n)* Duac. *o)* Pet. a Fig. Confudit, & pudefecit eos, & eorum spes frustrata est. *p)* Ita Pagninus *v. 10. excisum est oleum, v. 12. ficus desolata est, v. 12. ficulnea enervata est.*

guet, i. e. *debilis ac infirma relicta est, nec amplius usum sui præbet*. Sic vitis *languere* dicitur *Jesa. 24,7.* & terra *33,9.* Hisce subjunguntur ad indicandum instans malum, diversæ aliæ arbores, quarum fructus etsi ad sustentandum adeo necessarii non sunt, *q)* delectamento tamen ac commodo hominibus esse constat, nempe malus punica, etiam palma & malus, nec non arbores agri arent. Harum destructio tanquam causa adducitur, quare vinitoribus lugendum sit, quia illorum *s)* curæ ac inspectioni erant demandatæ una cum vineis harum omnium præstantissimis, earumque fructibus, quos & in suum & omnium hujus terræ incolarum colligebant ac dispensabant usum. De his omnibus dicit יבשו *Jabeshu*, quod exaruerint, torruerint, defloruerint, juxta sententiam quorundam pernitie affectæ, quæ a *t)* locustis & aliis noxiis animalculis illis inferebatur. *Abarbanel* hinc sumit argumentnm contra eos, qui hoc & cætera mala ab animalculis supra dictis illata fuisse putant, quia verum non sit, totas illas exedere arbores, etsi foliis infensæ sint atque fructibus. Doctissimus autem Bochartus exprobrat ipsi horum animalculorum naturæ ac mali ignorantiam, quod inferre posse aliis observatum est. Cujus generis inter plures citat auctorem Arabem *Al-Damiri*, cujus verba, juxta ejus apographum, de locustis hæc sunt: لعابه سم ناقع للنبات *u)* والشجر ولا يقع علي شي منه الا اهلكه *admodum validum quod earum sputum*, vel humor, *venenum sit plantis & arboribus & non ingrediatur illarum quandam, quin eas destruat* (meum apographum tantum habet لعابه سم ناقع ولا يقع علي شي الا اهلكه *sputum est venenum admodum validum, quod nihil contingit quin id destruat)* Quorum confirmationem ex *Pisida* petit, qui eodem modo affirmat, quod arbores juxta ac fructus reddant marcescentes acaridos, nec sibi aliter visum esse innuit, quam de ea noxa hic sermonem esse, quam fructibus terræ ac arboribus illæ bestiolæ intulerant. Utcunque vero hæc sint, quæcunque demum instrumenta, tanta hinc calamitate superfusa erat tota terra, ut pudoris

q) Tarnov. *s)* Ar. Mont. Pet. a Fig. *t)* Sic Hieronymus hunc locum accipit. *u)* Impressum est in exemplari suo ألنبات at perperam mea sententia.

ris ac mœroris cauſam non tantum ad agricolas & vinitores, qui hic inprimis nominantur, cum eos immediate concernat illarum curam, ſpectare manifeſtum ſit, ſed ad incolas, quotquot erant hujus terræ ad unum omnes, *quia, inquit, gaudium exaruit a filiis hominum.* Particula כי noſtratibus & w) aliis redditur *quia,* aliis x) *imo*, y) aliis *ſane, certe*, z) aliis *ideo*, Münſtero, *ut ſcilicet areſcat gaudium* &c. Quæ cum has ac ſimiles notiones particula recipiat, quamcunque denique ſelegeris, perparum diverſitatis adferet & connexioni horum verborum cum præcedentibus, & rationi qua præcedentia inferuntur; omnes vero in eo conveniunt dictæ calamitatis gravitatem notari, qua omne genus populorum in ea terra erat obruendum, cauſamque innui graviſſimam, cur acerbiſſimo affici deberent luctu, ſive intueare duntaxat præcedentia verba, quibus ad luctum monentur agricolæ & vinitores, ſive quæ *v.3.* extant, ubi in genere jubentur ejulare propter ea mala, quæ & antea jamjam erant deſcripta, & aliis porro intermixta, & de novo jam repetita. Quod attinet ad ea verba, *gaudium exaruit*, eadem hic occurrit nobis ambigua vox, quæ antea, nimirum הוביש *Hobbish:* quare locum etiam hic habet, quod *R. Tanchum* ante notaverat eam a) poſſe ſumi notatione الخزي Chazyio, *pudoris vel pudore ſuffundi*, atque inde notare الانقطاع وا لعدم *defectum & privationem*, vel aliter, nimirum ſignificatione الجفاف *exareſcendi*, quod variarum in variis verſionibus translationum dedit occaſionem. Vetus latina videtur eam accepiſſe priori ſignificatione, cum reddat, b) *confuſum eſt gaudium a filiis hominum.* Eadem ante eam ſumunt illam LXX, ſed diverſa conſtructione, ᾔσχυναν χαρὰν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, (quos ſequitur Arabica impreſſa لان بني البشر اخزوا الفرح *quia filii hominis pudore affecerunt gaudium* (vel poſuerunt in pudorem) qua in translatione *Mercerus* putat *Hobiſch* forma paſſiva acceptum. Atque tum ita accipiendum eſſe arbitror, ac ſi verba hebraica haberent, *gaudium poſitum eſt in pudorem a vel per filios hominum*,

qua

ww) Vulg. Lat. Jun. Chal. Syr. MS. Arab. أن *ecce quando.* x) Piſc. Tarnov. y) Merc. z) Grot. a) Et ſic Kimchi. b) Ita & Duacenſes.

qua ratione & Latinus Vulgatus poſſit conſtrui. Ab aliis tamen plerumque alio modo accipitur, prout mox ſumus tradituri; obiter autem annotaſſe juvabit aliam viam, quam ingreditur *Ludovicus Capellus* ad componendum LXX. cum Hebræo. Supponit enim eos pro הוביש *Hobish* (a יבש *jebash*) in ſingulari numero, legiſſe הבישו *hobishu*, quaſi a c) ביש *Bosh*, & in plurali numero, atque in ſequentibus, מן בני אדם *Min bene Adam*, a filiis hominum, prætermiſiſſe præpoſitionem *min a*; ſed planior videtur conciliandi ratio prior, quippe quæ non exigit tam enervem ac firmi parum habentem legendi differentiam, quam hæc, in qua irregularis tantum eſt uſus verbi הוביש *Hobish*, quo forma paſſiva exprimitur, cum aliis intranſitive accipiatur, ſicut *R. Tanchum* obſervat hic eſſe ذاتي *Dhati* intranſitivum, nec alia ratione acceptum Vulgato vulgo advertitur, cum *confuſum eſt* nihil aliud latine ſignificet quam *pudet* vel pudeſit, & *in filiis hominum* reddatur, a *filiis hominum*, non *per filios hominum*. d) Horum vero interpretum, qui hanc interpretationem approbant, eo redit ſententia, gaudium inſueta rerum bonarum jactura, ut hordei ac vini aliorumque fructuum terræ, quorum ubere proventu ſoliti erant gaudere atque jam expectabant, ut gaudio exinde perfunderentur, eſſe quaſi pudefactum ut ſeſe illis offerret vel recipi ab eis expectaret. In eandem ſententiam vergunt & cæteræ talium tum antiquiorum, tum recentiorum interpretum verſiones, ut eſt MS. Arabici ان خزي السرور من بني ادم *quandoquidem gaudium pudefactum eſt a filiis hominum*, qui eandem vocabuli ſignificationem retinent; & Druſii, *Puduit gaudium a filiis hominum*. Eadem notione habet etiam *Caſtalio: fœdata humani generis voluptate*, i. e. quo antea erant gaviſi, eo jam erant pudefacti. At qui recentiſſimi ſunt interpretum, alteram cum noſtratibus præferunt ſignificationem, ſcilicet, e) *exaruit*; exareſcentibus etenim hordeo, vitibus, olivis & aliis fructiferis arboribus, totoque denique campo, ut ſcriptum extat, commode dici

c) Quamvis ex eo, quod ante a nobis dictum eſt, luculenter appareat eodem redire ac minus difficultatis ac immutationis habere, ſi retineatur *Hobishu*, cum eodem ſenſu uſurpetur atque *Hebishu*. d) Mercer. pudet gaudium conſpectus hominum. Ita Ribera, Menach, Tigurinus, Tarnov. e) Pag. Munſt. Tig.

dici poteſt gaudium, *f)* quod ex florenti illorum ſtatu capiebant, *g)* exaruiſſe ab illis. Quomodocunque autem ſumſeris eam vocem ex ſua literali ac propria ſignificatione, quod ad ſenſum attinet, eo ſpectare utramque ejus ſignificationem patet, ut ceſſaturum illud gaudium indicet, quo plerumque perfundebantur, imo cui jamjam inhiabant, ſi rerum fuiſſet ordinarius ſtatus & Deus fauſtos eſſe juſſiſſet & illos & illorum regionem. Ita & Paraphraſtes Chaldæus פסקת חדותא, & Syrus ܚܕܘܬܐ ܡܢ ܒܢܝ̈ ܐܢܫܐ &c. *quia gaudium ceſſavit* (vel) *defecit a filiis hominum;* ipſeque *Hieronymus*, qui habet *confuſum eſt*, idem tamen eſſe quoad ſenſum, quam *auferri*, putat.

Per *filios hominis* hic *h)* quidam intelligunt incolas hujus regionis, quæ ea calamitate atque mœrore ſuperfundebatur. Verum generaliter hoc trahi poſſe ad omnia nil eſt, quod vetat; cauſa etenim univerſali exiſtente atque ad quodvis genus omnium terræ partium ſpectante, effectus etiam nonniſi univerſalis eſſe poteſt, quo omnia gaudio eſſe privata dicenda ſint. *Abarbinel* vero, qui ab inimicis hæc omnia eſſe illata ſtatuit, nationem per illos intelligit, quæ adducebatur in captivitatem עזובה ועצובת רוח, derelicta & *i)* dolens ſpiritu.

13. Accingite vos & plangite ſacerdotes, ejulate miniſtri altaris: ingredimini, pernoctate in ſacco, miniſtri Dei mei: quoniam interiit ſacrificium & libatio de Domo Dei veſtri.

Quanquam in præcedentibus, excepto quod hic verſus cum 5, 8, & 12. contineat adhortationem, non adeo admonitionis ad pœnitentiam habeatur ratio, quam quidem *k)* ſarcaſticæ cujusdam exprobrationis atque declarationis, quem lugubrem in ſtatum incidiſſent vel reſervarentur, quid jam ſufferrent vel ſufferendum iis in poſterum eſſet, quodque nulla amplius ſupereſſet ſpes emendandi ac excitandi eos ex gravi ſtupiditatis ſomno; extra omnem controverſiam tamen poſitum

f) Pſal. 4,7. Jeſ. 9,3. 16,10. & Jer. 48,33. *g) Gaudium* μετονυμικῶς *pro illis rebus ponitur, ex quibus gaudium capiebatur*, Livel. *h)* Biſc. *i)* Jeſ. 54,6. *k)* Mercer. in v. 5.

positum arbitror, seriam hic sisti eorum hortationem, ut de remediis in tempore sibi prospicerent, quibus averterent mala, quæ iis aut impendebant, aut jamjam eos invaserant.

Accingite vos ipsos) i. e. ut ait *R. Tanchum*, cui suffragantur non tantum Judæorum nonnulli, sed & alii *l)* simili modo, שקים *saccis, vel amicite vos ipsos saccis*, quæ vox supplenda videatur ex v. 8: חגורת שק *Cherugah sak*, accincti sacco, vel ex sequentibus hujus versus, quia expressum est in לינו בשקים *linu besachim*, pernoctate in sacco; quamvis aliis sensus appareat integer sine ullo supplemento, nimirum *m) Festinate*, scilicet ad id faciendum quod in proximis verbis exprimitur, *n) vel parate vos ad planctum*, satis accommodate ad eum sensum, quo se ipsos accingere sæpiuscule dicuntur qui aliquam rem aggrediuntur; licet nullum idoneum vocis sic usitatæ exemplum in ea materia prostare *o)* alii contendant. Verum enim vero, planiorem plerique statuunt esse priorem interpretandi modum; quid? quod sint ex recentioribus non minus ac ex antiquioribus interpretibus, qui expresse adjiciunt vocem *sacco*, tanquam necessario in Hebræo subintelligendam. Ita Syrus ܟܗܢ̈ܐ ܐܬܚܙܩܘ ܣܩܐ *sacerdotes, accingimini saccis*. MS. Arabicum شدوا المسوح *circumcingite vos saccis*; & Munsterus: *accingimini saccis*: is nimirum erat olim habitus lugentibus atque pœnitentibus, ut ex sacræ scripturæ formulis multiplicibus non obscure colligitur, ita, ut præfixam eis sese cingendi admonitionem immediate sequatur excitatio ad *plangendum* & *ejulandum*, non secus atque *Jerem. 4, 8.* ubi pari ratione isti duo actus conjunguntur שקים *Sakkim*, quæ hic vox solummodo subintelligitur. Admonentur vero idcirco eorũ, quia sunt insignia externa interni doloris, externusque hominis habitus, posthabitis omnibus aliis incitamentis, inservit producendis atque inflammandis cordis, ubi gignuntur primo, affectibus & ad humilitatem plurimum conducit, qua sine omnes certe istæ externæ actiones nihil valent. Quos hic vocat ad pœnitentiæ signa edendum, sunt *Sacerdotes*, vel aliis verbis in eandem sententiam, *ministri altaris*, qui scilicet altari inser-

H

l) Aben-Ezra, Kimchi. *m)* Calvin. *n)* Drus. *o)* Tarnov.

inserviebant (1 Cor. 9,13.) atque ibi sacrorum curam gerebant; quorum officium in eo consistebat, ut sacrificia immolarent iisque omnibus rite fungerentur quæ lege erant sancita atque ad cultum Dei præstandum injuncta iis, qui sacerdotes erant; quos pariter in sequentibus nuncupat *Ministros Dei sui, vos ministri Dei mei,* illius Dei; cui non sicut cæteri fucata sed bona fide Propheta serviebat; *suique Dei,* a quo *p)* missus ad illos erat hoc nunc[illegible]; vel *q) Dei mei,* apud quem *ego pro vobis intercedam.* LXX. omittunt hic præfixum *mei.* Illorum erat *r)* victimas offerre pro peccatis propriis æque ac populi, ac pro illis intercedere; atque hinc est quod exemplo præire pœnitentiæ signis jubeantur. Illi enim, ut sequacem haberent populum, debebant se *accingere, plangere, & ejulare,* quod ne perfunctorie ac leviter, sed ex animo atque serio agerent, compellat eos porro in sequentibus: *Ingredimini, pernoctate in sacco ministri Dei mei.* באו *Bou venite.* Hoc verbum nostratibus non minus ac aliis exhortationis particula videtur, qua *s)* excitantur illi ad id probe efficiendum, quod jubentur commate proximo. Alii proprie reddunt verbo *veniendi* vel *intrandi* nimirum *t)* in atrium templi, ut ibi hoc, tanquam in loco huic rei proprie dicato, peragerent, hoc est, *ut ibi pernoctarent in sacco,* non vero abjicerent eum vel desinerent lugere, *Kimchi, Drus.* Accommodus [illegible]tis erat hic locus suis affectibus serio & infucate indulgendis, quippe Deus peculiari ratione ibi adesse pollicitus fuerat, nec aliud habitus lugubris aliquantum continuatus & stabilis indicare poterat, quam quod serio & omni fuco posthabito ad animum vocabant mala quæ peccatis suis meruerant.

Quam gravis illis causa esset ita actiones suas intendendi & in pœnitentiæ signis aliquandiu perseverandi, prout jubentur *accingendi sese, plangendi, ejulandi, & pernoctandi in saccis* phrasibus, quæ sequuntur, optime declarant. Nimirum calamitatis gravitas erat, quam sibi accersiverant peccando, *nam interiit sacrificium & libatio de domo Dei vestri.* Eandem fere expressionem habemus *v. 9.* id tantum interest, quod hic dicatur *intercidisse,* נמנע *Nimna,* quod ibi הכרת *Hocrat succi-*

p) Calvin. Tarnov. *q)* Merc. Tarnov. *r)* Heb. 7,27. *s)* Merc. Drus. *t)* Intra בית יי in domum Dei, *scil. in atrium templi, ut ibi Deum invocetis.* Pisc.

ſucciſum eſſe, eadem utrobique ſententia eodemque deſignandi illorum defectum fine; quodque hic addatur affixum *Dei veſtri*, quod minus ibi; quæ hic adjeciſſe ulteriori verborum explicatione nos exſolvet, quæ ſatis luculenter ibi tradita eſt. Quando ſe *Deum illorum* vocat, in mentem illis revocare videtur relationem, quæ cum illis ſibi interceſſerat propinquior, qua ad ſe ipſum eos traxerat ex omni populo peculiariter ſibi eligens, ut ſervirent aræ ſuæ atque omnia curarent, quæ ad ſuum cultum rite præſtandum pertinebant, fruerenturque iis peractis, quæ in ara fuerant oblata. Ita ut expreſſa his verbis calamitas, *nam interiit ſacrificium & libatio de domo Dei veſtri*, præcipue eos videatur ſpectare, cauſaque lugendi orta tum ex zelo, quo flagrandum illis erat pro cultu divino, qui hac ratione interturbabatur, tum quod neque ipſis templi ſacrorumque miniſteria ſuggererent ad domeſticos ſumtus neceſſaria, quæ pro locato ſervitio a Deo illis erant hactenus delegata ac conceſſa. Quomodo hæc ſacrificia interierint de domo Dei illorum, luculenter ante vidimus, eorum ſcilicet fructuum abſumtione id factum eſſe, ex quibus conficiuntur, & annonæ caritate per dicta animalcula voracia facta, cujus hæc verba deſcriptionem ulteriorem tradere jure merito dixeris. *u) Abarbinel* vero ea, quam introſpeximus, ratione, templi, domus Dei deſtructionem hic minatum eſſe Prophetam putat, quo deſtructo omnia ſacrificia ſimul ſuccidi ac ceſſare neceſſe ſit, quod debebant lugere ולא תורה זרה באמרת כי אםם בחרבן הבירת וביטול העבירה, *& hoc* (inquit) *non revera fiebat; ſed per deſtructionem domus Dei*, & ceſſationem neceſſariam cultus ejus. Sed, ut jam ante ad *v. 9.* annotavimus atque *Bocharto* obſervatum eſt, videntur hæc verba potius contrarium innuere, quippe factum erat aut futurum, (*w*) præterito pro futuro ſumto) quod hic dicitur, cum domus Dei, in qua hæc ſacrificia pro cultu divino erant immolanda, adhuc conſiſteret integra; & quoniam gravi ex penuria ac defectu rerum ad ea neceſſariarum deſtituebantur immolandis Sacerdotes, quorum erat ea offerre; nil ſacrificii, nil libationis habentes, *x)* ſe ipſos ut immolarent, admonentur, utque ſeſe ſiſtant altari tanquam ſacri-

u) Sic & Arias Mont. & Duacenſ. not. in v. 9. *ww)* Vide ſis Theodoret. *x)* Mercer.

ficium acceptum, ſuas animas humiles & corda contrita precibus, lachrymis ac obteſtationibus, quod unum medium erat ſuper ad removendam calamitatem (vel rei frumentariæ annonam) qua erant obruti, & ad obtinendum rurſus eorum largam copiam, ut iterum eſſet integrum immolare ſacrificia in domo Dei, quæ nunc temporis ab eo peccatis laceſſito ex ea erant ſublata. Atque eo hic ſpectat illorum appellatio, ut ſe ipſos Deo tradant, & ſicuti his verbis ſinguli pro ſe ipſis, tanquam privati, ſuis fungi officiis, gregique tale exemplum præbere admonentur: ita regimine ſuo ac mandatis, quibus toti cœtui inſerviebant, ut idem facerent, ſequentium verborum ſcopus eſt.

14. Sanctificate jejunium, proclamate ſolennem cœtum, congregate ſeniores, & omnes habitatores terræ in domum Domini Dei veſtri, clamate ad Dominum.

Sanctificate jejunium &c.) קדשו צום *Kaddeshu Tſum.* Ita LXX. ἁγιάσατε νηςείαν, Syrus ܩܕܫܘ ܨܘܡܐ: Arabica impreſſa قدسوا الصوم *Kaddeſu Al-ſaum*; Vulgatus: *ſanctificate jejunium*, ut & nonnulli recentiores; hinc dubio procul hanc literalem verbi eſſe ſignificationem colligas, cum & in eandem ſententiam reddat Chaldæus גזרו *Gazaru*, decernite jejunium; MS. Arabicum עדו צום *præparate jejunium*, qua ratione & *Rabbi Tanchum* id explicat اعدوا اياما للصيام *præparate* (vel ſancite) *dies pro jejunio*, & *R. Solomo* הזמינו צום & *Aben-Ezra* alia voce, ſed non alio ſenſu הכינו *præparate jejunium*, & *Kimchi*: הזמינו העם לתענית *præparate populum ad jejunium*; quo collineant etiam, qui ſunt hujus ſeculi, reddendo z) *præparate*, a) *indicite*. Druſius hebraiſmum hic notat, *ſanctificate* pro *indicite jejunium*, quod idem erat ac ſi ſacerdotibus indixerit, *curate ut plebs ad jejunium parata ſit*. Ita ut bene translata ſit hæc vox multiplicique uſu alibi confirmata in Sacris literis, cum exprimatur: *præparate, indicite, vel conſtituite jejunium, dedicate vel ſeparate diem vel dies pro jejunio*; at majoris emphaſeos videtur, ſi propria retineatur vocis notatio *ſanctificandi*, quæ ut alteram includit, ita præterea innuere videtur, qua ratione populus, cui jejunium indicitur,

z) Pag. a) Munſt. Caſt. Jun. Tr.

tur, sese debeat ad id præparare, illudque ordinare ac sese gerere: nimirum extraordinaria opus erat sanctitate, qua non sufficiebat, abstinere a cibo ac potu, quod alias jejunii venit nomine, sed insuper a peccato & impietate, quod ad sanctum & religiosum jejunium requiritur, quod & officium & signum est pœnitentis demissi, unicumque, in quo Deo beneplacitum, & jejunanti reconciliatio est; quod si secus fiat, certo futurum scimus, ut Deus illud respicere nullo modo dignetur. Hujus generis est de quo loquitur stomachabundus *Jes. 58, 5. An hujusmodi est jejunium, quod eligo?* ubi simul declaratur, quonam revera delectetur. Et *Ezech. 7, 5. Quando jejunabitis & ejulabitis, an omnino jejunabitis propter me?* Quare jejunium sanctum est, quod sacerdotes debebant indicere, cum sibi ipsis, tum populo, cui erant præpositi, ut ipsorum exemplo, exhortatione & instructionibus impulsus eo rite fungeretur; unde fit, ut non tantum eos alloquatur, quasi ad illos solummodo id negotii spectet, sed jubeantur proclamare cœtum solennem. Universalibus peccatis, universalique calamitate universi impelluntur ad pœnitentiam, ut veniam petant plagasque propter peccata sua illatas avertant. *Proclamate*, inquit, *solennem cœtum*; in margine extat: *vel diem restrictionis*. Ita & in aliis locis usitatum est nostratibus, ut eadem voce עצרת *Atsarah* occurrente, in textu ponant *cœtum solennem*, & in margine, ceu differentem vel potius indifferentem translationem, *diem interdicti*, ut *Levit. 23, 35.* עצרת היא *cœtus solennis est*, in textu; in margine vero *dies restrictionis*; qua utrumque innuitur, videlicet dies, quo populus ab aliis usitatis expeditionibus repressus, publico cœtu colligebatur, extraordinaria id jubente occasione. Verbum עצר *Atsar*, unde hoc nomen derivatur, præcipue tunc significat *restringere, continere, præcludere, prohibere, retinere, impedire vel compellere*, unde de interpretatione nominis sententiam ferre licet, quam nostrates habent in textu & in margine, ut vidimus, & alii nonnihil ab eis differentes, quanquam quoad sensum idem ferme omnes intendant. Vulgatus habet *cœtum*, atque sic a Judæorum nonnullis exponitur; & Paraphrastes Chaldæus כנישא *Censha*, Syrus ܟܢܘܫܝܐ *Cenushyo*; ita & *R. Solomo* אסיפה *Asipha*, & in eundem

 sen-

ſenſum *b)* R. Japhet קהלה *Kebalab*, congregationem vel conſortium, (quo ſenſu trahitur *Jer.9,2.* עצרת בוגדים, conſortium impiorum) cujus *c)* denominationis ratio eſt לפי שנעצרים ומתעכבים במקום אספתם *quia detinentur & morantur in eo loco, ubi una ſunt congregati;* nec omnino abhorrent ab ea ſignificatione Scriptores noſtri temporis. Aliter alii eam reddunt, ita ut non tantum cœtum denotet hominum congregatorum, vel una degentium; verum & præterea inſinuet rationem & occaſionem congregationis modumque ibi vivendi. Sic MS. Arabicum נאדו באלאעתכאף, & iisdem ferme verbis *R. Tanchum* نادوا بالاعتكاف لله *proclamate retentionem vel commorationem ad devotionem vel expectationem Dei;* & accommode *Kimchi* in hunc locum, *ut populus cohibeatur* ממלאכתם ויאספו לתפלה ולבקשה *d) ab opere ſuo & congregetur ad preces & ſupplicationes.* Huc accedit interpretatio Chriſtianorum: *e) proclamate ferias*, hoc eſt, *diem ceſſationis ab opere & diem interdicti*, quod & noſtratium eſt in margine. Neque quicquam hic differunt ſenſu hi omnes, quin potius in eo inſigniter conveniunt univerſi, ſolennem innui cœtum ad officia præſtanda, quæ occaſionis ratio requirebat, vel ſanctitatis quæque, ut alias eorum admonentur, vel jejunii & pœnitentiæ, uti hoc loco, additis humilitatis infucatæ coram Deo ſignis, ut gravia ab ipſis rurſus retrahat ſupplicia. Ambigue & hic & *cap. 2,25.* ubi eadem verba occurrunt, LXX. Κηρύξατε θεραπείαν, juxta antiquam latinam translationem, *prædicate f) curationem.* Quod Hieronymus intelligit de emendatione peccatorum ſuorum pœnitentia, in quo *Theodoretus* ipſi adſtipulatur. Voxque hebræa עצרה non minus videtur curationis notationem admittere, quam radix עצר *Atſar*, ſignificationem claudendi & conſtringendi. *g) Vulnera enim conſtrictione curantur*, atque ita ad vulnerum animæ curationem applicari poſſe haud abſonum videtur. Hac ſignificatione reddunt eam per ſe LXX. *Jer.33,1.* At alias præterea habet vox græca θεραπεία *h)* ſigni-

b) In Aben-Ezra. *c)* Kimchi Rad. *d)* Ita & Aben-Ezra. *e)* Caſt. Druſ. *f)* Ita citantur a Tertull. & Cyprian. *g)* Pet. a Fig. *h)* Steph. Lex.

ſignificationes, quas alii hic anteferunt tanquam huic loco magis convenientes, ut ſunt, *i) cultus divinus, famulatus, miniſterium*, qua notione Arabica impreſſa in utroque loco eam reddit نادوا بالخدمة *proclamate miniſterium*, hoc eſt, admonete eos ut ſimul accedant ad ſerviendum Deo. Secus factum eſt cæteris græcis interpretibus, ut ex illorum fragmentis videre eſt. *Symmachus* habet σύνοδον, *Synodum; Aquila*, ἡμέραν συλλογῆς, *diem congregationis.* Omnes vero has ſignificationes exhaurire videtur Cyrillus, cum eam exponat τὴν τῶν θείων θελημάτων ἐκπλήρωσιν, *executionem eorum quæ Deus exigit.* Cunctos denique idem intendere in propatulo eſt, ſcilicet diem *cœtus ſolennis*, quem debebant ſecernere a cæteris, ut una congregarentur jejunandi, reſipiſcendi, ac ſupplicandi gratia, & quæ reliquæ erant cultus divini partes rite exequendi: Ad quæ ut eos adduceret eo citius, addit porro: *congregate ſeniores & inhabitatores terræ* &c. זקנים *zekenim, ſeniores.* Eandem vocem ſupra habuimus *v.2.* verum illius loci non congruit interpretatio cum præſenti, quippe anglico ſermone ibi non vocantur *ſeniores*, ſed *ſenes*, quod nonnihil diverſitatis ſenſui alterutrius loci inferre poſſe non nemini poſſet videri, quin imo a quibusdam aliter verba ſumta ſunt, quamvis eadem ſit vox utriusque loci, puta *ſenes*. Quorſum vero alii reſpexerint, ex Druſii verbis apparet: *Hic*, inquit, *ſenes accipiunt alio ſenſu quam ſupra, nam ibi ætatis erat, hic eſt officii nomen*, hoc eſt, magiſtratuum, vel qui ſunt conſtituti in quodam dignitatis officio, autoritate præditorum, imperatorum, conſiliariorum, quorum prudentia & autoritate alii reguntur. Probe enim liquet, etiamſi primario *k)* hæc vox denotet *viros ætate provectos*, alteram quoque ſuſtinere poſſe ſignificationem; quippe ætatis provectioris viri plerumque his muneribus magis pares ſunt, communiterque ad ea ſubeunda eliguntur. Sunt tamen nihilominus qui priorem notionem retinent, qua monentur ii, quorum anni ſunt provecti, ne in ætatis infirmitate ſurripiendi ſeſe a conſortio cæterorum officia præſtantium prætextum quærant, eidem potius viæ inſiſtentes, *l) licet tremebundi & ſuis baculis innixi*, ut *canorum autoritate juvenes ad pœnitentiam moveant.* Quos

i) Merc. Druſ. *k)* Schindl. Lex. *l)* Pet. a Fig.

Quos inter & Hieronymus cenſendus eſt, qui eam quoque ſumit pro *ſenibus, quorum ætas vicina morti, maturæque ſententiæ, magis timorem & cultum Dei ſuſcipit.* Alii vero latiſſime eam accipiunt utraque ſignificatione cum pro eis, qui ætate provecti, tum pro illis, qui dignitate ſeniorum nomen adepti fuerant; quos *m)* utroſque ad pœnitentiam agendum citari quidam hic putant præcipue, ætate quidem provectiores, eo quod magis Deum offendiſſent, illorumque reatus eſſet gravior, autoritate vero eminentes, quod eorum exemplo alii ad peccata illecti eſſent populusque horum culpa plerumque ita diſſolute viveret. Nec eſt, quod alterutros, ſtrictiori hujus vocis uſu hoc loco retento, ab officio, ad quod monentur, excludi putaveris, cum in ſequentibus expreſſe adjiciatur, & *omnes inhabitatores,* ubi conjunctio *&*, quæ in Hebræo non eſt, à noſtratibus vero & *n)* nonnullis aliis ſuppletur, clare arguit, & hos & illos ſimili modo vocatos eſſe, videlicet الشيوخ مع كل جلاس الارض ſeniores (vel ſenes) cum omnibus inhabitatoribus terræ, ut MS. Arabicum habet; ita, ut utrumque nomen, quod regitur a verbo *congregate,* ad eundem nominativum referendum ſit, quo præcedentia, ſcilicet ad *ſacerdotes;* atq; adeo omnium ordinum homines, quibus tunc Judæorum natio diſcernebatur, ad conjunctim hic ſolennem cœtum conſtituendum, *ſcilicet ſacerdotes eum convocantes, ſeniores & plebeji,* (qui terræ inhabitatores vocantur, & a principibus & ſacerdotibus æque iſta denominatione diſtinguuntur ac *Jer. 1,18.)* accerſantur. Hæc regularis eſt conſtructio, planiſſimusque verborum ſenſus & a plerisque ferme approbatus; verum cum & alia ratione poſſint conſtrui, non deſunt etiam, qui nominativum ex præcedentibus non accerſendum, ſed in ipſis verbis contineri reputantes reddunt vel, *o vos ſeniores congregate omnes inhabitatores* &c. vel, *o vos omnes inhabitatores terræ congregate ſeniores in domum Domini.* Alteram interpretandi rationem adprobat *Aben-Ezra,* congregate אַתֶּם זְקֵנִים *vos ſeniores omnes inhabitatores terræ Iſraelis;* cui accedere videtur *Arias Montanus.* Altera fide quorundam LXX. apographorum ſuffulta eſt,

m) Sic Calv. Tarnov. *n)* Tig. Mun. Jun. Trem.

eſt, *συναγάγετε πρεσβυτέρους πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν*, *congregate ſeniores vos, omnes inhabitatores terræ*; & ex recentioribus *Caſtalio: convocate ſenes o omnes incolæ* &c. Adverſus quos excipit *Mercerus, nomen eſſe accuſativi, non nominativi caſus*, cum ſacerdotum eſſet, non populi, alios congregare ad hujusmodi obeunda officia. Ab omnibus vero deflectit Syrus, eo quod paſſive ſumat verbum, quod alii active ܐܬܟܢܫܘ *congregamini ſeniores & omnes inhabitatores terræ*. Has in aliis differentias annotare allubuit, at non ſunt tanti momenti, ut hinc moveamus ſcrupulos, vel noſtram translationem relinquamus. At quacunque demum conſtructione acceperis, hoc omnium maxime elucet, fieri hic adhortationem ad omnis generis ac conditionis homines, ut ſolenni & nationali cœtu congregati vindictam Dei deprecentur, quam nationalibus ſibi accerſiverant peccatis, calamitatesque amoveant, quibus idcirco erant obnoxii. *Locus*, in quo debebant congregare, eſt templum, quod nuncupatur *domus Domini Dei illorum*; ipſe illud vocat domum ſuam, & domum orationis omnibus populis, *Eſ. 56, 7.* Eo tendebant *o)* Salomonis preces, quas fundebat primo cum illud Deo dicaret, ſi fames foret in ea terra, peſtis, uredo, rubigo, locuſta vel bruchus, vel ſi inimicus eorum angeret illos in terra civitatum illorum, vel quæcunque futura eſſet plaga, quæcunque ægritudo, ut omnem orationem, omnem deprecationem, quæ fieret a quocunque homine, vel a toto populo, quum agnoſcentes quisque plagam animi ſui expandiſſent manus ſuas verſus domum hanc (vel in hac domo, ut vertitur, *2. Chron. 6, 29.*) exaudiret Deus *in cœlis* vel *ex cœlis*, ſtatione habitationis ejus & condonaret & daret &c. & in *p)* ſequenti capite Deus ipſi dicit, ſe audiviſſe orationem ejus & conſecraſſe domum illam, quam ædificaverat, & collocaſſe nomen ſuum in æternum, oculosque ejus & animum ibi fore omnibus diebus. Atque ita rebus Judæorum conſtitutis, quorum in regione iſtud templum erat, ut ingenti famis calamitate a locuſtis & bruchis terræ fructus abſumentibus (vel ut alii volunt ab invaſione inimicorum) illata premerentur, eo confugiendum eſſe ipſis, ubi

I ſolen-

o) 1. Reg. 8, 37. &c. *p)* Ibid. c. 9, 3.

ſolennis colligebatur cœtus, nec privatis precibus ſingulos debere acquieſcere in privatis conclavibus, edicitur. Occaſio etenim exigebat tum eorum congregationem in hoc loco, qui, uti vocatur *domus Domini ipſorum*, non niſi eorum animis reverentiam indere poterat ac in mentem revocare Dei præſentiam; quodque propterea agendum eſſet ibi, ut agerent tanquam in conſpectu Dei ſumma animi ſinceritate atque tam accurate, ut acceptum eſſet in ejus oculis atque benigne reſpiceretur ab eo, qui eſt cordium ſcrutator & inſpector omnium illorum cogitationum. Et ut eos ita excitet, ut dicto ſint obedientes animumque illis addat, *q)* emphaſis notanda eſt in pronomine affixo nomini Dei, nimirum *Dei veſtri*, quo illis aſſeverare videtur, in Deo nil impedimenti eſſe, quo minus in gratiam cum illis redeat, pro ſuis agnoſcat & benignum ſeſe præbeat, modo illum debito modo & ex intimis viſceribus quærerent, quo ſequentia ſpectant verba, quibus & vocantur ad ſalutem ſuam & inſtruuntur, quomodo ſit invenienda; *& clamate ad Dominum*, h. e. fundite ardentiſſimo deſiderio & maximis interioris mœroris ſignis veſtras preces ad Deum. Ad quam officii rationem expediendam ut rite præparentur, ſacco indui, jejunii rationem habere, atque in domo Dei congregari jubentur, utpote quibus ſusque deque habitis parum proficerent, cum plurimum e contrario conduceret precum concinna diſpoſitio, quæ quando ad Deum ab hominibus diriguntur animo humili ac omni affectu, multum revera valent ad removendum publicas calamitates. Hujusmodi ad preces invitat eos vox ויזעקו *zaaku, clamate*, etſi ea alias ſignificet vocis elevationem; manifeſtum tamen eſt hic, ut & alibi in S. literis, *denotare atque exigere* ardentem affectum animi, quo afficit atque movet linguam & labia ad tales exerendum affectus in precibus ad Deum. Quare ad illum clamandum eſſet, eo tendit, ut removeat ab iis gravem plagam, quam & in præcedentibus & in ſequentibus verbis habemus conſignatam. Hoc vero totum " (verba ſunt *Kimchi*) ut faciant, jubet Propheta, cum locuſta in eos " veniet; aut ut redeant per pœnitentiam ante adventum ejus, ut ita " Deus propter miſerationes ſuas revocet decretum hoc. Qui ab " inva-

q) Oecolamp. Merc. Tarnov.

invaſione hoſtium hoc malum ortum eſſe putant, contra eosdem preces debuiſſe dirigi ſtatuunt. Clamare jubentur ad Deum, quem peccatis ſuis provocarant, qui minatus fuerat vel revera immiſerat has pœnas, cujusque unius erat eas removere. Quam gravis etiam mediis hiſce utendi adſit cauſa, partim ex jam dictis Prophetæ apparet, partim ex dicendis, quibus harum plagarum depingit terrorem.

15. Eheu diei iſti; nam propinquus eſt dies Jehovæ & ſicut vaſtatio ab Omnipotente adveniet.

Ut hæc verba cum præcedentibus connectantur, interpretes inſeruerunt quidam aut suppleverunt vel in fine præcedentis, vel ab initio hujus verſus, *dicentes*, vel, *& dicite*, ſcilicet אהה *Ahah*, Eheu &c. ita Syrus ܘܐܡܪܘ & MS. Arabicum وقولوا *& dicite*; Kimchi quoque אמרו אהה *dicite, Eheu*, &c. quaſi a Propheta illis injungeretur, quid clamandum vel dicendum eſſet. Ita Hieronymus hoc habet pro *voce Sacerdotum & populi ad Deum clamantis*; ita *r)* recentiores quidam ſupplent, *dicentes* vel *dicendo*. At alii nil opus eſſe ſupplendi ratione autumant, quin Prophetam ſub *s)* ſua ipſius perſona ac lingua pathetica lugubrem impœnitentis populi lugere conditionem, & gravitatem ſupplicii prædicti deſcribere, ſibi perſuadent. Verum idem eſt literalis verborum ſenſus, quocunque modo ſumtum fuerit. Vocem hebraicam *t)* אהה *Ahah*, exclamandi propter *u)* dolorem vel metum vel utrumque particulam eſſe, ex hoc loco non minus atque ex aliis apparet היא קריאה כך על הצער ועל הדאגה *Exclamatio eſt*, inquit *Kimchi*, *propter angorem & ſolicitudinem*. Quare ab interpretibus hujusmodi vocibus exprimitur, quæ talem affectum indicant, ut *w) Eheu, Heu, Hei, Hei, Ah, Ahah, o!* LXX. habent οἴμοι, væ mihi! At ſpeciem præ ſe ferunt ſententiæ, unam vo-

r) Jun. Tr. Merc. Oecolamp. &c. *s)* Pet. a Fig. Piſc. & Merc. *t)* Scribitur etiam ſine litera א in initio הה. *u)* هو التحسر eſt particula doloris, inquit Abu VValid דבר פחד metus Aben-Ezra. *w)* 1. Jun. Tr. 2. Druſ. 3. Calv. 4. Merc. Gual. 5. Oecolamp. 6. Pag. 7. Tig. Munſt.

cem non ſufficere ad exprimendam gravitatem paſſionis, qua loquentis mens videtur affecta, unde præterquam quod addant ἐκτενῶς, *vehementer*, poſt præcedens verbum *clamate*, *x)* ter repetunt particulam, οἴμοι, οἴμοι, οἴμοι, ſicut & Arabica impreſſa الويل لي الويل لي الويل لي *væ mihi! væ mihi! væ mihi!* atque eadem fortean ratione permotus dicendus eſt Vulgatus, ut trina vice repetat literam *a*, dicens *a*, *a*, *a*, ſi harum quæque diſtincte legatur; quo fit, ut vana habenda ſit conjectura *y)* illorum, qui aliud neſcio quid myſterii ex illis eruere volunt. Sunt *z)* autem qui literas contrahendas eſſe ſtatuunt tanquam unam ſyllabam, easque ſeparatas ſcribarum *a)* lapſu, qui ſcribere debebant *aha*. Simili ratione Syrus bis repetit, ܘܗܐ ܘܗܐ *uh, uh*, quod eſt particula اسغاثة الي exclamandi ad Deum pro auxilio; atque eo ſenſu videtur etiam accepiſſe hebræa MS. Arabicum, dicens الغوث الي الله من جهة هذا اليوم *clamo ad Deum, ut auxilio ſit in hoc die, vel adverſus hunc diem*; nec longe hinc abit Chaldæus Paraphraſta, quanquam hic vertat וי væ, cum in quibusdam aliis locis eam deprecandi ac ſupplicandi habeat particulam קבל בעותי יי אלהים *Exaudi orationem meam o Domine Deus*, ut *Jer. 1, 6. & 4, 10--14. 13.--32. 17. Ezech. 4, 14. 9, 8.--11. 13.--20. 49.* (quam Græca etiam *Joſ. 7, 7.* reddit δέομαι, oro.) Id vero propter vel adverſus quod ſuam lamentationem inſtituit, quodque tam lugubri declamatione perſequitur, & idcirco auxilium divinum implorat, non alio hic venit nomine quam *diei*, qui acerbitate & calamitate, quam inferebat, ab aliis diſtinguitur atque dignoſcitur. Ex eo fit ut *Munſterus* translatione ſua præter ſimplicem literam hebraici textus inſerat, *O calamitatem c) diei illius!* & *Mercerus*, *Hei qualis dies!* in verbis proxime ſequentibus vocat illum *diem Domini*; quod vene-

---

x) Etſi in quibusdam editionibus præter ἐκτενῶς nihil extet, quam idcirco Kircherus pro vocis ſignificatione accepit. *y)* Hieron. *quia offenderant Trinitatem.* *z)* Ribera: *Modo ut unam dictionem proferamus.* *a)* Pet. a Fig. Ribera, cum nihilominus alibi ita inveniatur, ut Jer. 1, 8. *c)* Diem mœſtum, calamitoſum, lugubrem & miſeriarum plenum diem Ar. Mont. Et Pet. a Fig. idem innui putat ac ſi diceretur, *Væ hominibus in illo die.*

venerandum nomen epitheti loco plerumque adjicitur, cum magnum quid atque communem rerum ſortem excedens denotatur. Hic quidem talem diem ſignificare videtur, hujusmodique tempus, quale Deus judiciis illis, quibus animadvertere volebat in populum pro culpæ admiſſione, notabile atque illuſtre cupiebat. Ipſa etiam diei vox, ut *d)* quidam obſervant, pro judicio ſumitur (ſicuti Apoſtoli *hominis dies* accipitur quibusdam pro *hominis judicio*, quomodo & noſtratibus redditum *1. Cor. 4, 3.*) quia judicium pronuntiatur ſtatuto hunc in finem die, ita ut ſenſus ſit hic: *dies judicii Domini.* Quam gravia autem forent ea judicia, præcedentia judicant ut & quæ proponuntur *v. 25.* Hinc per *diem Domini* intelligi diem *e)* graviorum malorum, quæ Deus immittere comminatus erat, niſi pœnitentia repentina reverterentur, non levis eſt quæ nobis perſuadet ratio. Non autem diſerte exprimitur, quibus mediantibus ea judicia erant exequenda, quorum invaſionis initium *dies* nominatur; quippe qui ſupra nominetenus ſunt traditi *v. 4.* nimirum, eruca, locuſta, melolontha, & bruchus, animalcula noxia devorantia, quorum frequens invaſio annonæ caritatem ciere potis eſt. Hæc communiter pro hujusmodi animalculis juxta literam ſumuntur, ratione, quæ nobis videtur, planiſſima; verum per figuram aliis allubet denotare illos hoſtes, qui terram invaſuri eſſent, obvia quæque, prout illis uſu venit, devaſtantes. Atque eodem modo hic diſſerunt interpretes, quippe qui literaliter id accipiunt de animalculis, per *diem* illud tempus intelligunt, quo Deus illa immittebat vel immiſſurus erat tanta copia, quæ antea nemini unquam erat viſa, ut fructus terræ abſumerent & gravem inferrent regioni famem. Ita *Druſius: Dies quo locuſtæ venient,* quia his mediantibus Deus exequebatur judicia ſua ſuper Judæos, atque propter male admiſſa in eos graviter animadvertebat. Eadem ratione & Doctiſſimus *Bochartus* illum vocari *diem Domini* ſtatuit, quo erat ſe ſtiturus tanquam judex, ut in Judæos animadvertat, locuſtarum agmine in eos immiſſo. Alii tamen ambigui hærent nec definire audent, num de invaſione horum animalculorum proprie, vel de hoſtium ingreſſu figurate acci-

d) Druſ. Bochart. *e)* Livel.

piendum ſit. Ita Cyrillus: *Diem Domini* vocat, qua iræ ejus ſatis-" fieri oportet, aut locuſta ipſis immiſſa & fruges in terra devaſtante, &" famis atque penuriæ horrorem incutiente, ipſumque mortis pavo-" rem inferente; aut Babyloniis omnia vaſtantibus &c. *f)* Alii u-" trumque hic innui putant, ac ſi alii aliorum invaſionem prævenerint Prophetæque mens eſſet, declarare Domini decretum *de venturis locuſtis & Chaldæis omnia vaſtaturis.* Alii vero & locuſtarum cæterarumque dictarum creaturarum nullam volunt habere rationem, cum de inimicis Chaldæis duntaxat ſermonem eſſe illorum animo inhæreat, a quibus *Abarbinel* ſtat. Hinc per diem intelligi aſſerit nonum diem menſis *Ab*, qui ex *g)* mente ejus Judæis fatalis erat, quippe quo everſum erat templum; unde illis etiam notabilis, tanquam dies mœroris ac lamentationis clamationisque ad Deum, in ejus rei memoriam. At non eſt cauſa ulla prægnans, cur prior ſententia eaque planiſſima abjiciatur, qua, quamvis jamjam prædicta mala toleraverant, gravior tamen fames expectanda iis ſtatuitur, niſi pœnitentia præpropera præveniretur. Verbo, in proclivi eſt exhortari eos hac pathetica exclamatione ac provocare ad hujusmodi reſipiſcentiam, cujus ut rationem haberent juſtam, eumque in finem hæc tendere adverterent, duplex adjicitur ratio, quarum alteram ſumit a propinquitate diei, alteram ab ejus terrore, quodque nullo alio medio poſſit evitari. Primum, *Nam dies Domini propinquus eſt;* ſubito erat venturus, hinc ſubito erant adhibenda media, quibus præverti poſſet; nullum morandi tempus in hoc caſu, quo etenim veniente, fruſtra foret, quicquid contra molirentur. *Adveniet enim ut deſtructio ab omnipotente*, cujus potentia non poteſt frangi: Quod unum ſupererat, remedium prius eum effugiendi, quam veniret, repentina erat reſipiſcentia; cum vero veniſſet, actum foret de omnibus, etſi fortiſſimis reſiſtere audentibus, cum ſit ab *omnipotente.* Eandem expreſſionem habemus *Jeſ. 13, 6. Ejulate, nam dies Domini propinquus eſt, veniet ut vaſtatio ab Omnipotente.* Verba hebræa habent וכשד משדי יבוא *uceshod mishaddai yabu*, quibus video exacte con-

---

f) Pet. a Fig. *g)* In hunc locum; at largius multo in Jer. 2, 24. & Hoſ. 5, 7. ubi diverſa quædam recenſet mala quæ Judæis hoc die evenerant.

congruere noſtram translationem Anglicam; quod autem impedimento nobis non erit, quo minus aliorum placita de horum verborum vel alicujus illorum partis expoſitione inſpecturi ſimus. Quod attinet ad particulam כ *Ce*, in *uceshod*, quæ vertitur *ut*, etiamſi ipſe auctor MS. Arabici quoque eam reddat مثل ut, omiſſa conjunctione ו *u*, quæ illam antecedit, notat tamen ab aliis reſpici ceu زايدة *) *redundantem*, adeo ut ſenſum conſtituat ſolum שׁד *Shod*, *vaſtatio veniat a Schaddai*; Hinc Syro inſuper habetur, *& ſpoliatio veniet a Deo*. Abarbinel quidem non putat eam redundare, alia tamen ratione debere accipi, quam alii fecerunt, aſſerit, non quidem pro particula comparationis vel ſimilitudinis, ſed *b)* temporis denotati (כף הזמן) prout interdum uſu venit, ita ut verborum ea ſit mens; *Nam dies Domini propinquus eſt*, vindictæ ſumendæ; & quandoquidem vaſtatio ab Omnipotente eſt, veniet eo die, qui ab eo inferendis malis conſtitutus eſt. Atque huic viæ inſiſtere videtur, quia expoſitioni *diei* optime congruit, qua diem pro nono die menſis *Ab* ſumit, ut ſupra retulimus. At non adeo convenit cum ea ratione, quam nos pariter & alii ſequimur, qua obſervata, certum eſt, particulam *ut*, non carere ſua emphaſi, quippe qua mala ventura ſignificantur, nec fore ex accidenti, nec ex rerum ſolitarum numero, nec ab alia ordinaria poteſtate, cui reſiſti non poſſet, ſed tam lugubria, quemadmodum infligi conſtitutum erat, quæque infligerentur forſitan expectatione citius a tanta poteſtate, cui reſiſtere nemini foret integrum, utpote a Deo profecta, eoque, quo ſolent, modo in uſum deducenda.

Quod attinet ad vocem שׁד *Shod*, vaſtatio & שׁדי *Schaddai*, *Omnipotens*, non tantum eſt alius ad aliam alluſio ac literarum convenientia, ſed & radicis affinitas, quamvis ſenſu immane quantum ab invicem diſtent. Vox שׁד *Shod*, deſcendit a radice שׁדד *Shadad*, *vaſtavit*, ac proprie ſignificat, ut verſa eſt, *vaſtationem*. Ab eadem radice derivatur etiam vox שׁדי *Schaddai*, qua Deus hic nominatur, hinc proprie ſignificare *vaſtatorem* videri poſſet. Quanquam igitur a quampluri-

*) Sic etiam capit Joſ. 7, 5. in כשלשים. *b)* Ita & Ar. Montanus.

plurimis Judæis, ut ſunt *Abu Walid, Aben-Ezra,* & *Kimchi,* hoc Dei nomen, quo ſe ipſum nominat *(Gen. 17, 1. Exod. 6, 3.)* ac in S. literis ita nominatur, regulariter ab hac radice deducitur; *i) Abarbinel* nihilominus contra eam excipit, quod a voce derivetur, quæ violentiam, injuriæ ac damni illationem, oppreſſionemque denotare videtur, unde Deo attribui nequeat. Qui glorioſum Deum S. Scriptura nominaret vel deſcriberet בתיאר מגונה אשר כזה *epitheto ac tam pravæ ſignificationis nomine, quam hoc?* Nec illi ſatis fit, quod a ſimili radice aliis derivetur מנצח *Menatſeach, Victor,* etſi nec Deus cum hominibus, nec homines cum Deo bellum gerant; cum attributa *Potentis, Dominatoris, Ducis, Præfecti* magis Deo convenire poſſint quam *Schoded* vel *Menatſeach.* Quo fit ut præferat, quam aliunde voci aſſignaverat, derivationem, qua non multum abſcedere videtur ab opinione *R. Saadjah, k)* qui tantum eam valere putat ac ſi diceretur מי שאמר לעולם די *ille qui dicit mundo, ſatis vel ſufficiens.* Quod tametſi vix intellexiſſe *Aben-Ezra* ſibi videatur, eo tamen ejus ſententiam redire patet, quod libera voluntate ac beneplacito, quo omni neceſſitate remota DEus cuncta creabat, menſuram atque modum omnibus conſtituerit, quem ultra citraque vel excedere vel recedere haud conceſſum, eumque ſervantibus dicat: *ſatis eſt* (ſiſtite, ultra procedere non datur.) Ratum etiam habet quod alii dicunt, ſignificare *eum, qui eſt ſufficiens, vel omniſufficiens in ſe ipſo,* ſui ipſius cauſa, & a nemine alio eſſentiam recipiens, ſicuti cum aliis eam interpretatur; vel ut alii, *qui eſt ſufficiens ad producenda omnia,* vel *qui l) in ſe habet quod ſufficiens eſt pro omnibus creaturis,* vel *qui ſufficiens eſt ſupplendis omnibus illorum defectibus.* Hanc derivationem a די *ſufficiens,* adjecta litera *Schin, Maimonides* præferre videtur *Moreh p. 1. c. 63.* qua ratione etiam apparet ab auctore MS. Arabici eſſe acceptum, qui reddit, כה֗ל֗ אלר *m)* נאהב מן אלכאפי *ſicut ſpolium a ſufficienti* vel *ab omniſufficienti.* Quæ ſuperſunt derivationes, tanti ipſi non ſunt, ut iis examinandis operam ſuam

---

i) In Exod. 6, 3. Vide Buxt. de nomin. Dei. *k)* Quod aliis etiam antea obſervatum in Lex. m. Buxt. *l)* R. Sal. Gen. 17, 1. *m)* Legendum eſſe puto אלנהב ſicut Iſa. 13, 6. Ita enim ſcriptum ſignificat prædatorem.

ſuam collocet, in quo etiam nos ei accedimus, quales inprimis ſunt, quod hæc vox ſit derivata a שד *Schad* pectus vel mamma (& שדים *Schadaim mammæ)* quaſi ex ſua ubertate, qualis eſt mammillarum, omnia replerentur benignitate, cunctaque nutrirentur. Alii rurſus, quod ſit a שדא *Schada* (quæ vox Chaldaica reſpondet hebræo אשד *aſchad)* effundere, ac ſi denotaret largam effuſionem benignitatis in omnes creaturas, omniumque illorum procurationem, quæ ſunt ad vitam ſpiritumque ducendum perquam neceſſaria. Verum hæ omnes quamvis ſenſum adeo non infringant, quin potius in eundem ſingula inſigniter conſpirent, nulla tamen adeo conveniens eſt, quam quæ primo loco adducta eſt, qua ſcilicet vox refertur ad שדד *Schadad:* quare etiam a Judæis haud infimæ ſortis eo relatam ſupra vidimus, nec, quod contra objicitur ab *Abarbinel,* ulla ratione firma niti videtur. In eo enim, ut diximus, omnem contrariæ ſententiæ vim collocat, quod ea radix nonniſi violentiam ac deſtructionem, quin & injuriæ illationem inferat, eoque vox hac ratione hic ſumta denotaret גזלן מעוול וחומץ *latronem perverſum vel injurioſum, oppreſſorem;* quod DEO inconveniens omnino putat. At ſolus eſt, qui huic voci tam duram imponit ſignificationem, atque eo & auctoritati aliorum, qui eam ad radicem hanc referunt, & rationi, qua eam defendunt, ſeſe opponit. Obſervant etenim deſignare *o)* عزيز جليل *potentem, magnum p)* תקיף מנצח *potentem, expugnantem, vincentem* (non quod hæc vox, quod ipſi arridet, tantum denotet *victorem in prælio,* ſed eum qui *vincit & ſupprimit)* & מתגבר *Mithgabber,* prævalentem, *q)* ארקהאר prædominantem (ut non nemo illorum habet) Arabice. Hujus vero interpretationis cauſam ex uſu Arabicæ linguæ petunt, in qua radix شد *Schaddah* ſignificat *valere, firmum eſſe,* (non autem *devaſtare* vel *deſtruere* ut in Hebræo) unde اشد *Aſaddo* robur vel *robuſtiſſima pars ætatis hominis* & شديد *Schadid,* (quod congruit hebraico שדי) *fortis, firmus*, qua denotatione inter attributa DEI referri a quodam Scriptore *r)* Orientali legiſſe meminimus. Syriace redditur ܠܚܣܝܢܐ & *s)* Arabice non differt a عزيز potens.

K Exinde

o) Abu VValid. *p)* Aben-Ezra Exod. 6,3. & Kimchi in Rad. *q)* Ita R. Samuel citatus ab Ab.Ezra. *r)* Gloſſar. Arab. & Syriac. MS. & impreſſ. *s)* In exemplari impreſſ.

Exinde non leve opinioni accedit pondus, cum hebraicæ linguæ ſuus adhuc conſtaret honos, cumque late pateret ac communis eſſet loquentibus, שדד non tantum denotaſſe *devaſtare* & *deſtruere*, verum & *valere*, firmum ac potentem eſſe, prout Arabibus hodie adhucdum familiaris eſt; priorem tamen, ſcil. *valere potentia & robore in genere*, primariam eſſe ſignificationem; hinc, cum robore opus eſt deſtruenti, ſenſum ad eam denotationem deflexiſſe, quæ idcirco ſola eſſe nequit; de DEO vero quando uſurpatur, omnem illam potentiam deſignare, qua valet quæque creandi & deſtruendi; at cum præter DEum aliis attribuatur, talem denotare, cujus potentia magna frangique difficilis. Quod ultimo adjeci, hunc in finem factum ſcias, quod ſint qui hanc vocis חזק *robuſtus*, & *potens* vel *valens*, ſignificationem cum noſtratibus & non paucis aliis non tanquam propriam applicandam putant Omnipotenti, ſed & alicui alii, qui potentia magna valet. Nec obſcuri nominis eſt inter Judæos, qui ab *Aben-Ezra* & *Kimchi* allegatur הנגיד *Hannagid* (Princeps) dicens בספק שדי תואר הוא ואיננו שם הנכבד *t) non eſſe nomen glorioſi Dei*, ſed *adjectivum aliis quoque commune*, atque ſic arguere deſtructionem inevitabilem a talibus illatum, quorum potentiæ effugiendi locus non ſit. De quo *Ab. Ez.* teſtatur אמר יפה *pulchre dixiſſe*; & inter Latinos de tali deſtructione hanc vocem accipit *Ruffinus, quam potentiſſimus quisque ultor inveheret.* Non eſt dubium quin bono ſenſu hæc omnia ſumi poſſint; at prævalet cæteris multumque efficaciæ habet ea, qua noſtratibus & pleriſque aliis conſentientibus pro attributo ac nomine DEI accipitur adeo, ut DEI omnipotentiam & virtutem, cui reſiſti nequit, ea vox denotet illosque commonefaciat, illatam deſtructionem tantos edituram revera effectus, ut nequaquam reſiſtere, vel effugere integrum fuerit cuiquam. Et ut omnis tollatur vocis ambiguitas, quam æque ad alium referri poſſe conſtat, Chaldæus cum ea conjungit nomen יהוה *(Jehovah)* & Syrus ſimpliciter vertit per nomen Dei ܬܐܬܐ ܡܢ ܐܠܗܐ ܥܠ ܡܚܘܬܐ *& deſtructio veniet a Deo.*

Cæte-

t) Vid. Tarnov. qui ex Mahana, vaſtitas a potente, non ab omnipotente, quia non loquitur de Deo, ſed viro potenti, cujus vaſtationi nemo reſiſtat; quæ demum rejicit.

Cæterum quos hactenus adduximus omnes legiſſe patet שׁדי *Schaddai;* at ita interpretantur eam LXX, ut aliter plane illos legiſſe haud immerito opinentur nonnulli, quum reddant *ὡς ταλαιπωρία ἐκ ταλαιπωρίας ἥξει*, *veniet ſicut miſeria ex miſeria* (quorum veſtigiis etiam inſiſtit Arabica impreſſa كمثل شقوة من شقوة ياتي) Unde Capello conjectura naſcitur, eos non legiſſe ſecundo loco cum aliis שׁדי *Schaddai*, ſed ſolummodo שׁד *Schad*, ſicuti primo loco ſine litera י *jod*, atque exinde eadem etiam ſignificatione accepiſſe. At crebra obſervatione perſpectum eſt, quando eadem vox in Hebræo occurrit *Eſa.13,6. Ceshod Miſshaddai yabo*, ratione plane diverſa ab illis ibi reddi, quæ aliorum interpretationi magis accedit; nimirum, *καὶ συντριβὴ παρὰ τοῦ θεοῦ ἥξει* (ſicuti etiam والانكسار ياتي من قبل الله) *& contritio veniet a Deo*, quod argumento eſſe videtur non eſſe translatos hos duos libros ab iiſdem perſonis. Qua occaſione vero ſint permoti ita, ut factum eſt, hanc interpretandi vocem, non eſt quod nos ſollicitos habeat, cum conſtans cæterorum omnium ſit lectio eademque vera.

16. Nonne cibus exſciſus eſt coram oculis veſtris, imo; e domo Dei noſtri lætitia & exſultatio.

Poſteaquam annunciaverat, propinquum eſſe diem Domini eumque omnino terribilem, ne ſtupiditati ſummæ immerſi procul abeſſe putarent reſipiſcentiamque, qua una ab eo, cæteriſque exinde provenientibus malis poſſent immunes reddi, laxius debito prorogarent, exaggerat porro plagam eo, quod jamjam initia ſua ſumebat, deſcribitque ejus naturam & conditionem in modum, ut jure merito ea jam debuiſſent affici, additis pejorum, quæ erant futura, minis. Attollant modo oculos, & dubium non eſt, quin eam percipiant. Quid autem factum dicit? *Nonne cibus, inquit, coram oculis veſtris exſciſus eſt? imo* &c. Verba interrogandi forma prolata evidentius validiusque affirmant & rerum dictarum veritatem probant ita, ut emphaſi ſua non carere dicenda ſit particula הלא *halo, nunquid non*, vel *nonne*, vel *annon?* Attamen omittitur hic a LXX. qui affirmandi

mandi formam ſimpliciter habent, *κατέναντι τῶν ὀφθαλμῶν ὑμῶν βρώματα ἐξωλοθρεύθη, coram oculis veſtris cibi exciſi ſunt.* Eodem modo emphaſin hanc negligit Arabicæ impreſſæ verſionis Auctor. In Syriaco vero ut ejus vis exhibeatur, mutata eſt particula in demonſtrativam ܗܐ *ho, ecce cibi coram oculis veſtris ſunt exciſi.* Duo vero ex mente noſtratium eorumque interpunctione affirmantur defectus, ſcilicet tum alimentorum, quorum uſus ad vitam alendam domi opus erat; tum rerum, quæ erant offerendæ in domo Domini, quorum utriusque copia ex fructibus terræ ſuperfundi ſolenne erat, quæque adeo ab invicem dependebant, ut priori deficiente nulla poſterioris ſpes ſupereſſet. Ut autem hi ab invicem diſtinguantur, viſum eſt noſtratibus interferere particulam *imo*, quæ cum in Hebræo non extet, aliis placuit ita reddere, ac ſi utraque expreſſione idem innueretur, nimirum per *cibum* primo loco poſitum nihil aliud denotari autumant, quam *ſacrificia*, quæ quoniam nominantur *lætitia & exſultatio domus Dei*, quibus ea erant conjuncta, innui loco ſecundo cenſent. Ita MS. Arabicum אליס הדי אעיננא אנקטע אלקרבן מן בית אלאהנא מע אלפרח ואלטרב *nonne coram oculis veſtris exciſum eſt ſacrificium ex domo Dei veſtri, cum lætitia & exſultatione?* Et ut mentem ejus haud difficulter aſſequeremur, notam adjicit, idcirca vocare ſacrificium אכל *Ocel cibum*, quia illud eſt מאכול אלנאר *quod comeditur* (vel devoratur) *ab igne.* Huc quoque vergunt verba Vulgati: *numquid non coram oculis veſtris alimenta perierunt de domo Dei noſtri, lætitia & exultatio?* Quæ Duacenſes hunc in modum vertunt: *why, are not the victuals periſhed before your eyes, joy and exultation out of the houſe of our God.* Nec abhorrent ab hac interpretatione quidam alii, quia per *alimenta* &c. id genus ſacrificiorum *u)* intelligunt, quod in domo DEI oblatum ſuſtentationi ſacerdotum tributum erat, unde mutuum ſolebat oriri gaudium, *tam offerentium quam ſacerdotum.* Sunt tamen alii, qui diverſas res hic innui volunt, per *cibum* ſcilicet omnia ea in genere, *w) quæ ad victum neceſſaria fuerunt*, & *per lætitiam & exſultationem*, quæ ad lætitiam & celebritatem pertinebant. Ita ut, quod *x)* quidam in eandem

u) Sic Kimchi. w) Ar. Mont. x) Tarnov.

dem ſententiam proclivis non obſcure notat, his verbis declaretur, DEum non eas tantum exſcidiſſe res, *ex quibus vivamus*, (Propheta etenim ſeſe his adjungit) ſed & quæ ſibi a nobis offerri juſſit ex terræ fructibus, ut cum eo lætaremur. Eodem ſpectare LXX. Cyrilli ſententia eſt, intelligendos ſcilicet eſſe per *cibum* fructus terræ jam maturos, frumentum meſſi aptum, uvasque calcari idoneas, quibus coram oculis eorum exiſtentibus atque tantum non in manu verſantibus in illorum lætitiam, ſubitaque locuſtarum invaſione abſumtis, inquit, *cibum illorum eſſe exciſum coram oculis eorum*, hoc eſt, quaſi ex ore illorum ereptum, cum accincti eſſent jam atque parati ad colligendum eum atque comedendum; per *lætitiam* vero & exultationem, quas dicit *exciſas ex domo Dei illorum*, intelligendas oblationes vel ſacrificia, quæ offerebant læti ex earum rerum copia, quas campi uberes præbebant, tanquam χαριστήρια, id eſt, oblationes, quibus gratiæ aguntur ei pro benigna, qua fruebantur, largitione. Pari ratione inter Judæos ea verba diſtinguit *Kimchi*, atque ita explicat, ut per alterum comma, *Nonne cibus coram oculis veſtris exciſus eſt?* intelligat, ſuperveniſſe fructibus terræ maturis exiſtentibus locuſtas, eosque devoraſſe; per alterum vero, lætitiam atque exultationem, cibo ſucciſo, ſucciſam quoque eſſe de domo Dei illorum, quia ſacrificia juxta ſtatutum tempore meſſis offerebant & lætitiæ indulgebant, quæ quanta fuerit, ex eo patet quod dicitur *Eſa. 9, 3. lætati ſunt coram te quaſi lætitia, quæ agitatur in meſſe.* *Aben-Ezra* ut clauſulas vel membra hujus verſus diſtinguat, hæc putat verba הלא נכרת *nonne exciſus eſt*, ad priora æque ſpectare atque ad poſteriora, ante quæ repetenda ea cenſet hunc in modum: *Nonne lætitia & exultatio exciſæ ſunt ex domo DEI veſtri?* In quo *y)* nonnullos etiam alios aſſeclas habet, quin ipſe Paraphraſtes Chaldæus non prorſus alienus ab eo videatur, cum duas voces ejusdem ſignificationis apponat, quarum prior prius membrum claudit, poſterior poſterius inchoat, reddens alterum הלא עד ואנחנא חזן עבורנא סף *Nonne frumentum, adhuc ſpectantibus nobis, deſiit?* alterum פסק מבית מקדשנא דאלהנא חדותא וביע *Nonne* (hoc enim neceſſario ſub-

 intel-

y) Tigur. Pet. a Fig.

intelligitur) *defecit a domo ſanctuarii DEI noſtri lætitia & exultatio? R. Tanchum* ambiguus hærere videtur, quomodo hæc verba ſint diſtinguenda, quæque harum duarum rationum ſit maxime approbanda. Interdum neceſſario ſubintelligendam ac ſupplendam ſupponit conjunctionem *&*; at tum iterum ambigit, quonam ſit referenda, num ad שמחה *lætitiam*, ita ut verba ſonarent: *Nonne cibus exciſus eſt coram oculis veſtris ex domo DEI veſtri & lætitia & exultatio?* (quam viam etiam Syrus ingreditur; *& ecce coram oculis veſtris ceſſaverunt cibi ex domo DEI veſtri* ܘܚܕܘܬܐ ܘܪܘܙܐ *& lætitia & exultatio?*) an ad verba בית אלהינו *domus Dei veſtri*, hac ratione: *Nonne cibus exciſus eſt coram oculis veſtris & a domo DEI noſtri lætitia & exultatio?* Et hæc eſt ratio, quam Angli noſtri ſequuntur, & paulo exactius Genevenſis, quæ non habet *imo*, ſed, *& lætitia & exultatio a domo DEI noſtri*. Eatenus autem differunt hæ inter ſe, quod in altera per *cibum* tales oblationes præcipue intelligantur, quæ in templo in lætitia offerebantur, in altera vero magis generaliter ea, quæ ad victus rationem neceſſaria erant, atque tum per lætitiam & exultationem ea, quæ afferebantur ad offerendum DEO in templo & in ſuſtentationem ſacerdotum, ordinata erant. Nec multum intererit, quamcunque harum approbaveris, quippe utraque declaratur, magnam fuiſſe rerum neceſſariarum penuriam. Ni fructibus terræ eſſent privati, nec rerum ad victum ſibi neceſſariarum, nec lætitiæ defectus extitiſſet, quia ſacrificia a DEO jubebantur offerri ac comedi in templo ſuo juxta mandatum *Deuteronom. 11, 7.* & *16, 11.* Uterque igitur defectus ab una eademque cauſa naſcitur, alterque alterum infert, quippe lætitiæ defectus nonniſi ex earum rerum defectu exiſtit, quæ illam debuiſſent excitare. Ita ut bene hæc conveniant cum dictis *v. 9.* &c. *Sacrificium & libamen ſucciſum eſt a domo Domini: v. 7. cohibitum eſt a domo DEI veſtri. Aben-Eſra* vini penuriam in ſpecie innui aſſerit, quod dicitur exhilarare DEum & homines, *Jud. 9, 13.* At hæc expreſſionis ratio minime probat, cum hic tantummodo deſcribi lætitiam, quæ ex vino vel libaminibus oriebatur; quippe ſacrificia quævis, ut ex *Kimchi* ante audivimus, (inprimis tempore meſſis) ingenti cum lætitia conjuncta fuiſſe feruntur,

ipſæque

ipſeque DEus illis adeo *z)* delectatus dicitur, ut in *a)* odorem gratum ipſi fuerint juxta ſacrarum literarum uſitatam exprimendi rationem. Præterea in eo omnibus convenit, a quibus hæc prædicta, cibus æquè ac lætitia & exultatio, ſint exciſa vel porro adhuc eſſent *b)* exſcindenda. Eadem nempe hic intercedit illis differentia, quæ a nobis antea eſt notata. *c)* Sunt, quibus, ab inimicis hæc facta fuiſſe, placet, quorum invaſione totam deſtructam illorum regionem. *d)* Alii locuſtis ea adſcribunt cæteriſque animalculis noxiis, quæ ſupra nominatim exhibita ſunt. *e)* Non nemini tamen adeo dubia res eſt, ut dicat: *dum locuſta* vel *hoſtis* iis fructibus nos privavit, quo-" rum uberem jam ſperabamus meſſem; nec deeſt *f)* qui de lo-" cuſtis intelligendam rem planiſſimam judicat, quid? quod argumenti haud levis loco *g)* quidam habet dicens: *Hic locus facere videtur pro illis, qui veras locuſtas veniſſe intelligunt.* Neque Doctiſſimus Bochartus hinc argumentum contra *Abarbinel* petere deſiſtit, qui calamitates has accidiſſe putat templo vel deſtructo, vel jam pene deſtruendo a Chaldæis, quo probat talia hic deſcribi mala, quæ ſtante adhuc templo erant ingreſſura; quippe id ſolitis ſacrificiis frequentare atque celebrare non amplius erat integrum, locuſtis hæc omnia devaſtantibus, quibus quam apte addenda ſit intempeſtiva ſiccitas atque ariditas, ſequentia manifeſtum reddent.

17. Satum (veluti in margine grana) eſt (vel ſunt) factum (facta) mucidum (a) ſub glebis ſuis, horrea ſunt deſolata, granaria deſtructa; Nam frumentum exaruit.

Verba hæc, quorum interpretationem maxime textui originali convenire & reor & comprobatum dabo poſtea, nil aliud continent, quam ulteriorem calamitatis prædictæ deſcriptionem, qua non tantum terræ fructus vireſcentes atque lætitiæ non vulgaris ſpeciem præbentes ex ore illorum eripiebantur impræſentiarum; verum ad futu-

z) Merc. *a)* Levit. 23, 13. *b)* Ita de futuro tempore quidam capiunt. *c)* Abarb. Ar. Mont. Ribera. *d)* Hieron. Cyrill. Kimchi. *e)* Merc. *f)* Sanct. *g)* Pet. a Fig.

futurum tempus quod attinebat, nulla etiam conditionis *h)* immutatio ſperanda erat: Illud enim ſatum, quod progerminare debebat in ſequentis anni meſſem, mucidum erat factum vel marcidum ſub glebis terræ, ſui ſimile igitur producere non capax; ita ut ratione præſentium habita pagi redditi eſſent deſolati, granaria deſtructa, ruitura, nullius uſui porro futura, nihil jamjam capientia, nec veroſimiliter captura in poſterum. Verum ut hanc interpretationem probatam ſiſtamus contra alias, quas plures ac diverſas ab ea eſſe nemo ignorat, e re noſtra eſſe arbitror, verborum ſingulorum prius eruere ſignificationem, cui rei ut nobis viam præparemus, non ingratum fore autumo lectoris oculis primo loco ſubjicere diverſas, quas diximus, a noſtra interpretationes, eas inprimis quæ ponderis ac auctoritatis nonnihil ſibi vindicare videntur, ab antiquitatis gloria nimirum.

1. *Chaldæi* Paraphraſtæ, qui primam partem hujus commatis reddit אתמסיו גרבי חמר תחות מגופתהן quod ita *i)* translatum in Bibliis Polyglottis: *Computruerunt k) dolia vini ſub operculis ſuis;* & *Mercero: Soluta ſunt ſub ſuis operculis dolia vinaria;* (quod idem eſſe duco, ac, *disjuncta ſunt)* quod ita explicat Abu Walid حمجت دنان الخمر وعفنت من طول مكثها فارغة *dolia vinaria fœtent vel rancida & mucida redduntur, quod tamdiu vacua maneant.*

2. *LXX.* qui habent ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν. Saltaverunt jumenta in ſuis ſtabulis. Quibus convenit Arabica impreſſa.

3. *Syri* ܩܘܘ ܡܛܥܡܢܐ ܥܠ ܐܘܪ̈ܝܗܘܢ quæ interpres Latinus reddit, *incœnatæ manſerunt juvencæ ſuper præſepibus ſuis* (etſi planior mihi videatur vocis ſignificatio, cum vertitur *toſtæ*, quam *incœnatæ*, ita ut commode reddi poſſet, *torrefactæ ſunt* vel *ſiccitate aduſtæ.)*

4. *Vulga-*

h) Ar. Mont. Pet. a Fig. *i)* Apud R. Tanchum ſcriptum extat איתמאסן *k)* Vaſa vinaria Pet. a Figur.

4. *Vulgati: Computruerunt jumenta in stercore suo.* Atque istæ sunt, quæ omnium longissime abeunt a nostratibus, quibus Judæorum plerique accedunt, nec non recentiores Christianorum. Tria potissimum sunt in hoc commate vocabula, quæ adeo in diversum trahunt interpretes, quæ cum alias in S. literis non extent, fit, ut conjectura eorum significationem eruant, prout sensui hujus loci quam maxime quadrare putant. Prima harum vocum præeunte textu hebraico est עבשׁו, quæ nostratibus redditur, *factum est mucidum* (vel facta sunt mucida) cujus vice cognata in S. literis adhibetur עפשׁו *Apheshu*, quæ etiam Rabbinis in usu est, nec quicquam radices illarum discernit, quam commutatio literæ ב, *b*, in ף, *p*, *l)* quod & in aliis vocibus fieri observatum est. Hinc eadem significatione venire illam cum hac ultima, Judæorum Doctores *m)* diversi notant, scilicet, *mucescere, mucidum fieri, putrescere*. Verum antiquus ille eruditus Grammaticus *n) Abu Walid* conatur significationem ejus eruere comparando eam cum voce Arabica عبس *Abesa*, quatenus idem significat quam يبس *Tabesa exarescere*, quod optime huic loco arbitratur convenire, eo, quod damnum hic descriptum magis videatur illatum siccitate, quam humiditate, prout mox sumus subjecturi. Auctor MS. Arabici exprimit eam per עתת *Orhthat*, qua denotari suspicor, *vermibus arrosum est*, (Arabes enim utuntur ea pro arrosione vermium vel blattarum, & عثث *Athatho*, ab eadem radice الغشاه pro *corruptione*) non esse in hebraica lingua innuens, unde ea vox derivetur, quare illis exprimi עבשׁו *Abeshu* per *Arbthu* عرثه موضه مس *sicut locus videtur flagitare.* Hi vero, quorum interpretationem hactenus inspeximus, in eo universi conveniunt, talem hac exprimendi formula hic designari rerum dictarum corruptionem, qua usui ac fini non respondebant, qui alioqui communiter inde expectari possit; cui sensui adstipulantur interpretes plerique latina vel aliis linguis reddentes, *computruerunt* (ut Vulgatus) vel alia ratione non absimili. Idem quoad vocis significationem suggerit Chaldæus. Ad Græcos vero quod attinet, sane non liquet

L ex

l) Vide Kimchi, Drus. *m)* Aben-Ezra, Kimchi, R. Tanch. R. Salom. *n)* In verb. פרר & עבש.

ex verbis hebraicis, prout hodie leguntur, qua ratione eam reddiderint per *ἐσκίρτησαν*. De Arabica voce عبس *Abesa*, quæ luminis nonnihil huic affudisse interpretationi videri posset, Capellus observat, opponi eam græcæ voci *σκιρτᾶν* *saltare, exultare*, eoque denotare *mœrere, vel tristari*; quamvis evenire sæpius dicat, ut vox ex alia in aliam linguam translata, contrariam ibi accipiat significationem, quam habebat antea; unde ejus opinio, suspicor, nata, vocem *Abesa*, quæ denotat Arabice *dolere* vel mœrere, posse deduci ab עבש *Abash*, quæ hebraice significat saltare vel exultare præ lætitia. Sed aliunde hujus opinionis argumentum non petit, quam quod eam Græci reddiderint *ἐσκίρτησαν*. Verum feliciori fortean conatu comparasset cum عبث *Abetha*, mutata litera ש sch in ش, quod insolitatum non est in his linguis, quæ significat *ludere*. Eam autem potissimam judicat rationem interpretationis hujusmodi, quod aliter olim legerint in codice hebraico, quam hodie, videlicet non עבשו *Abeshu*, sed בעטו *Bathu* a verbo quod significat o) calcitrare, petulantem esse. At adeo differunt sono & scriptione hæ voces, ut aliam pro alia in ullo accurato apographo poni vix ac ne vix quidem verisimile sit. Græcorum translationem excipit Syriaca, cujus vox ܛܘܝ *Tavai*, si ad mentem Latini interpretis sit exprimenda, *incœnatæ manserunt*; non satis mihi constat, cui denotationi, cum duplex vocis hebrææ עבשו haud multum ante a quodam tradita est, potissimum sit vindicanda. Si usitatiori significatione sit sumenda, qua, ut dictum est, redditur, *torrefactæ sunt vel adustæ*, eo reducenda videtur, quo *Abu Walid* visum fuit proprie spectare, nimirum ad *τὸ arere*, qua notatione etiam prædicta vox Arabice عبس *Abesa* venit. Jam ordo postulat, ut & nos aliquid adjiciamus de his interpretationibus, earumque sensu ab interpretibus assignato; sed id consultius duco tamdiu differre, donec introspectum fuerit accurate, quid intelligant per sequentem vocem, quacum præcedens construitur, פרדות *Perudoth*, quæ a nostratibus reddita est *satum*; in quo consentientes habent plerosque tum Judæos, tum recentes Christianos, qui

o) Deut. 32, 15.

qui eadem ſignificatione eam accipiunt impulſi & a radicis hebrææ ſignificationibus,& dialectis,quæ illi convenientes ſunt,& formis quæ inde more hebraico deducuntur. A Radice פרד *Parad*, quæ Hebræis, Chaldæis & Arabibus ſignificat *ſeparare* vel *ſeparatum eſſe*, poſſunt deduci nomina, quæ denotant *quid ſingulare*, & *ſeparatum* vel diviſum ab aliis, ut frumenti granula & ſemen, quod ſeminatur ac terræ mandatur. Atque eo ſenſu & hic accipi poſſe nomen hebraicum, abſurdum non eſt, quamvis formæ admodum peculiaris ſit, cum *p)* nominis ſubſtantivi loco in S. literis nullibi uſurpetur, nec ulla ejus occurrat occaſio; ſicut *q)* Syriaci ܦܪܕܬܐ *Pheredto*, quod in N. T. verſione occurrit ea ſignificatione *grani* vel *ſati*,& in plurali *granorum* vel *ſatorum:* unde apparet haud ſine prægnanti ratione ſic eſſe redditam & a quibusdam *r)* Judæorum explanatam גרגרי החטה והשעורה *grana tritici & hordei*, vel גרגרי הזרע &c. *s)* grana ſeminis, quæ ſeminantur, ſeparantur & diſſipantur per ſolum; vel ut *Abu Walid* Arabice البذورات or الحبوب المبذورة للزراعة *grana disjecta ſeminando*, & *R. Tanchum* الحبوب المعدوة للزراعة لانها تتغرق في الارض *grana præparata ad ſeminandum*, *ita dicta quia ſparguntur per ſolum.* MS. Arabici auctor eandem ei tribuit denotationem, atque ab eadem radice deducit reddendo المتفرّدات *Atmotapharredatu* (quod ad literam ſonat *ſeparatum)* ubi peculiari nota exponit ſe intelligere קמח אלבראר אלדי הו קמח מתפרד לם פיה זואן לאן כאן ראב אלנאס יבררו אלגלה מן אלקמח *quia mos hominibus eſt ſeminare præcipuum (vel exquiſitum) tritici.* Ita quidem & *Abarbinel* accipit, ſed aliam ſignificationis adducit cauſam, ſcilicet, non quod alterum ab altero ſit ſeparatum & diſtinctum, vel a lolio ſejunctum, ſed quod ſeparatum ſit (vel ſubductum) ab oculis hominum atque occultum

 in

p) Uſurpatur participii loco Ezech. 1, 10. *q)* Et פרדה apud Rabb. *r)* Ab. Ezra. *s)* Kimchi Rad. & Not.

in latebris ſoli ſemen. Atque ſic omnibus his hactenus convenit in eadem ſignificatione eademque nominis radice, utut in derivationis ratione nonnihil vacillent; eaque notatio tam probabilis eſt vocique tam propria, ut recentiores inter Chriſtianos interpretes plerumque exponant per *ſemina, grana, ſata, t) ſemina diſperſa, u) grana ſeminum.* Quod vero cæteras interpretationes interpretum antiquiorum allegatorum concernit, non æque liquet, lubens fateor, cur Chaldæus Paraphraſta reddiderit vocem per גרבי חמר *dolia vini;* non eſt certe ulla alia ejus rei ratio, quam nuda ejus auctoritas, & prorſus latet, quo uſu venerit hæc vox ſuo ævo. Quod ad Græcorum δαμάλεις (quorum veſtigia Syrus & Arabs prementes ſimilem incurrunt cenſuram) *vitulos*, extra omnem controverſiam eſt, non eſſe hanc ſignificationem vocis פרדות *Perudoth;* hinc *w)* quidam conjectant illos aliter legiſſe, videlicet פרות (ſine litera ד *d.*) *Paroth*, quæ hoc valet. Idem *x)* ſtatuendum de Vulgato Latino, qui vertit, *jumenta*, quamvis *y)* quibusdam videatur iisdem conſonantibus legiſſe vocem, at non iisdem vocalibus; ac ſi numerum pluralem formaſſet a פרדה *Pirdah*, quod genus fœmininum eſt nominis פרד *Perid mulus:* uno beſtiarum genere expreſſo, quo cæteræ ſimilis naturæ comprehenduntur beſtiæ vel catuli in genere. At lubrica eſt omnino confugiendi ratio ad variarum lectionum conjecturas: Probandum erat prius ita eos legiſſe, atque ratio ſuppeditanda, quare ita legendum ſit, quando lectio, a qua variant, tam bonum vel meliorem ſenſum præbeat, quam quæ ſubſtituitur, ut hic apparet. Tertia vox, qua hic utitur Propheta, quæque in S. literis alibi non extat, atque idcirco interpretationis variæ ſortem non minus ſubit, quam præcedentes, eſt מגרפתיהם *Magrephotehem*, noſtratibus, *glebæ ſuæ.* Atque in eo anteceſſores habent non tantum Judæos, ſed & recentiores interpretum, qui plerumque eam ſic exponunt; licet interdum quoad exprimendi rationem, non quoad ſenſum, paululum (ſi modo paululum) iis intercedat diverſitatis. *z) Abu Walid*, quem eorum, quos habemus Grammati-

t) Tigur. *u)* Munſt. *w)* Merc. Capell. *x)* Grotius. *y)* Ribera, Chr. a Caſtr. *z)* In Rad. גרף.

maticos inter Judæos, censemus antiquissimum, habet حطوطها כטוטהא *Catuteba sulci illorum*, quibus intelligit الخطوط التي يخطها الزارع بالسكة بعد البذر *quos agricola dentali suo ducit, postquam a) frumentum satum est*, qui sunt, addit, sicuti خدوش في الارض *scalpturæ in fundo*. Et in eandem sententiam alio loco *b)* rursus ait, sic nominari تشبيها بالخدوش والخموش *propter similitudinem scalpturarum vel vulnerum, quæ fiunt in cute alicujus unguibus, quæ sunt fracturæ cutis*. Eadem voce tantum non utitur *c) R. Tanchum*, adeo, ut & illi תחת מגרפותיהם *tachath magrephotehem* sit תחת חרושהא *sub scalpturis illorum*, i. e. تحت الخطوط التي يحفرها الحراث التي كانها كسور في الارض *sulcis, (lineis) quos aratrum fodit, qui sunt tanquam liræ in terra*, quomodo & alibi *(Psal. 65, 10.)* eadem fere ratione vocantur גדודים *Gedudim, incisiones* (nostr. *sulci*) a גדד *Gedad, incidere*. Huic significationi fulcrum quærunt ex voce אגרוף *Egroph*, quæ reperitur *Exod. 21, 18.* & nostratibus aliisque tum Judæis, tum Christianis redditur *pugnus*, sed illis شادخ كاسر *aliquid quod vulnerat* vel *facit d) incisuram* بה כל شي يجرح او يشدخ. Interim apparet his lineis vel scalpturis (ut eas vocant) non intelligēdos sulcos excavatos & apertos, sed terra obtectos, qui aratro vel occa ducuntur per eam, quippe vox תחת *tachath, sub*, ei adjuncta hoc necessario requirit; atque ideo *Aben-Ezra* exponit eam per העפר *pulverem* vel terram, & *Kimchi* per חתיכות העפר *fragmenta* vel particulas *pulveris* (vel terræ); hinc nostrates reddunt *glebas* cum recentioribus interpretibus plerisque. Quod *e)* quidam confirmare conantur ex lingua Ara-

a) Quod agro sulcato tradi solet, hinc occas intelligendas esse suspicor. *b)* In Rad. פרך.
c) Qui in Dict. suo ita reddit verba عفن الحب المبذور تحت خبب التراب المتراكم frumentum rancidum redditum est (vel putrefactum) sub serie bus terræ accumulatum. *d)* Abu VVal. גרף. *e)* Bochart.

Arabica, qua جرف *Jarph* significare perhibetur *glebam terræ, quam aqua convolvit* vel secum abducit, ita ut pro *quavis gleba* possit usurpari. *A radice hujus vocis hebraica גרף *garaph* & Arabica اجرف quæ significat *f)* & *convolvere* & *abducere* vel *dispergere*, non incommode forsitan posset deduci nomen, quod denotet terram fractam, superfusam, convolutam vel projectam super frumentum aratro vel occa; *glebæ* denotatione confirmata a الجرفة significante *frustum panis fracti*, atque ita fortean quædam fragmenta vel frusta fracta alius rei, sicuti glebæ terræ. Restat interpretationis vocis alia ratio, cujus meminit auctor MS. Arabici, (etsi ipsa hebraica voce exprimat مجارفهم) nimirum انابر quæ designat vel *granaria* vel *acervos frumenti in granariis* التي منها يجرف القمح ويودا الي الصحرا *a quibus triticum* (vel semen) *remotum est* (vel *aversum*, vel *ablatum*) *& delatum in campum*, ut terræ demandaretur, ita ut eandem notionem habeat hæc radix, quam præcedens, nimirum *demendi* vel *auferendi*. Hac ratione etiam accepisse nonnullos refert Grotius, qui habent *acervos*, ac si semina vel grana fuissent corrupta atque ad seminandum inidonea reddita jam in acervis suis, quo congesta erant. Quamvis igitur non una ratione differant, quos adduximus hactenus; in eo tamen sibi minus contrariantur, plagam hic traditam corruptionem esse satorum, quæ eo usque se extendere deberet, ut futuræ messis nil spei reliquum foret. Quemadmodum vero prædicti antiquiores interpretes longe diffident in verbis prioribus exponendis, sic & in posterioribus, accommodantes singuli ea ei sensui, quem putant commodissime posse ferre. Chaldæus habet מגופתהון *Meguphathon sub operculis suis, scilicet doliorum vini.* LXX. & cum illis Syrus & Arabica impressa ἐπὶ ταῖς φάτναις αὐτῶν *in stabulis suis* (vel *ad præsepia sua*) Vulgatus *in stercore suo.* Quorum utramque versionem *Mercerus* putat quam maxime

f) Hinc מגרפה dialecto Rabb. & Chald. & Arab. مجرفة ligo vel tale instrumentum fimo ejiciendo vel pulveri extergendo aptum.

xime niti derivatione vocis a radice גרף *Garaph*, quatenus denotat *avertere*, ſicuti ſtercus avertitur ſub pecudibus vel ex illorum ſtabulis. At aliam & planiorem & aptiorem vocis hujus ſignificationem non novi, quam quæ primo loco a nobis eſt adducta, quamque ſequuntur cum noſtratibus nonnulli alii, quare ad eam retinendam magnis adducimur rationibus. Sed tum hic quæſtio exoritur, quam diverſe ſolvunt, qui hanc interpretationis rationem amplectuntur, nimirum quo pacto ſatum in terra ſit corruptum, ut hic innuitur? *g)* Alii cauſam petunt ab abundantia humiditatis, vel pluviæ ingenti copia. Alii a magna ſiccitate vel inopia pluviæ, cum nemini dubium ſit, utramque perniciosam eſſe ac deſtruere ſatum in terra, alteram putredine, alteram marcore & tabe vel ſiccitate, ut non poſſit creſcere vel expullulare. Inter eos, qui abundantiæ pluviæ eam tribuunt, recenſet doctiſſimus *h) Bochartus* Kimchi, cujus verba, prout ab eo citantur, ſunt hæc יתעפשן גרגרי הזרע מפני הגשמים interprete eodem *Bocharto*, *putreſcunt grana ſeminis propter pluvias*. At vel ipſe hic hallucinatur, vel exemplar eſt corruptum, quod ſequitur. In exemplaribus enim omnibus quæ mihi videre contigit impreſſa & MS. alia adduntur citatis verba, quæ perfectum ſenſum conficiunt & contrariam ejus mentem adaperiunt, in quibus poſt verba מפני הגשמים *propter pluvias*, adduntur שלא ירדו עליהם כי גם כן תהיה עצירה גדולה בשנים האלה *quæ non deſcendent ſuper ea, quia futura eſt magna ſiccitas* (vel pluviæ defectus) eo tempore. Nec ſecus actum cum *Deodati*, quem ejusdem ſententiæ aſſeclam citat. Verum equidem eſt, verba ejus citata extare in *i)* quadam editione, ſcilicet grana eſſe corrupta *du ſoverchie piogge* per nimiam pluviam; ſed inveniuntur in *k)* poſteriori editione, quam interpres Anglicanus ſequitur, verba, quæ omnino contrarium indicant, videlicet non potuiſſe progerminare *per leſtreme joccita* propter ſummam ſiccitatem, ac ſi ambiguus hæreret cum aliis, num hæc vel illa illata ſit noxa, *l) vel pluviarum frequentia, vel raritate nimia*, vel, ut placet *m)* quibusdam utramque conjungere. *poſt diuturnos imbres*,

g) Jun. Trem. *h)* Pſal. p. 472. *i)* In 4to Genev. 1607. *k)* Genev. 1641. in Fol. *l)* Pelican. *m)* Danæus.

bres, sævientem siccitatem seu æstum solis. At Kimchi abundantiæ, ut dictum est, eam non tribuit, sed defectui vel inopiæ pluviarum, quæ etiam opinio est *Abu Walid*, cujus verba eo tendunt, ut nihil aliud velint verba *Abaschu Perudoth grana arefacta sunt*, quam אלתשניע ואלתעטים לאמר אלקחט אלדי נאלהם התי יבשת אלחביב תחת אלארץ אד לא ינזל עליהא מטר פלם תנבת *exaggerare turpitudinem & magnitudinem famis, quæ illos obruebat, ita ut grana sub terra arescerent, quia pluvia non cadebat super ea, atque ita non poterant protuberare.* *R. Tanchum* dicit etiam id contigisse per ingentem siccitatem, atque exinde putat monstrari posse ان مع الجراد عدم الامطار *cum locustis simul fuisse ibi pluviarum inopiam*, id quod etiam ex sequentibus appareat *(v. 20.)* כי יבשו אפיקי מים *alvei aquarum exaruerunt.* Hanc expressionem (cui adjungi potest quæ habentur *v. 19. Ignis consumsit pascua deserti, flamma inflammavit omnes arbores agri*, & quæ sequuntur *vers. 20. ignis absumsit pascua deserti)* argumenti loco habet prædictus Doctissimus *Bochartus*, magnam fuisse siccitatem, non vero humiditatis excessum, qua hæc facta sunt. Idem ex eo probat, quod hæc calamitas conjuncta sit cum destructione illa, quam inferebant terræ fructibus locustæ, & cætera ante dicta noxia animalcula, quia plerumque hæ bestiolæ abundant tempestate sicca, non humida & pluviosa, quæ ipsis interitum ciet, ut ex illis probat *n)* auctoribus, qui de natura illarum scripserunt; & hac ratione, ut observat, non dicenda sunt sata *putrefacta*, quod a superflua humiditate venit, quin potius *evanuisse, in nihilum redacta*, quod fit, cum marcida redduntur atque contrahuntur humiditatis defectu, qua notatione etiam accepisse עבש prædictum *Abu Walid*, jam ante nobis observatum est. Huic verborum explicationi operose nimis ac diu insistere coacti sumus ob nimiam diversitatem interpretationis, quam diversi interpretes tam diverse tradunt. De reliquis, quæ descriptionem ulteriorem calamitatis immissæ complectuntur, quamvis diversitas tanta inter illos non sit, nec omnibus tamen convenire satis apertum est. Nostrates habent,

n) Ex Plin. Arist. ut & ex Tertulliano.

habent, *horrea sunt desolata, granaria destructa.* Horrea אצרות *Otzeroth*, quæ vox significat & res in futurum usum conditas,& repositoria vel loca, in quibus conduntur, Latine *Thesauri*, & Græce θησαυροὶ, ut *o)* non nemo interpretatus est. *R. Salomon* addit של יין ושל שמן *vini & olei*, verum non exprimit, num harum rerum copiam, an promtuaria intelligat; posteriora vero intelligere non levis conjectura est. Clarius mentem suam prodit *Kimchi* in eandem sententiam exponens: *thesauri* seu repositoria התבואה *fructuum terræ* sunt desolati (deserta, derelicta) quia nihil est, quod *iis imponatur atque ita sunt vel jacent desolata.* Unde manifeste liquet, plerosque vocibus licet diversis eodem tendere, cum habeant *horrea*, *thesauri*, *cellæ*, *thecæ*, *reconditoria*, *granaria*, omnesque hanc vocem sumant pro repositoriis, quibus aliquid imponitur vel quæ aliqua re implentur; licet alii generalius accipiant pro quoque rerum genere, alii strictius pro frumentorum granis, ut nostrates, quando reddunt, *horrea*, quod hic locus videtur præcipue flagitare, cum de iis, & quæ præcedunt, & quæ sequuntur, inprimis agant verba. Differt ab his versio *Tigurina*, quippe de rebus iis impositis sumit, reddendo: *vastata sunt quæ reposita fuerunt;* & quæ antecedunt: *computruerunt semina dispersa subter glebas suas*, ita ut sibi apte hunc in modum cohæreant: *Computruerunt semina diversa subter glebas suas, vastata sunt, quæ reposita fuerunt.* Utrumque eodem redit, nimirum, defectus ordinariæ frumenti copiæ innuitur, qua gaudere solebant, cuique recondendæ repositoriis opus erat. Si frumentum deficit, horreis opus non est; si horrea sunt desolata, constat frumentum non posse ibi recondi, atque ejus curam haberi. At magis puto quadrare non tantum huic loco, sed & sequentibus verbis, de horreis vel repositoriis, in quibus dicta solebant recondere, ea exponere, quam de rebus ipsis; atque ea ratione videntur id etiam accepisse ex priscis *Chaldæus* & *Syrus*, qui talem adhibent vocem, quæ & radice & significatione accedit hebraico אוצריא *Otsraya*, *cellaria*, vel ut Mercerus, *Apothecæ* & ܐܘܨܪ̈ܐ *Autzre*, *horrea*, & Græca θησαυροὶ,

 thesau-

o) Taga.

thesauri, ut antea retulimus, eamque ob rationem hic repetimus, ut palam fiat, hic loci in quibusdam *p)* exemplaribus perperam legi ταυροὶ, *tauri*, quia fortean δαμάλεις, *juvencæ*, in hac translatione præcesserant.

In eandem sententiam dicta etiam sunt, quæ hæc proxime sequuntur, adeo ut *Kimchi* dicat, quod in eis כפל הענין *geminet sensum*, (i. e. repetat idem, licet diversis verbis) quatenus ממגורות *Memguroth*, ejusdem significationis est cum אוצרות *Otseroth*, utraque repositoria denotante. *R. Salomon* tamen eas ita distinguere conatur, ut per *Otseroth* intelligat, in quibus reconditur vinum & oleum, per *Memguroth*, quibus recipitur triticum vel frumentum. *q)* Alii aliter accipiunt, scilicet, ut priori innuatur receptaculum frumenti & aliorum id generis vitæ necessariorum, posteriori receptaculum, quo vinum secluditur. Ita videntur accepisse LXX, cum alteram reddant θησαυροὶ, *thesauri*, alteram ληνοὶ *torcularia*, quemadmodum & Syrus primam exprimit per ܐܘܨܪ̈ܐ horrea, alteram ܡܥܨܪ̈ܬܐ per torcularia (ut & Arabica impressa per معاصر *Maaser.*) Eo nempe redit omnis inter eos diversitas, quod, observante Kimchi, vox utraque indefinite denotet aliquod repositorium vel locum, in quem colliguntur vel deponuntur res vitæ necessariæ, sive frumentum & vinum, sive aliquid hujus generis aliud. De posteriori voce ממגורות *Memguroth*, (quæ descendit a radice גור *Gur*, quatenus denotat *colligere*) dicit *Aben-Ezra* esse מלה זרה *dictionem peregrinam* vel inusitatæ *formæ*, eo quod initio gemina ponatur litera מ *m*, cum una juxta regulam sufficiens fuisset, adeo ut debuisset legi מגורות *Meguroth*, numerusque sit pluralis ex *r)* מגורה *Megurah*, qui occurrit *Hagg. 2,19.* quo in loco significat granarium. Hinc *R. Tanchum* حق جمعه ان يكون מגורות فزادوا علي الميم المركبة ميما اخري فصارت ממגורות *Ejus numerus pluralis debuisset esse Meguroth, sed addita alia* m *ei, quæ nomen format,*

p) Basil. in fol. 1597. Et vid. Kimchi Concord. & Drus. *q)* Vide Riberam & Pet. a Fig.
r) Grotius comparat cum ea *Maguria*, quo nomine Pœni horrea sua vocabant & villas.

m:t, factum est Mammeguroth. At, quod confitetur non ille solum, sed & Judæi alii cum Christianis, nil ea additione nec significationi nec constructioni vocis, quæ simplicior est & regulari formæ magis accedens, infertur. Unus *Kimchi* observat Patrem ejus secus sensisse, videlicet priorem מ *m*, voci essentialem non esse, sed particulam servilem, vel præpositionem ei præfixam, significantem *de* vel *ex*; ita ut sensus esse deberet *ex granariis* (quædam) *destructa sunt*; quamvis litera *m* ea vocali destituta sit, qua plerumque conjuncta ea significatione venit; loco enim *i* habet *a*. Huic accedit etiam *Abarbinel*, primam literam esse particulam præfixam, statuens, quæ idem significet ac מן *Men, ob* vel *propter*, atque tum alia significatione accipit nomen, scilicet, *timoris*, mutatoque constructionis ordine legi debere percupit: *granaria sunt destructa & diruta propter timorem, scilicet hostium*, quatenus timore horum correpti nec serebant, nec metebant. At prior ratio ut simplicissima est constructione, ita & videtur planissima, quare cum plerisque tum nostratibus quoque merito probatur. Quod ad verbum נהרסו *Neherssu destructa sunt* attinet, nullum dubium est, quin *ruinam ac destructionem inferre* denotet. *Kimchi* tamen hanc significationem conatur infringere, sic posse intelligi innuens כאלו נהרסו *sunt ac si essent desolata vel diruta*, quia nihil hucusque illis illatum est: Addit vero, si proprie hoc sumendum, ut re ipsa destructa dici possint, id ideo factum, quia nemo amplius eorum curam habebat, vel quotannis, ut solenne iis erat, reparabat deficiente protinus eorum usu & emolumento, atque sic proruisse & periisse. Ratio vero istius negligentiæ, qua in ruinam ea vergere necesse erat, & quare minus ruinæ illorum obstent, exprimitur in sequentibus: *Nam frumentum exaruit.* Quæ cum addantur præcedentibus, *satum mucidum factum est sub glebis suis*, vel ejusdem rei repetitionem constituunt, vel si quid diversi habent, id significare videntur, q) *quod supererat ex illa semente*, nondum prorsus corruptum (vel quod inde expullulabat) ita in agro marcidum erat redditum, ut integritatem ac perfectionem suam minus assequi posset, quare nil relinquebatur granariis inferendum, unde

q) Jun. Tremel.

eorum conſervandorum nec ulla neceſſitas nec uſus; atque hæc expoſitio pro illis facit, qui præcedentem vocem interpretantur, *granarium*, quod frumentis proprie convenit, contra illos, qui eam ſumunt pro cella vinaria.

Vocis הוביש *Hobish*, noſtratibus *exaruit*, plus ſemel ante mentio injecta eſt, ut *v. 10. 11. 12.* duplicique ratione ſumi poſſe notatum, quatenus ad duplicem radicem referri patitur, videlicet ad יבש *yabash*, *exareſcere* vel ad בוש *Bosh pudeſieri* vel *confundi*, prout loci circumſtantiæ, ubi occurrit, requirere videntur. Utraque ſignificatio voci hic tribuitur, altera ab aliis, ab aliis altera. Primam amplectuntur noſtrates, & non pauci cum antiquorum tum recentiorum. Sic LXX. ὅτι ἐξηράνθη σῖτος, *quia triticum exaruit*. Sic Syrus ܘܝܒܫ ܥܒܘܪܐ *Vibesh oburo*, *& frumentum exaruit*. Et Arabica impreſſa لان القمح جف quia &c. Et interpretum recentiorum nonnulli: *r) aruit* aut *s) exaruit*, & *e ſecuto*, inquit *Diodati*, *exaruit*, & in *t)* alia editione, *periro per la ſiccita*, periit per ſiccitatem. Sed ſunt alii inter eos, qui altera ſignificatione accipiunt, qua denotat *pudeſieri* vel *confundi*. Ita Vulgatus *quia confuſum eſt triticum*, quem ſequuntur ex *u)* hodiernis non pauci, cum vel *w)* eodem verbo vocem exprimant, vel alio æquipollent: *quod pudefactum ſit*; quid? quod nec Judæorum quorundam mens ab hac interpretatione prorſus aliena ſit. Ita MS. Arabicum *x)* خزي الدجن *frumentum confuſum eſt* vel *pudefactum*. Ita *R. Tanchum* qui contra ſignificationem *exareſcendi* excipit, quod لا معني ليبس البر مع رعي الجراد له *non ſit conveniens dicere, frumentum exaruiſſe, eo quod innuitur, locuſtas illud comediſſe.* At non opus eſt mea ipſius opinione hac exceptione, ſi verba eo modo accipiantur, quo ſupra innuimus, ſcilicet pro repetitione verborum præcedentium, qua docetur, quid acciderit frumento in ſolo ſub glebis; vel ſi accipiatur cum quibuſdam pro eo, quod devoratum non erat a locuſtis, ſed relictum; reliquiſſe autem

---

r) Pagn. *s)* Munſter. *t)* 4to 1607. Gen. *u)* Munſt. *ww)* Tig. Caſtalio, *quippe fœdata frumenta*. *x)* Videtur vocem hebraicam retinere, quæ tamen ea ſignificatione apud Arabes in uſu non eſt.

autem nonnihil improbabile prorſus non eſt, quanquam horrenda fuerit illarum deſtructio. Quod vero ad ſenſum hujus vocis pertinet, ſi hac ratione ſumatur, certum eſt, illum proprie eam non accipere, ut ſignificet pudorem vel confuſionem, quippe quæ in frumentum non cadunt, ſed figurate vel improprie للعدم والانقطاع *pro defectu, vel fruſtratione, præciſione vel amiſſione*, quo ſenſu etiam Chaldæus Paraphraſtes reddit סף, *defecit*; vel ut *y)* nonnemo ad rationem clariorem reddendam, cur ita accipiatur, exponit, *defecit, & deficiendo homines confudit, pudefecit & ſpe fruſtratum eſt*; qui ſenſus æque congruit vocis ſignificationi, qua denotat *exareſcere*. Quæ porro collocatur opera ad ea inſuper exquiſite diſtinguendum, inſtituti noſtri non eſt inquirere. Calamitatem hic deſcribi noſtra opinio eſt, quæ inferebatur a locuſtis &c. & ſiccitate proprie ſumta; eamque exponendi viam planiſſimam tritiſſimamque arbitramur. Qui hoſtes hiſce expreſſionibus præfiguratos eſſe ſtatuunt, quorum non paucos eſſe ante tradidimus, omnem etiam jacturam & damnum hic deſcriptum iiſdem tribuunt, eoſdem putant omnes devoraſſe terræ fructus, eoſdem *z)* conculcaſſe ſata, eoſdem deſtruxiſſe horrea, eoſdem diruiſſe granaria, eoque frumenta, quæ humi jacebant, & in *a)* acervis ſuis congeſta, exaruiſſe & effluendo periiſſe, quia non erat horreum, quo tegebantur & defendebantur a cœli intemperie; hinc Grotius ultima verba vertit: *ideo b) fœtuit triticum*, non quod tritici penuria cauſa extiterit, cur horrea rui ſiviſſent, ſed id potius adſcribendum eſt defectui tectorum, quibus cum deſtituta eſſent horrea atque ideo omni intemperiei cœli expoſita, factum eſt, ut exaruerint mucidaque reddita ſint frumenta. Atque ita exponit *Abarbanel* particulam כי *Ci*, quam noſtrates reddunt *Nam* per ורכן velacen, *atque ideo*; ſicut aliquando etiam aliis in locis ſignificare, *ideo, propterea, quare, quamobrem*, *c)* notatum eſt.

Quamcunque autem viam ingreſſus fueris, ut rite intelligas hanc emphaticam & geminatam exprimendi rationem, qua ingentem

M 3 illam

---

y) Pet. a Fig. *z)* Vid. Ar. Mont. *a)* Grotius. *b)* Putat בוש vicinam habere ſignificationem cum באש fœtuit. *c)* Vid. Concord. Noldii.

illam Propheta deſcribit calamitatem, qua populus erat afflictus & in poſterum affligendus ea in regione, in qua antea omni genere deliciarum ad ſatietatem usque ſuperfuſus fruitus erat magna copia omnibus illis bonis, quæ ad vitæ non tantum neceſſariam, verum & ad delicatam pertinent rationem, nec non ipſum fontem, unde hæc univerſa in ipſum derivabantur; hanc, inquam, exprimendi rationem, nemini obſcurum arbitror, in id potiſſimum eſſe adhibitam, ut, ſi omnino ad mentem voluiſſent revocare ſuam conditionem Judæi ac undecunque rite inſpicere, de graviſſima, qua in eos ſæviebat Deus, admoneret ira atque ad ſeriam repentinamque commoveret reſipiſcentiam & converſionem ad DEum, ut ejulando, jejunando ac precando mœſtiſſima ante juberet ceſſare ſupplicia, quam penitus eſſent ab iis conſumti & deleti. E contrario ſi minus ad ea attenderent eaque non aliter conſiderarent, quam quæ fortuito erant illata, & quæ tam cito poſſent evaneſcere, quam venerant, vel quibus aliunde remedium peti poſſet, quid aliud ea innui arbitreris, quam ſumma illorum ſtupiditas brutumque ingenium, quo minus iis afficiebantur, quam ipſa inter eos bruta? quorſum etiam ad ulteriorem eorum inſtructionem eos videtur in ſequentibus ablegare, quo affectu mala ingruentia exceperint, oſtendens:

18. *Quam ingemiſcit animal? armenta boum ſunt perplexa, eo quod nullum ſit paſcuum eorum: etiam greges ovium deſolantur.*

Quam d) quidam reddunt, *quare* &c. quod perperam aliis videtur, quocirca retinere malunt, *quam* &c. Prolata priora verba interrogandi forma arguunt amplitudinem rerum prædictarum, atque impetum & vehementiam qua perſtringebant; quamobrem Chaldæus ea forma interrogandi inſuper habita affirmative reddit להדא מתאנחא בעירא *ingemiſcit animal valde.* Vox *animal* hebraice ſingularis numeri eſt, verum ſumitur *e)* collective ſignificatione plurali ceu plura complectens; *f)* generale præterea eſt

nomen,

d) Vulg. Pagn. Arab. MS. ماذا. e) Piſc. f) Kimch. Pet. a Fig.

nomen, cujus ſpecialia poſtea exprimuntur ſub nominibus *boum* & *ovium*. Etenim בהמה *Behemah*, cum veniat generali ſignificatione יקאל עלי אלחיואן אלמאשי *dicitur de talibus creaturis vivis, quæ incedunt quadrupedes*, ut explicite habet *Abu Walid*: appoſite ad بهيمة *Bahimah*, dialecto Arabica, quæ *g)* denotat كل ذات اربع قوايم *quadrupedem quandam vivam creaturam* ولو في الما *quales etiam in aqua degunt*; imo adhuc generalius كل حي لا يميز *quamcunque creaturam vivam ſine diſtinctione*. *Abu Walid* prædictus inquit אן לפט בהמה יקע עלי נוע ואחד ועלי אנואע כתירה מנהא ויקע עלי אלשכץ אלואחד *vocem* בהמה *Behemah, dici jam de uno genere* (beſtiarum) *jam de pluribus, jam de quadam beſtia particulari*. Inter eam vero & חיה *Chaiyah*, (quæ reperire eſt una cum illa *Gen. 1,25.* ubi altera vertitur *beſtias terræ*, altera *boves*) diſtinguere Judæorum *h)* Magiſtros obſervatum eſt, ita ut poſteriorem (*chaiyah*) feras beſtias proprie denotare ſtatuant, priorem vero (Behemah *i)*) domeſtica, cicuria, quorum ſervitio plerumq; utuntur homines. Hoc igitur generali nomine non dubium eſt, quin ſequentes ſpecies, quæ armenta boum & greges ovium appellantur, comprehendantur, adeo ut in ſpecie deinde Propheta velit innuere, quænam potiſſimum ſpectet animalia juxta expoſitionem *Kimchi*, quæ nobis valde probabilis eſt. Solet equidem ea vox, ut jam notavimus, pro aliis etiam animalium ſpeciebus ſumi ac præcipue, ut cenſet *Grotius*, pro equis, mulis, aſinis, quando nihil aliud additur, ab Hebræis, Chaldæis, & Arabibus; atque hinc eſt, quod voce magis propria ab eis exprimitur, qui habent, *k) jumentum*, quæ inprimis ejusmodi animal denotat, cujus opera in rebus bajulandis & trahendis, ut & in re agraria præſto eſt; ac ſi non ſolum in genere ſpectaret has duas ſpecies boum & ovium, ſed & quaſcunque alias; qua ſignificatione probata neceſſario addendam eſſe duco interrogandi vel exclamandi notam etiam ſequentibus verborum commatibus, quod ut

g) Kamus. *h)* Buxtorff. Lex. Talmud. *i)* Vide Ar. Mont. in h. l. *k)* Interlin. Tig. Munſt. Jun. Trem.

ut a *l)* nonnullis factum videmus, ita *m)* alii priora tantum per interrogationem legunt, cætera ſimpliciter per affirmationem. *Vulgatus* generali nomine *animalis* exprimit, Chaldæus & Syrus per בעירא *Beira* & ܒܥܝܪܐ *Beiro* quod bene reſpondet hebraico *Behemah.* Lexicographi Syriaci ita exponunt, ut ſignificet البهايم الانعام *beſtias, pecudes*, inter viventes creaturas ܠܚܝܘܬܐ ܕܐܝܠܝܢ ܕܡܬܪܣܝܢ ܒܥܣܒܐ ܘܡܢܗܘܢ ܡܬܐܟܠܢܐ ܘܡܢܗܘܢ ܠܬܫܡܫܬܐ ܣܢܝܩܢ *quæ veſcuntur gramine, vel quarum quædam ſunt edules, quædam ad ſervitia neceſſaria.* Magna vero eſt differentia hic inter LXX, quibus etiam adſtipulatur Arabica impreſſa, & textum hebraicum, & qui illum interpretantur. Habent enim LXX τί ἀποθήσομεν ἑαυτοῖς, quod juxta Hieronymum ita latine ſonat, *quid reponamus nobis?* Quod cum nequaquam cum textu hebraico, prout hodie habetur, conciliari poſſit, factum eſt, ut nonnulli, quibus rem propius inſpicere volupe fuit, aliter olim legiſſe conjecerint, nimirum loco בהמה *Behemah*, *n)* בהממה *Behemmah*, vel בהם *Bahem*, & loco נאנחה *Neenchah*, quod eſt ab אנח *Anach, gemuit*, *o)* ננחה *Nannechah*, ac ſi eſſet a נוח *ſtatuit, collocavit*; at ne ſic quidem conciliari textum hebraicum cum verſione græca, ex eo liquet, quod ipſi conciliatores minus ea contenti tandem ad diverſam quoque lectionem verſionis græcæ confugiant, qua ſecus habuiſſe antiqua exemplaria, quam hodierna conjiciunt, videlicet ubi hodierna habent ἑαυτοῖς *nobis ipſis*, rectius (juxta quosdam) legi αὐτοῖς, *illis*, vel (juxta alios) ἐν αὐτοῖς *in illis.* Si harum poſterior probetur, referendum eſt pronomen ad prædicta *p)* horrea, & granaria deſolata & destructa, cum eorum nullus amplius eſſet uſus. *Quid enim debemus, quid habemus quod in illis reponamus?* Si prior, referendum eſt ad armenta boum perplexa & greges ovium deſolatos, atque tunc בהם, *in illis*, poſitum videri poſſit pro *q)* להם *Lahem, illis* vel *pro illis*, ac ſi dicas, *r) quid illis beſtiis recondemus? (ubi inveniemus victum pro illis?)*

Ita

l) Jun. Trem. *m)* Ut noſtrat. & Piſc. monet, non eſſe legenda per interrogationem poſteriora duo commata. *n)* Merc. Druſ. Cappel. *o)* Mercer. *p)* In illis ſcilicet θησαυροῖς ἢ λη̃νοῖς Druſ. *q)* Cappel. *r)* Mercer.

Ita conjectura conjecturam nectit, quare opus non est solicite inquirere, quæ sit rectissima, vel num harum aliqua sit vera, cum clariorem nobis exhibeat sensum usitata textus hebraici lectio, cumque multo aptiorem, quem etiam merito amplectimur. Aeque certe minus scrutari nostra refert, quomodo legerint, quam num habuerint justam causam ita legendi. Verum cum non unum sed diversa animalium genera his plagis sint affecta & afflicta, id quoque operam dat Propheta, ut in specie ea ostendat; quare primo loco addit, *armenta boum*, בקר *vaccarum & boum*, & s) quæ sunt hujus generis, נבוכו *Nabocu sunt perplexa* a radice בוך *Boc*, quæ simplici sua forma in usu non est; sed quæ inde formantur ac derivantur, quandocunque occurrunt, implexum esse atque confusum significant, ut *Exod. 14,3.* נבוכים הם בארץ ubi nostrates æquipollentem adhibent vocem *intricati sunt in terra*, quam *Ainsworth* retinet, addit vero, ad literam esse, *t) perplexi sunt*. Ita *Esther 3. ult.* Civitas *Shushan* נבוכה erat *perplexa*, unde descendit nomen מבוכה *perplexitas*, *Esa. 22,5.* & *Mich. 7,4.* nec parum hæc denotatio firmatur ex usu hujus radicis Arabica lingua, in qua a radice بوك *Bawaca*, dicuntur باك *Baca* & انباك *Enbaca*, homines, quando *u*) اختلط عليهم رأيهم فلم يجدوا مخرجا *illorum mentes (vel consilia) adeo sunt confusæ, ut nullam inveniant viam sese expediendi*, (vel, ut nequeant in animum inducere) sitne eundum, an redeundum; quo etiam spectat *Kimchi*, quum eam vocem significare dicat בלבול *confusionem* (perplexitatem) כאדם המבולבל ברעתו ולא ידע מה יעשה *quando homo perplexus est in mente sua* (vel cogitationibus) *& nescit quid sibi faciendum sit*. Ita ut nullum dubium sit, quin recte faciant & nostrates & alii interpretes, qui *perplexitatis* denotationem tribuunt voci, prout hebraice hodie legitur. *w*) LXX. vero habent *ἔκλαυσαν βουκόλια βοῶν armenta boum luxerunt*, unde *x*) eruditis subiit, eos non legisse *Nabocu*, a בוך *Boc* perplexum esse, sed נבכו *Nibcu* a בכה *flevit*. At *) excipitur contra illorum conjecturam, quod

N alibi

s) *Armenta Bucera*, Grot. t) Tig. Jun. Trem. u) Kamus. w) Ita & Syriac. & Arab. impressa. x) Merc. Drus. Capp. *) Buxt. Vindic.

alibi in S. literis non inveniatur aut vox ipsa aut ejus forma; si vero inveniretur, non active significaret *lugere* vel *flere*, sed passive, *lugeri* vel *deplorari*. Verum non est, ut ex illorum interpretatione diversa diversam etiam colligamus lectionem. Quamvis enim ἔκλαυσαν non præcise significet *perplexa sint*, patet tamen *luctum, fletum & lamentationem* plerumque assiduos esse comites perplexæ ac perturbatæ mentis, atque ex eo mihi non leviter videntur peculiari hac expressione comprehendere, quicquid animi perplexitas secum fert, si id ipsum illi recte innuisse dicendi sint. Atque hæc ratio conciliandi & facilior & mitior mihi videtur, quam conjecturarum talium conglobatio, quibus & in regulas & in proprietatem linguæ impingitur, & activum cum passivo pro lubitu confunditur. Pari facilitate possunt & cæterorum translationes conciliari cum textu hebraico, quæ non stricte adhærent perplexitatis significationi. Hos inter prominet Vulgatus, qui habet, *mugierunt*, Munsterus, *oberrarunt*, & Castalio, *plorant*. Ratio hujus perplexitatis in illis traditur hæc, *quia illis nullum pascuum est*, omnibus alimentis ac pabulis destructis & absumtis a causis, quas non multum ante inspeximus, ac in sequentibus adhuc inspecturi sumus. Hinc ut exaggeret Propheta calamitatem, quam describit, addit, non solum defore pabulum majoribus animalium generibus, quæ majorem alimenti copiam requirunt; verum etiam minoribus, quæ paucis contenta, quin & ipsis ovibus, quæ parciori fruuntur pabulo, gramineque curtiori. Unde sic pergit; *etiam greges ovium desolantur*, hoc est, etiam hæ tam tristi, tam desolatæ subjectæ sunt conditioni, ut non amplius habeant, quo sustententur. Emphasin, qua Propheta calamitatis immissæ gravitatem describit, *Kimchi* arbitratur inesse particulæ גם *Gam*, quam nostrates vertunt, *etiam*, eaque innui putant, adeo increbuisse calamitatem, ut ne minores quidem animalium greges, qui cæteroquin adhuc alimentum ibi inveniunt, ubi majora bene sunt pasta, tantum invenerint, quo fami suæ consulerent. Vox הצאן *Hatson*, nostratibus & aliis non paucis versa, *ovium*, ac si potissimum hoc genus animalium minorum spectaret, redditur a Vulgato & aliis voce largiori, *pecorum* (vel *pecoris*) traditurque ab erudito Judæo *Abu Walid*, nomen esse

تعم

تعم الضان والمعز جميعا quod comprehendat æque oves ac capras, ita ut juxta illum Arabice debuiſſet reddi غنم *Ganam*, quod etiam utramque ſpeciem denotat, nulla vero ratione ضان *Ddan*, quamvis in literis nulla diverſitas; quia illud peculiare nomen eſt Arabibus, quo oves diſtinguuntur a capris. Pari ratione notat, quod interdum تخص به اضان من الماعز *peculiariter dicatur de ovibus, quatenus diſtinctæ ſunt a capris.* (ut *1. Sam. 25, 2.* ubi Nabot dicitur habuiſſe tria millia צאן *Tſon, ovium*, & mille עזים *caprarum.*) Idem obſervavit etiam Kimchi, quod ſcilicet nomen ſit commune הבהמה הדקה *minoribus gregibus*, videlicet הכבשים והעזים *ovibus & capris*, & quod nunc כי לכל כלם *y)* omnes complectatur, jam uni alicui illorum *z)* ſpeciei attribuatur, ſcilicet *ovibus*, ut in prædicto loco, *1. Samuel. 25, 2.* Rurſus quod interdum utrumque comprehendat, הבהמה הדקה והבקר non tantum minora animalium, verum etiam majora, ita ut nomine בקר *Bakar*, intelligantur vaccæ &c. Atque eo ſignificatu hanc vocem extare putat *a) 1. Sam. 8, 17.* Verum quod ſecus hic accipienda ſit, ex eo liquet, quod expreſſe a voce בקר *Bakar* diſtinguatur, quæ majora pecora *b)* denotat, ut notatum eſt antea. Neceſſe igitur eſt, ut cum noſtratibus aliiſque nonnullis ſumatur vel pro *ovibus* peculiariter, vel quibus etiam admiſtæ erant capræ, ut illis placet, qui reddunt *pecus*, Chaldæoque Syro ac Arabi, quorum priores habent ענא *Ono*, poſterior غنم *Ganam*, quæ nomina utrique harum minorum pecudum generi communia eſſe videntur. De his dicitur hic נאשמו *Neeshamu*, quod recentiores noſtri interpretes reddiderunt, *deſolati ſunt*; alii antiquiores in eandem mentem, *deſtruuntur*, quod Græco ἠφανίσθησαν reſpondet; Chaldæus habet צדיאו; Syrus ܣܦܘ; Arabicum MS. استوحشوا (*deſolati redditi ſunt*) Impreſſa Arabica انقرضت; Vulgatus *diſperierunt*; Munſterus, *damno affecti ſunt*; Caſtalio, *mulctabantur.* Grotius *deſolati*

ſunt,

y) Ut Levit. 3, 6. ubi noſtr. *grex.* *z)* Ex denominatione unius ſpeciei etiam colligi p[...] li[...] quid de cæteris ſ[...] tu[...]m, licet vox eas non denotet. *a)* Ubi noſtr. *oves.* *b)* Quod quidam non t[...]ntum propri[...] referunt ad minora, ſed generaliter ad omnia majora animalia, ut ſunt, Equi, Boves, Aſini & Cameli. Druſ.

ſunt, quod ad literam hebraicam vocem ſonare idemque ſignificari aſſerit, ac *ad paucitatem redacti ſunt*. Eodem hi omnes arripiunt ſenſu radicem אשם *Asham* cum שמם *Shamam deſolavit, deſtruxit, vaſtavit*, qua ſignificatione hic ſumi *R. Abraham Ezra* & *D. Kimchi* volunt, ut & *Hoſ. 13, 16.* & *Eſa. 24, 6.* At aliam etiam ſignificationem habet ea radix, nimirum *deliquit, reus fuit, reus factus aut peractus fuit*, quo ſenſu accipit eam *Tigurina* reddens: *& greges ovium culpæ obnoxii facti ſunt;* quo ſuppono neceſſario intelligere *obnoxios iſti ſupplicio*, vel talibus malis atque ſuppliciis, qualia poſſeſſores peccatis ſuis a Deo in ſe provocaverant, eos enim concernebant, qui peccatis ſe iis obnoxios reddiderant. Quod ad oves innoxias attinet, quid mali admittere poterant, quo talia in ſe derivare potuiſſent? Quod ſi eo pacto ſumitur, optime congruit explicationi, quam tradit *R. Salom. Jarchi*, qua utramque radicis *Asham* ſignificationem approbare videtur, quando dicit נתקלקלו באשמתם quod *Mercerus* interpretatur *vaſtati ſunt delicto ſuo*, cui enucleando ſcite & ad rem appoſitum eſſe duco a quodam erudito c) viro, *ſcilicet Iſraelitarum*. Eadem interim fruuntur ſorte, ac ſi ipſi culpæ fuiſſent obnoxii, ſortisque ſuæ ſenſum ſat ſuperque teſtantur gravi luctu ac gemitu, qui illorum poſſeſſores haud dubie debuiſſet movere, propter quos tanta tolerabant, ut veram ejus inquirerent cauſam, quæ nulla erat alia quam peccata admiſſa, manusque ſupplices attollerent ad Deum, ut has plagas calamitatesque, quæ etiam innoxias pecudes illorum culpa invaſerant, benigne recedere jubeat. Hinc ea verba ſic accipi poſſe conſtat, ut ſimul complectantur reprehenſionem vel exprobrationem ſtupiditatis, qua correpti adeo non afficiebantur pœnis immiſſis, quam miſellæ pecudes. Ipſi illarum boatus ac gemitus debuiſſent eos excitare. Quod cum minus fieri ab iis videret Propheta, omnisque advertendi mentem ſpes eſſet ſublata, ſuo, quod non poterant non imitari, exemplo præit, ut eos hocce modo inſtrueret viamque præmonſtraret, in ſequentibus:

19. Ad

c) Jo. Leusden.

19. Ad te, o Domine, clamo: quia ignis consumsit d) pascua deserti, & flamma inflammavit omnes arbores campi.

e) Sunt qui hisce censent continuari verba Sacerdotum, quibus Propheta vult, ut lamententur propter ingressas plagas, quorum initium fecerat *v. 15. f)* Alii vero putant, prioribus verbis a Propheta innui gravitatem suppliciorum immissorum, quibus eo illos adducere volebat, ut animo sedulo volverent miseram suam conditionem, quam provocaverant & sibi ipsis & suis rebus, nec terra nec pecudibus exceptis; his autem declarari quid ipse faciat & facturus sit, unde exemplum capere fas erat, ad averruncandum ea, quibus premebantur, gravia mala. Nimirum preces & supplicationes fundendæ erant ad Deum, ut misericordia motus procul abs illis removeat ea mala, quæ denuo per partes exponere haud grave ducit, ut se ipsum exhibeat, quomodo populus, quocum sibi negotium erat, sese exhibere debebat, scilicet rebus his admodum permotum ac agnoscentem, quæ illata erant propter enormia peccata, pro veris suppliciis. *Ad te, o Domine, clamo.* Hoc unicum proponit medium ad removenda hæc ingentia mala, quæ describit, videlicet, preces ardentissimæ ad Deum, a quo immittebantur, & qui solus hæc amovere potis erat; easque tantummodo ad verum Deum, quem idcirco glorioso eo nomine describit, quod ipsi soli convenit יהוה, unde a quibusdam recentioribus interpretibus retinetur tanquam nomen proprium, iisdemque literis consignatur *g) Jehovah:* Nostrates vero atque alii, & in genere omnes antiquiores accipiunt significatione *Domini*, idque non tantum hoc loco, sed alibi ubicunque occurrit. Pauca enim sunt loca, in quibus nostrates, quorum hic tantum a nobis habetur ratio, *Jehovæ* nomen retinent. Extat illud *Ex. 6, 3.* ubi habent, *nomine meo* Jehova *non eram cognitus illis*, ut & *Psal. 83, 18. cui soli nomen est* Jehova, & *Esa. 12, 2. Dominus* Jehova *est fortitudo mea*, & *26, 4. In Domino* Jehova *est æterna fortitudo;* nec aliorum memini, præterquam ubi

N 3 aliquid

d) In marg. vel habitationes. *e)* Grotius. *f)* Calv. Merc. Tarn. Ab. Ezra דברי הנביאים verba Prophetæ. *g)* Pagn. Jun. Trem.

aliquid ei nomini adjicitur, ut *Jehovah jireh, Genes. 22,14.* & *Jehovah Nissi, Ex. 17,15.* & *Jehovah Schalom, Jud. 6,24.* Quibus in locis cum ita exprimant, ut literæ ac vocales proprie habent, in proclivi est, nullo modo illicitum censuisse illud pronuntiare, vel ab eo superstitiose abstinere; quin potius exinde colligere liceat, nullum hujusmodi nomen vel in nostra vel alia lingua sua sententia extare, quod vim ac ἐνέργειαν ejus vocis omnem exhauriat; nec est quod tale quæramus. Ipse *S. Johannes* divino spiritu afflatus, cum hoc nomine alia lingua uti vellet, haud sine periphrasi id profert *Apoc. 1,4.* ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est, & qui erat, & qui venturus est* (vel ὁ ἐσόμενος ut *Apoc. 16,5. qui futurus est*) Nec refragatur hujus vocis forma, quippe horum trium temporum, præsentis, præteriti ac futuri, characteristicas complectitur literas ac signa, atque tale denotat ens, quale jam erat, adhuc est, & futurum est in omne ævum unum atque idem. Quod vero non crebro hoc modo exprimant, sed alio permutent nomine, quod absolutum imperium ac dominium designat, exemplo atque auctoritate aliorum veterum interpretum videntur adducti, qui eandem interpretandi rationem secuti sunt ante eos. Exempli loco sunt LXX, qui neglectis literarum formis ac sono nullo alio nomine transferunt, quam græco κύριος. Nullum vero interea est dubium, quin singulari prorsus ac excellentiori sensu acceperint, quando sic reddunt, quam cum de hominibus, qui imperii summæ præsunt, communi more usurpatur. Idque ex eo non obscure liquet, quod *Origenes h)* fertur ad marginem, LXX e regione literas J. H. V. H. יהוה hebraice notasse, ut lectorem moneret, quis eo in loco intelligendus sit; eademque, ut apparet, opera innuens nomen

h) Vide sis Præfationem in Arab. Pentateuch. in Biblioth. Bodlej. & Procopium apud Curterium in Esaiam. Hæ literæ initio ex reverentia ac bona intentione scriptæ postea in errorem duxerunt, quod refert Arab. Interpres hujus Pentat. quosdam Græcos, qui literarum hebraicarum expertes græcas esse putarunt, ex quibus perperam lectis extorquebant ΠΙΠΙ, quam videbantur referre vocem atque ita pro nomine Dei acceperunt Pipi, quos deinde Syri quidam secuti exprimebant per ܦܝܦܝ *Phiphi*, quod denotare putabant الرب Dominum vel الرب السمايي *Arrabbo-ssamajo* cælestem Deum, ut in Syrico Lex. Bar Bahlul redditur.

nomen prorsus esse, ut dicunt, ἀνεκφώνητον, quod etiam non paucis vel hanc ob causam arridet, quod & literis propriis sint destituti ad" exprimendum genuinum ejus sonum, & nomine, quod sensum pro-" tinus exhauriat. Neq; minus sibi cavit Latinæ vulgatæ auctor, cum" simili modo non propriis literis istud nomen apposuit, sed voce latina *Dominus* transtulit. Excipiendus tamen est unus vel alter locus, quo rectius putavit illud exprimere, ut aperte constaret esse nomen DEI proprium eique peculiare. Abstinuit interim nihilominus a propriis literis illarumque loco aliud supponere nomen hebraicum non veritus est, videlicet *Adonai*, ut *Exod. 6,3.* ubi in Hebræo est, *nomen meum* יהוה *Jehovah*; at ille reddidit, *nomen meum Adonai*, id quod in libro Apocrypho *Jud. 16, 16.* quoque fecit. Nec leve indicium est reverentiæ, qua plane abstinuisse videtur a pronuntiatione hujus nominis juxta proprias literas, Judæorum fortean exemplo ductus, qui istud effari non audent, sed ejus loco adhuc legunt אדני *Adonai*, quod etiam denotat Dominum, iis duntaxat locis exceptis, ubi hoc illi adjungitur, utpote qui in ejus locum tunc substituunt אלהים Elohim, *Deus*, qua in re non tantum nostrates, verum diversos etiam alios consentientes habent. Cur vero abstineant ab harum literarum pronuntiatione, hanc Judæi interferunt causam, quod genuina ejus pronuntiatio, quæ quidem templo primo olim stante, aliquamdiu etiam secundo probe erat cognita ac usitata, postea prorsus exciderit, ita ut in eo communi mori sese accommodare non audeant summopere verentes, ne eo profane utantur aut genuino nomine Deum privent. Id vero apud nonnullos viros doctos superstitionis ac supervacanei timoris notam incurrit, qui id genuino suo sono adhuc efferri posse autumant, quocirca etiam non detrectant juxta literas ac vocales illis subjectas illud legere & exprimere. Licitum id esse & nostrates, ut annotavimus, duxere, in causa tamen fuit vel reverentia, vel auctoritas & exemplum veterum, quo minus eo crebrius uterentur. Hinc magis illis placuit vox *Dominus*, quare, cum *i)* alii hic reddant, *Ad te, o Jehovah*, nostrates habent, *Ad te, o Domine, clamabo.*

Cum

i) Pagn. Jun. Trem.

Cum vero vox hebraica,nemine contradicente,nomen Dei proprium ſit, quod nulli alii creaturæ communicari poteſt,quodque ipſe *memoriale* ſuum vocat *k) Hoſ.12,5.* eoque Propheta eum invocet,quid aliud ſignificare voluit, quam ſolum verum Deum eſſe,qui calamitates ingreſſas & averruncare poſſit, & propter nomen ſuum dubio procul velit, ſi ea, qua decet, humilitate atque mentis contritionẽ quæratur? *Ad te , o Domine ,* כי אין מושיע זולתך *quia nulla ſalus extra te.* Expoſuerat jam antea has *l)* calamitates ſuis auditoribus , repetit tamen hic easdem , tanquam cauſam, ob quam ſolam Deum ardentiſſime ac patheticis terminis invocat. Nec difficile conjectu eſt , id propterea maxime factum , ut ab ipſo hæc judicia profluxiſſe profiteretur, populum ad eandem confeſſionem moveret , Deumque ſimul inſtigaret , ut miſericordia tangeretur ob eum, quo afficiebantur,vehementem eorum ſenſum. *Ignis enim* , inquit, *devoravit paſcua deſerti* &c. Quam exſerat æſtuans ignis elementum vim, devorando & conſumendo, quicquid rei combuſtibilis eſt,quam allambit,adeo nota res eſt, ut, ſi hujus effectum alii rei tribueris,exitii ſummi tradi deſcriptionem,recte putes,terribilemque innui rerum deſtructionem ab eo,quod cum igne comparatur,aut ejus nomine venit ortam,ita ut non immerito conſiderari poſſit ceu *m) nomen generale adverſitatum* , vel illarum rerum , quæ noxiam inferunt,aut ut deſcriptio ingentis alicujus mali, ab iis illati. Quæ annotare haud inconſultum duximus,quod plerique ferme interpretes *ignis* vocem hic non accipiant ſignificationẽ propria ; ſed alia ejus loco ſubſtituant,quæ ſimilitudinis quid cum eo habent , qua vim & perniciem inferunt. Longe tamen a ſe invicem diſſentiunt,quid potiſſimum hoc loco innuatur. *n)* Sunt quibus locuſtæ cæterique noxii vermiculi, de quibus ante,videntur intelligendi, qui noxii quid habere dicuntur non abſimile igni,quo deſtruunt quæcunque contactu ſuo contrectant. Huc adferunt verba *o)* Plinii

k) Vide notas in h. l. *l)* Kimchi. *m)* Flacius Illyr. Interdum *ponitur pro re quaſi valde lædente.* *n)* Druſius. *o)* Obj.ci contra hanc interpretationem poſſet,qu[illegible] A[illegible]n-Ezra objecerat R. Japhet ex v. 20. alveos aquarum exa[illegible]uiſſe (qued in locuſtas n[illegible] [illegible]detur quadrare.)

nii de locuſtis: *multa contactu adurunt.* Eaque ratione comparative ea verba exponit Kimchi: כאלו אש ולהבה עברה בהם כאשר עבר הארבה בהם *velut ignis & flamma tranſiit per illas*, quum *tranſiit per eas locuſta.* *p)* Alii intelligunt nimium ardorem vel æſtum, quo omnia in terra combuſta eſſe quibusdam obſervatum eſt, ut paulo ante annotavimus. Hinc annotant *q)* ardorem immoderatum ſolis vocari ignem, *Pſ. 83,14. Ut ignis exurit ſilvam, & ut flamma accendit montes;* locaque ſolis ardore torrida חררים *Chararim*, exarefacta loca, *Jer. 17,6.* Si locuſtæ & æſtus ſolis ſimul extitiſſe dicendi ſunt, quod quidam probatum eunt, ut ſupra vidimus, nec omni prorſus ratione caret, ambo tunc *ignis* nomine comprehendi poſſunt: non eſt igitur ut has expoſitiones tanquam diverſas notes, vel Chaldæum longe ab ultima abire, cum reddat קדום תקיף כאשא *violentus eurus tanquam ignis.*

Alii accipiunt de inimicis ac detrimentis, quæ illorum invaſione terræ erant illata. Ita *Abarbinel* dicit, eum loqui על צרת האויב *de calamitate ab inimicis*, non autem a locuſtis illata: & in eandem ſententiam *r)* quidam Chriſtianorum *hoc tropo pictam belli imaginem* volunt, quo etiam inclinat *Munſterus*, qui & in hanc ſententiam habet: *hoſtes per ignem & gladium omnia devaſtaverunt* (*(s)* igne proprie ſumto); & in priorem: *paſcua ſunt vermibus corroſa, ac ſi ignis exuſſiſſet ea.* Quicquid vero per ea intelligatur, quibus hæc triſtis regionis facies tribuitur, tanquam inſtrumentis, id extra dubitationis aleam poſitum eſt, a DEO eſſe accerſita atque operi adhibita, ſuasque præterea vires non aliter in fruges terræ exeruiſſe quam ignem in combuſtibilia quæque. Inſtrumenta autem ſolummodo fuiſſe conſtat, quæ non niſi DEO jubente ac imperante operata ſunt, id quod etiam eruditum quendam *t)* Commentatorem impulit, ut ſatius putaret, generaliori ſignificatu *ignem vindictæ ejus ardentis intelligere*, quæ vocatur *ignis zeli Ezech. 36,5.* & *ardens indignatio*,

O quam

p) Jun. Trem. Livel. Piſcat. Bochart. *q)* Livel. Bochart. *r)* Vide Merc. *s)* *Hoſt. lu ignis*, Ar. Mont. *Incendio Chaldæorum*, Ribera. *Bellum cum incendio confertur quod omnia vaſtat*, Tarnov. ex VVinkel. *t)* Tarnov. Ita Gvalt. *iſtu vero hoſtilem tubam vel potius horribilem Dei vindictam denotat.*

quam speciale quid denominare, quo furorem suum DEus in eos exercuerit. Quid autem effecerit, quod hic ignis nomine venit,& in quam miserrimam conditionem omnia conjecerit, ex sequentibus videre est. Consumpsit,inquit, נאות *Neoth pascua* (vel ut in margine, *habitacula) deserti*, quæ interpretationis diversitas vocis ambiguitatem notat. Quod etiam ex aliis diversis tum veterum tum recentiorum interpretationibus constat. LXX. habent τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμου, ut & Arab. impressa. Vulg. Lat. *u) speciosa deserti*, cui accedunt Tigur. *amœnissima loca deserti*, & non absimili ratione *w)* alii, *pascua* & *x)loca herbifera*. Quos inter quidem nemo est,qui ab ea translatione plane discedit,quam in Textu habemus. At Chaldæus pro eo habet דירות מדברא *Diroth Madbera*, *habitacula* (vel mansiones, ut reddit Mercerus,) *deserti*. Simili modo Syrus ܕܝܪ̈ܐ ܕܡܕܒܪܐ & MS. Arabicum مواطن البراري in eandem sententiam, *habitationes deserti*. Ex recentioribus Castal. *Stationes* (vel *Mansiones* in versu sequenti) *saltuum*. Junius & Tremellius *habitacula deserti*. Drus. *habitacula* vel *habitationes deserti*. Alii *caulas*, quo sensu nonnulli Judæi exponunt, ut *R. Sal. Jarchi, Aben-Ezra* & *Kimchi*, qui aliis verbis eas vocat אהלי הרועים *pastorum mapalia*. Et *Rabbi Tanchum* qui Arabice habet مساكن *habitacula*. LXX, quorum interpretationis rationem supra retulimus, reddunt hanc vocem *Psal.* 23. (vel juxta illos *Psal. 22,2.*) τόπον locum. Non dubito, quin interpretum quidam hujus vocis rationem habuerint, quatenus a Grammaticis ad hujusmodi refertur *x)* radices, quæ jam hanc, jam illam significationem habent, cujus generis sunt נאה *pulchrum*, *decorum esse*, vel אוה *y) expetivit*, *desideravit*, vel נוה *inhabitavit*, ad quas singulas nomen hac forma potest referri; verum non minus constat, cum pluribus locis ea vox occurrat, quemvis eorum eo significatu accepisse, quem eo loco potissimum congruere arbitratus est. Quan-

u) Quæ Munst. retinet. *ww)* Pagn. *x)* Interl. Ita nostrat. reddunt נאות דשא Neoth Deshe, pascua viridia, Ps. 23,2. *x)* Vid. not. in Hos. 9,13. *y)* Ad quam Concord. Hebr. vocem referunt; ita أوي *Awah* sumitur pro habitatione, ut & ماوي *Mawa* apud Arab.

Quantumvis igitur hæ ſignificationes ad literam diverſæ ſint, ſenſu tamen æque omnes conveniunt, quippe plerumque loca deſerti & camporum amœniſſima, eaque herbis ac gramine abundantia ab iis eliguntur, qui gregum ſuorum curam agunt, quibus mapalia ac caſas a civitatibus nimium remoti habitandi gratia ſtruunt, ita ut altero nominato alterum neceſſario ſubintelligatur paſcuaque vix ab habitaculis paſtorum ſecerni poſſint. Sic etiam Kimchi ad ſequentem verſum, ubi eadem verba repetuntur, notat voce נאות *Neoth* deſignare *loca graminea* (מקומות הדשא שהיו במדבר) *quæ in deſerto erant*, eaque appellavit *Neoth*, caulas, *quia paſtores, qui in deſerto habitant, mapalia ſua ibi figunt*, licet a cæteris habitaculis procul eſſent remota. Abludit parumper *R. Tanchum*, cui quidem vox reddenda videtur مساكن *habitacula*; quia vero habitaculis locum in deſerto non dari animadvertebat, arbores innui putat التي تاوي اليها الوحوش ويستظل بها عبار الطرق *ad quas feræ ſe recipiunt ut lateant, & viatores, ut umbra fruantur & refugium habeant.* Quod cum ſequentibus verbis annectatur, *& flamma inflammavit omnes arbores campi*, magis etiam declarat, quod in his dictum eſt. Ex his clare patet, quam facile conciliari poſſit quæ inter interpretes notata eſt differentia, quodque, ſive *pabula*, ſive *loca amœniſſima*, ſive *pulchra*, ſive *habitacula* reddideris, quæ cuncta hoc nomen complectitur, eo ſenſus redeat, quo ab omnibus concipitur. Nimirum innuere velle Prophetam, quicquid rerum vel ad neceſſitatem, vel ad decorum, vel ad voluptatem ſpectat, tum hominibus, tum feris, idque non tantum in civitatibus, verum etiam in campis & deſertis, deſtructum eſſe ab eo, quod hoc commate vocatur *ignis*, ſequenti vero *flamma*, adeo ut nec hominibus ullus refugiendi locus, nec beſtiis relictæ ſint caulæ aut habitacula. Quæ omnia nomine *pabulorum, habitaculorum deſerti & omnium arborum campi*, quarum hic etiam expreſſa eſt mentio, manifeſto arguuntur. Quibus tamen calamitatum ſeries nondum abſolvitur, ut ex ſequenti verſu apparet;

20. *Etiam beſtiæ agri clamant ad te, eo quod exaruerint alvei aquarum, & ignis abſumſerit pabula deſerti.*

Adeo conditione illorum miſerrima Propheta afficitur, ut non ipſe tantum ad Dominum clamet, verum & in conſortium hujus affectus vocet agri beſtias, easque maxime feras, quæ *z)* juga hominum fugientes in deſertis ac montanis pabula ſibi quærunt, quo locuſtæ penetrare non ſolent. Verbum, quo illarum clamor exprimitur, eſt תערוג *taarog*, quod etiam dicitur de cervo *Pſal. 42, 1.* יאיל תערוג *ſicut cervus aſpirat* (vel glocitat, ut in noſtra translatione ad marginem notatum,) *ad alveos aquarum.* Atque hoc verbo proprie exprimitur illorum clamor ac ſonus. Attamen nec aliorum animalium eo excluditur vociferatio. Quod cum quidam interpretes animadverterent, generaliori etiam reddidere voce, ut vociferari, clamare, vel *a)* ſimili. Alia voce, at non alia mente exponunt LXX per ἀνέβλεψαν, & Arabica impreſſa per تنظر اليك ut & Latinus Vulg. *ſuſpexerunt*; quibus etiam accedit Chaldæus מסברא קדמך *Meſabro Kadamac*, *ſpectant coram te*, vel ut *Mercerus*, *in te ſperant.* Qui cuncti in eo conveniunt, clamorem includere auxilii exſpectationem & ſpem. Adjicit vero hic quædam verba *Vulgatus*, quæ nec in Hebræo, nec in ulla alia translatione inveniuntur, nempe, *quaſi area ſitiens imbrem*, quod Duacenſis reedit; *as a Garden bed, thirſting for a ſhower.* Doctiſſimus *Grotius* conjicit, initio loco *areæ* fortean fuiſſe ſcriptum *cerva, quaſi cerva ſitiens imbrem:* quod ſi ita ſit, nil amplius dicendum, quam ea periphraſi conatum eſſe exprimere emphaſin vocis תערוג, quatenus proprie ſignificat *b)* clamorem vel glocitationem cervi clamantis vel glocitantis præ ſiti ad alveos aquarum, ut doceret, ſitientium beſtiarum clamorem non minus eſſe *c)* vehementem, quam cervi. Alioquin reſpici, quis poſſet cogitare, ad ערוגה, quatenus notat *ſulcum*, quo terra proſcinditur ad recipiendum ſemen.

z) Kimchi *feræ*, Grot. ut Syr. [illegible] Arab. MS. [illegible]. *a)* Caſtal. Munſt.
b) Etſi Hieronymus eam in Pſal. 41. exponat *area.* *c)* Vide ſis Pet. a Fig.

men. Quod horum verborum constructionem attinet, nomen est pluralis numeri בהמות *Behemoth bestiæ*, & verbum singularis תערג *Taarog, clamat*, juxta literam, *bestiæ clamat*. Quod cum nec latinæ nec Anglicæ multisque aliis linguis minus congruat, visum fuit nonnullis ita sensum supplere, *bestiarum agri quæque glocitat*, quod par esse putant, quoties talis constructio sese offert. Atque in eo sequuntur *Aben-Ezram*, qui reddit כל אחת ואחת *unaquæque earum*. At hebraicam constructionem retinet Arabica tum MS. tum impressa, MS. بهايم الصحرا تعج *omnes bestiæ agri clamat* (impressa تنظر *sursum spectat*) اليك *ad te*; quod proprie debebat esse, *clamant & sursum spectant*. Nec insolens est huic linguæ constructio verbi singularis fœminini generis cum nomine plurali, quæ ut suppleri non opus habet, ita sensum nequaquam mutat. Unde non levis conjectura est, eandem ejus habuisse olim rationem etiam Hebræos, adeo ut alia constructione verborum nexus non indigeat. Hunc autem clamorem bestias direxisse ad eundem dicit Propheta, quo ipse suum direxerat, nempe *ad solum verum Deum*: Omnes, inquit, *clamant ad te*, ac si eæ ipsæ, quæ rationis, omnisque cognitionis DEI expertes, quamque nec recipere nec doceri possunt, naturali tamen instinctu providentiæ divinæ vestigia in his rebus cognoscerent, eamque, ut calamitatibus amotis inopiam, qua erant pressæ, suppleret, vehementibus clamoribus implorarent, qui ut iis proprii sunt, ita precationum loco apud DEum habentur. Idque phrasis *clamare ad DEum* videtur innuere, similesque hujus farinæ alibi, ut *Psalm. 104, 21.* ubi habetur: *Juvenes leones rugiunt ad prædam quærendo a Deo escam suam.* Et *Psalm. 147, 9. Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum qui clamant* (i. e. *ad eum*) quod quidem in textu Originali non exprimitur, facile tamen subintelligitur, quare & in quibusdam versionibus expresse additur, ut in Græca τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτόν, *invocantibus eum*, & in Arabica impressa الذي يصرخ اليه *qui clamant ad eum*; ita & in nostra veteri Anglicana, qua plerumque Ecclesia utitur: *qui clamant ad eum*, & *Job. 38, 41.* expresse habetur: *quis comparat corvis escam ipsorum, cum pulli eorum vocife-*

rantur אֵל, אֵל, *El, El, ad Deum?* Exinde certo certius apparet, illarum clamorem non aliter a Deo respici, ac si directe ad eum esset intentus. Cæterum ex adductis locis parallelis & hoc manifesto liquet, proprie tales hic innui creaturas, quales videmus descriptas, ita ut propria notatione hæc verba de bestiis agri intelligenda esse non dubitemus, de quibus eadem ratione, qua *bos dicitur agnoscere possessorem suum, & asinus præsepe domini sui Jes. 1, 3.* dici potest, cognoscere suo modo Deum tanquam illum, a quo habent existentiam, vitam & incolumitatem, idque luctibus ac clamore, inopia ac fortuna adversa ingruente, testari. *Abarbinel* vero indicari arbitratur per *bestias agri* alias gentes præter Judæos, quorum regionem sub potestatem suam redigebat, ac rivis illorum exsiccatis destruebat *Nebuchadnezar*, easque ipsas, quibus poculum excandescentiæ bibendum dederat *Deus Jer. 35, 15.* &c. Huic adstipulatur *Arias Montanus* hic verbis: *ut familiares & fidei domestici gregum & pecorum appellatione definiuntur; sic gentes etiam harum animantium agri generibus componi assimilarique solent.* Ad hæc vero quidam doctus *d)* Commentator excipit, gentes suis in calamitatibus non clamare ad verum Deum, quod bestiæ agri hic fecisse perhibentur, sed ad Deos falsos. Et profecto non est, cur alia significatione hic accipiantur bestiarum nomina, quam propria. Quando autem harum clamorem ad יְהוָה *Dominum* cum suo conjungit Propheta, non tantum magnitudinem ac calamitatis designatæ indicare videtur universalitatem, qua homines æque ac bestias spectabat, verum & populum, cui loquebatur, admonere, ut non solum ab ipso, sed & a bestiis agri exemplum caperent, quomodo se eo in statu deberent gerere, nimirum, ut vehementibus clamoribus ac ardentissimis precibus ad Dominum se verterent, quo mala vel prementia vel pressura, nisi seria pœnitentia ea prævertèrent, averruncaret. Quod si minus, declarat *e)* stuporem eorum majorem esse, quam brutorum, cum magis ea videantur sentire ac clamoribus suis testari, quam homines, qui inde exemplum capere poterant, imo debebant, atque ad animum revocare & pudore affici, si tantam DEO non exhiberent reverentiam, quam illa exhibebant. Quæ porro eum

d) Chr. a Castro. *e)* Calv. Dan.

eum ac beſtias movebat cauſa, quæque omnes denique terræ incolas debebat movere, ut ad Dominum clamarent, exhibetur ſequentibus verbis: *Eo quod exaruerint alvei aquarum.* Ex quo illis ſententiis, quarum mentionem fecimus, non leve accedit pondus, quibus calamitates hic deſignatas non tantum accidiſſe ſtatuitur per volucres, locuſtas & hujusmodi alios vermiculos noxios, ſed etiam per ingentem ſiccitatem, vehementem ardorem, & pluviæ inopiam, qua *f)* exareſcunt rivi ac torrentes, unde potum ſibi quærunt pecudes ac feræ beſtiæ, quorumque exſiccatione neceſſe eſt, ut ſitim tolerent, atque ea pereant. Qui iſtud malum inimicis adſcribunt obſtruentibus fontes, *g)* vel alio modo officientibus, ut flumina deficerent, allegare poſſunt, quod Sennacheribis nomine dicitur *2. Reg. 19,24. Ego exſicco planta pedum meorum omnes rivos locorum obſeſſorum.* *Abarbinel* intelligit per ea invaſionem *Nebuchadnezaris* in terram eorum; at planior videtur ſententia prior. Quemadmodum autem eo declaratur ſitis, quam ferebant potus defectu; ita ex ſequentibus verbis apparet non habuiſſe unde ederent: *ignis*, inquit, *abſumſit pabula deſerti.* Verum eadem hic habemus verba, quæ verſu præcedenti, quocirca hic ſufficiat, quod ibi dictum eſt. Id unum addere perplacet, quod *h) Kimchi* explanans vocem מדבר *Midbar*, quæ redditur *deſertum*, ſignificare autumet מקום מרעת הבהמות *locum, ubi pecudes* (vel beſtiæ) *paſcuntur* רחוק מן העיר או סמוך לעיר *ſive is ſit a civitate remotus; ſive propinquus*, quemlibet talem locum, & non ſolū ſylveſtria, remota, deſolata, & ſterilia loca eo nomine venire. Quando igitur dicitur, *ignem abſumſiſſe pabula*, quæ talibus plerumque locis inveniuntur, vel *habitationes*, ut alii volunt, aut hujusmodi loca, ubi paſtores pabulum ſolent reperire, vel ſuas pecudes, paſcere; ſignificari conſtat nil rerum relictum fuiſſe, aut amplius ibi reperiri, unde paſcerentur, atque ita inopia impulſas beſtias, ut precum loco ad DEum clamarent. Atque exinde liquet, deſcriptionem in hoc capite lugubris dari famis, quæ homines æque ac beſtias premebat, ſeriasque ſimul adhiberi admonitiones, quomodo ſe homines debeant gerere, & quo pacto tantam calamitatem a ſe poſſint removere; quamvis non

f) 1. Reg. 17,7. *g)* Ar. Mont. Grot. *h)* In rad. ſuis.

non ſatis conveniat interpretibus, undenam illa calamitas ipſis ſit illata, nec qua de calamitate dicatur, aliis de præſenti, aliis de futura, ob certitudinem vero ita dicta, ac ſi jamjam fuiſſet, vel præſens eſſet, ſtatuentibus. Eandem materiam atque eadem methodo perſequitur etiam Propheta ſequenti capite, ut cuipiam intuenti clare patebit.

CAP. II.

Verſ. 1. *Clangite buccina* (in margine *vel lituo*) *in Sione, & date ſignum in monte meo ſancto, tremant omnes incolæ terræ; nam dies Domini advenit, nam propinquus eſt.*

Buccinæ quondam inter Judæos & diverſis occaſionibus & in peculiarem finem DEO ita ordinante adhiberi ſolebant. Quod tum ex aliis Scripturæ locis, tum præcipue ex *Num. 10, 2.* apparet, ubi & mandatum divinum extat, ut conficerentur, & uſus, in quem eſſent adhibendæ, nimirum (1.) ad convocandum cœtum ut ſacra exerceret, *v. 2. 3.* (2.) Ad imperandam profectionem caſtrorum. (3.) Ad ſignum dandum tempore belli, cum oppugnator eos oppugnaret, *v. 9.* (4.) In die lætitiæ & in ſolennitatibus eorum, nec non in principiis menſium. Quid autem rerum eſſet, cujus populum volebant admonere, diverſis tubæ ſonis videntur expreſſiſſe. Hinc ad tertium ordinem hic tubæ inflatus referri videtur, quare *a)* Rabbini verbis הצר הצרר אתכם *inimicus qui opprimit vos* (vel *(b) oppugnator qui oppugnat vos)* intelligi cenſent כל דבר שיצר להם *quamlibet rem, quæ illos oppugnabat*, ut annonæ caritatem, peſtem, vel locuſtas (בצירת ודבר וארבה) vel ſimilia, ita ut æque recte conveniat, quodcunque hanc calamitatem intuliſſe dixeris. Hinc deſcri-

a) Maimon. Tad in Taanioth. c. 1, 1. *b)* Ainſvvorth.

deſcriptionem hæc verba continent ingentis afflictionis,quæ ejus generis erat, ut tubæ ſonitu illius merito deberet admoneri populus, quo miſerrimæ ſortis affectu tacti media proſpicerent,quibus ab ea immunes redderentur. Atque hæc admonitio magis eos debuiſſet afficere, quam excubitoris ſonitus,cum revera tuba det ſignum. Repetit autem hæc admonens eandem rem diverſis exprimendi formulis, nimirum תקעו & הריעו *Clangite* & *date ſignum*,ut magis magisque illorum mentem & affectus excitet לעורר הלבבות על התשובה *ad excitandum animos eorum ad pœnitentiam*, inquit *Kimchi*. Pari ratione & *Sion*, & *mons ſanctus* eundem locum denotant, (ut *Pſal. 2, 6. præfeci Sioni monti ſancto meo*) qui cum eſſet congregationis ſolennis eorum locus, declarat quanti momenti res ſit, ut ad unum omnes hujus ſint conſcii ac admoneantur. Hinc pergit: *tremant omnes incolæ regionis*,non tantum *Hieroſolymæ*, ſed & omnium aliarum civitatum. Idque tubæ ſonitu plerumque iis notabatur, unde *Amos. 3, 6. An buccina clanget, quin populus trepide accurrerit?* quo audito communiter de quodam ingenti malo imminenti,quod timorem merito injiciebat, admonebantur. Atqui hujus generis & hanc rem eſſe, de qua Propheta loquitur,ut talem buccinæ ſonum requireret, apparet ex deſcriptione ejus, quæ habetur in ſequentibus verbis: *nam dies Domini advenit, nam propinquus eſt. Dies Domini*, id eſt, quo immiſſurus eſt regioni atrociſſima judicia vindictamque ſumturus de incolis, ob graviſſima eorum peccata. Tali modo etiam exprimitur *cap. 1, 15.* ubi vide ſis plura de hac expreſſione. Verum enim vero,ne fortean ſecuri eandem vitæ rationem tenerent,quamvis territi,delaturum eum adventum ſuum & in eo retardaturum,ſibi perſuadentes, atque ita ſe ipſos fallentes *longe repellendo diem mali Amos. 6, 3.* addit: *advenit, propinquus eſt*, ita ut, ſi eum velint prævenire & ſe immunes reddere ab omni periculo, neceſſe eſſet, ut ſe ſine mora conferrent ad inquirenda remedia,quibus id efficerent. c) *Etenim quis ſuſtinebit diem adventus ejus, aut quis conſiſtet, ſi apparuerit? Malach. 3, 2.* Ut autem rite perciperent,res eorum eſſe in ſtatu

c) Vid. v. 11. hujus cap.

peſſimo periculique pleno, & a ſecuritate expergiſcerentur, terrorem iſtius diei porro deſcribit.

2. Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & obſcuritatis, ut aurora panditur ſuper montes: populus magnus & robuſtus, cui par non fuit a ſeculo, & poſt quem non amplius erit usque ad annos multarum generationum.

Dies tenebrarum & caliginis &c) Dies ſane ater & calamitoſus, multa ſecum ferens mala & afflictiones. Frequens eſt S. literis, per *d)* tenebras figurate denotare rerum miſerrimum & calamitoſum ſtatum, ſicut e contrario per *e)* lucem ſecundum & proſperum. Aliter tamen hoc loco a quibusdam accipiuntur *tenebræ*, nimirum pro tenebris aeris proprie, quibus regio tegenda eſſet ab iis, quæ erant eam invaſura. Ita *Kimchi* הצרה נמשלת לחשך כמו שהשמחה נמשלת לאורה: *Afflictio eſt ſimilis tenebris, ſicut lætitia luci;* vel *alias*, inquit, *expoſitio eſt*, כי מרוב הארבה חשכה הארץ *per multitudinem f) locuſtarum terram eſſe obſcuratam*, quomodo habetur *Exod. 10, 15. Operiebant enim ſuperficiem totius terræ illorum, ita ut obſcuraretur terra.* Hanc explicandi rationem omnium cenſet *Piſcator*, convenientiſſimam verbis Prophetæ, ut *id*, inquit, *ex ſequentibus verbis apparet*, de quibus lector accuratius judicari poterit, cum eorum juſtam rationem habuerit. Interim ſatius mihi videtur priorem recipere, utpote quæ magis cæteris omnibus expoſitionibus congrua eſt, ſive per ea, quibus calamitas dicta ipſis illata eſt, intelligant locuſtas & ſimiles noxias beſtias, ſive *Chaldæos* vel alios inimicos, qua in re plurimum eos differre in capite primo vidimus, nec in ſequentibus adeo nulla erit occaſio, quin cognitionem ejus rei haurire poſſimus. Hic autem porro hujus diei conditionem depingit, ut verba diſtinguunt Biblia noſtra recens translata, quæ hæc verba cum præcedentibus aliis quibusdam conjungunt; vel ut alii *g)* non-

d) Amos. 5, 18. &c. *e)* Eſ. 8, 16. *f)* Vid. Rab. Sal. & Ab. Ezra. *g)* LXX. Arab. impreſſ. Caſtalio.

nonnulli, qui ea ad ſequentia referunt, in quibus populum illum, qui hanc calamitatem illis illaturus erat, *amplum & robuſtum populum* nuncupat. *b)* Utram vero harum ſententiarum ſequamur, eodem ſenſus redit, ſive *i) diem*, ſive *populum* intelligamus eſſe, ut שחר *Shachar*, ſicut *auroram quæ panditur ſuper montes.* Eadem de his verbis interpretandis opinionum eſt differentia, quæ inter lucem & tenebras, quum ſcilicet per שחר lucem, alii tenebras intelligant. Si שחר *Shachar* generaliter vertatur, quod mea ſententia commode fit, *aurora*, & lux intelligatur, ſubitum adventum innui apparet, amplamque rerum dictarum expanſionem, ita ut impediri nequaquam poſſit, non ſecus ac aurora, quæ ſe momento pandit ſuper cacumina montium, (ubi primo ſe exhibet) quamvis longiſſime a ſe invicem diſtent. Ita ſubitaneum eventum expreſſurus *Eſaias* dicit *cap. 58, 8. k) Tunc erumpet velut aurora lux tua & ſanitas tua protinus efflore-ſcet.* Licet vero appoſita ſatis & perſpicua ſit ſententia, ſignificatioque vocis שחר ſatis cognita & uſitata, ut & in Arabica lingua سحر *Sabar*; ſunt tamen qui præferunt contrariam ſignificationem, quam voci impingunt, *tenebrarum.* Sic *Arias Montanus*, de quo *Chriſtophorus a Caſtro: Solus Montanus intelligit de tenebris.* Quo ſenſu fortean & a latinis Commentatoribus antiquitus acceptum. At liquet, omnia, quibus Montanus ſuam fulcit ſententiam, apud *Abarbinel* extare, a quo etiam eam, ut reor, accepit. Hunc in finem notat, eandem radicem etiam denotare *nigredinem* & *tenebras*; atque inde & auroram nomine *Shachar* venire, quia eſt *antelucanum tempus*, tenebræque tunc temporis in unum quaſi collectæ denſiores, quam antea, ut habet Montanus; vel ut *Abarbinel: quia tenebrarum nigredo nondum abiit, nec luce exoriente protinus ſupra terram eſt diſperſa.* At antiquior eſt multo ea interpretatio, quam ut illi ſoli vindicemus. Vetus ille Grammaticus *Abu Walid* profert eam tanquam a ſe inventam, eamque illi præfert, qua alii vocem reddunt *lucis* nomine, cujus verba, cum liber non ſit impreſſus, hic apponere lubet: *Hæc eſt expo-*

P 2 *ſitio*

b) Vid. Mercer. *i)* Quidam eam ad utrumque referunt, dies ille & exercitus locuſtarum vel Babyloniorum. Pet. a Fig. *k)* Druſ.

ſitio aliorum in verbis כשחר פרוש על ההרים *Casbachar parusb al babarim* שבה אנתשאר אלגראר פי אלכלאר באנתשאר אלצו פי אלגו הדא קול גירנא ותשביהה באנתשאר אלטלאם אולי, i. e. *comparari expanſionem locuſtarum in regione expanſioni lucis in aere. Hoc eſt quod alii dicunt. Sed magis convenit comparatio cum extenſione tenebrarum, ſicuti dicitur Exod.10,15. Operiebant faciem totius terræ, ita ut obſcuraretur terra.* Verum *R. Tanchum*, qui dubio procul eum viderit ejusque ſententiam expenderit, aliter cenſet, quippe poſteaquam dixerat, ſe comparare אנתשאר אלגראר באנתשאר אלצו אנד אלצבאח *extenſionem locuſtarum cum extenſione lucis auroræ*, addit וקיל אן שחר הנא אלטלאם משתק מן שחור אי אנה יחגב אלצו לכתרתה פיציר אלטלאם מבסוטא עלי אלגבאל כמא קאל *& dicitur* (a quibusdam) Shachar hic *eſſe tenebras, derivatum* a Shachor *nigrum eſſe, quia impediunt (vel velant) lucem ſua multitudine, ita ut tenebræ inde pandantur ſuper montes, juxta illud quod ante dicit, dies tenebrarum & caliginis,* quod convenit cum eo, quod extat *Exod.10,15. Operiebant ſuperficiem totius terræ.* Verum inquit אלאול אטהר ואנסב *prior ſententia eſt magis perſpicua atque convenientior.* Attamen ex recentioribus *Junius* & *Tremellius*, etſi ab iis non abeant, qui vocem *Shachar* per *auroram* interpretantur, ſenſum tamen eundem fere ſtatuunt, quem illi volunt, qui contrario ſignificatu accipiunt vocem. Hinc eſt ut in verſione addant vocem, quam putant ſubintelligendam, *ut nubes auroræ panditur ſuper montes*, ita ut ex illorum mente ſic verſus fluat: *dies tenebrarum & caliginis, dies nubium & craſſarum tenebrarum, ut nubes auroræ panditur ſuper montes*, & exponant, *tempus tam injucundum & difficile*, quam ſolet ille dies eſſe, quo exoriente nubes denſiſſimæ in montes aſſurgant, quæ ſolem cœlumque obtegunt prima luce, aerem obſcurant & minantur imbres certiſſimos. At ſunt *l)* alii, qui mirantur eos in diverſum abeuntes ab uſitatiori translatione, quæ tam apte verbis convenit. Et *Piſcator* mavult omittere vocem *nubis*

l) Livel.

bis & reddere: *ut aurora*, i. e. *ſplendor ſolis orientis*. Exinde liquet, hic ex mente & interpretatione quorundam deſcribi ſubitum adventum ac latam expanſionem dictæ calamitatis; ex aliorum vero, ejusdem magnitudinem & gravitatem, verbaque (prout alios hanc, alios illam rationem elegiſſe vidimus) tum cum præcedentibus, quibus ipſa deſcribitur calamitas, tum cum ſequentibus, quibus eorum traditur qualitas, qui calamitatem erant illaturi, conjungi poſſe. Hi vero dicuntur *magnus & robuſtus populus*. *m)* Iidem qui *cap. 1, 6. natio* vocantur, *populi* nomine hic vocari videntur. Eadem enim duplici nomine, quod idem ſignificat, appellari poſſe, non eſt dubium. Verum majoris difficultatis res eſt, nec facile Commentatoribus extricabilis, ut ſupra vidimus, quinam potiſſimum eo nomine ſint intelligendi. Sunt qui per eos intelligunt locuſtas, ſimilesque noxias creaturas, quarum nomina *cap. 1.* inſpeximus; alii inimicos, ut *Aſſyrios* & *Babylonios*; alii *locuſtas* nomine, ſenſu vero *Aſſyrios*. *n)* Plerique Judæorum intelligunt locuſtas; unus *Abarbinel* inimicos, quibus terram irruentibus, populantibus ac Judæos in captivitatem abducentibus tribuit, quicquid & antecedentibus & quibusdam ſequentibus verſibus continetur. In verbis *clangite buccina* &c. alludi aſſerit ad buccinæ clangorem anno Jubilæi *Levit. 25.* alio tamen fine; nempe ut quisque poſſeſſionis ſuæ, quam debebat capere, tum admonebatur, ita hic diſceſſionis, qua in captivitatem migrandum erat, *o)* שיצאו איש מאחזתו ואיש ממשפחתו ילכו בגלות, *ut quisque ex poſſeſſione ſua exiret, & a familia ſua diſcederet in captivitatem.* Per tenebrarum diem *p)* reliquaque verba, quibus ille deſcribitur, innui putat כנוי לחרבן בית ראשון והצרות שיהיו בו *titulum vel denominationem deſtructionis prioris templi atque afflictionum, quibus tunc temporis afficiebantur*; *per magnum populum* &c. quos ſecum adduxerat *Nebuchadnezar* adverſus *Hieroſolymam*. Inter Chriſtianos hoc quoque olim diverſe agitatum eſt, nec adhuc dum extricatum. *Hieronymus* dubius hæret, utram harum ſententiarum ſequi velit, cum

m) At ſecus videtur Danæo. *n)* Abu VValid R. Sal. Aben-Ezra, Kimchi, R. Tanchum. *o)* Aliter Ar. Mont. *p)* Quo præcipue notari putat novus dies menſis Ab.

juxta eum verba proprie accepta denotent locuſtas, figurate *Chaldæos*, ita ut, *dum locuſtas legimus, Babylonios cogitemus.* Per metaphoram locuſtarum, inquit, deſcribitur impetus Chaldæorum. Nec habet, quo ſe vertat *Cyrillus*, cum id accipit vel de *locuſtis*, vel ἐξ ὁμοιότητος αὐτῶν, *ex ſimilitudine illarum de Aſſyrus* atque ἐπ' ἀμφοῖν ἀληθὲς, *de utrisque verum* pronuntiat. Ita utrosque reſpici ait *Theodoretus, tum locuſtas, tum inimicorum nubem.* At Ruffinus ad locuſtas ſolas id refert. Ex *q)* recentioribus nonnulli, iique magnæ auctoritatis viri præciſe exponunt de *inimicis, Aſſyriis*, vel *Babyloniis*; *r)* alii vero poſitive de *locuſtis.* Nec difficultate caret, hanc controverſiam dirimere, cum ex utraque parte auctoritas tantorum virorum intercedat. Quare ita ea verba juxta literalem ſenſum explicare annitar, ut, quamvis ad locuſtas potiſſimum ea referam, quam ſententiam præ cæteris his verbis puto congruam & maxime amplectendam, ſi cui tamen ſecus viſum fuerit, genuinam tamen illorum habeat ſignificationem. Adduntur autem huic *populo* duo epitheta רב *Rab magnus* & עצום *Atſum, robuſtus; magnus*, i. e. numero; tantus ſcilicet, ut juxta *cap. 1, 6.* אין מספר *ſit innumerus vel ſine numero;* & robuſtus, non quidem per ſe ac ſingulæ, ſed *s)* per eum, qui eas immittebat, cujusque virtute tam validæ erant, ut totam regionem deſtruerent. *Robuſtus enim qui efficit verbum ſuum,* (per eas) ut infra dictum eſt *v. 11.* Adjicit: *cui par non fuit a ſeculo & poſt quem non amplius erit usque ad annos multarum generationum.* Quæ populi deſcriptio eadem eſt atque ea, quam vidimus *cap. 1. v. 2.3.* ubi ex iis quærit, num earum rerum, de quibus erat dicturus, tale quid fuerit *temporibus ſuis*, vel *temporibus majorum ſuorum*, ac monet, *ut de hoc filiis ſuis narrent, & filii eorum filiis ſuis, & filii illorum generationi poſteræ*, quibus plane idem declarat atque hoc loco; ſcilicet, par huic, quod nunc videbant, (vel mox viſuri erant) non fuiſſe viſum antecedentibus ſeculis, nec unquam viſum iri ſequentibus; ſed quibuscunque demum id audire contingeret, nonniſi rei ſtuporis plenæ, imo prodigii loco habitum iri, quale ne fando unquam auditum,

q) Calv. Munſt. Grot. Duac. Genev. *r)* Jun. Trem. Piſc. Bochart. *s)* Vide not. in cap. 1, 6.

ditum, vel alicubi oculis viſum. Non videtur abſona, quæ ex utroque loco, ſi per nationes vel populum locuſtas intelligamus, enaſcitur quæſtio, quomodo, quod hic & ibi dictum eſt, cum eo conveniat, quod extat *Exod. 10, 14.* ubi tam numeroſæ locuſtæ ſuper univerſam terram Ægyptiorum a DEO dicuntur miſſæ, ut ante eas non fuiſſent ſic locuſtæ pares iſtis, & poſt eas non eſſent ſic futuræ. Quo pacto hanc difficultatem ſolvant Commentatores, ad ea verba prolixe ſatis notavimus, nec eſt, quod hic pluribus ei enodandæ incumbamus, cum de novo ſeſe hic offert. Verum non poſſum facere, quin in medium proferam, quod *R. Tanchum*, quamvis nihil novi complectens facile lectori tædium poſſit adferre, hunc in locum annotavit. Verba ejus translata ſic habent: *Quod ſi hoc accipiatur de veris locuſtis, cum eo pugnabit quod Deus de locuſtis dicit, quæ inter plagas Ægyptiacas erant, ante quas non fuerant pares iſtis, & poſt quas non futuræ erant ſic.* Ad hanc contradictionem dirimendam rationem oportere habere loci *t)* quidam viri eruditi notant, cum, quod in Exodo extat, tantum concernat *Ægyptum* illasque locuſtas, quæ ibi tunc erant, & poſtea nunquam venturæ; ut e contrario hoc loco ſolam terram Iſraelitarum ſermo propheticus reſpiciat, nec ultra extendi poſſit. *u)* Alii eo tendi his verbis cenſent, *quod nunquam pares his fuiſſent*, qua erant quatuor genera, quæ nominantur *c. 1, 4.* cum tantum locuſtarum in priori loco mentio fiat. Sunt & qui ſtatuunt has & ſimiles loquendi formulas in prophetiis & libris Prophetarum כלה מבאלגאה פי אללפט non niſi hyperbolicas eſſe locutiones ולים יראד בה אל תחקיק *nec innui, veritatem rerum exacte verborum ſignificationi debere reſpondere*, ſed verbis tam exceſſivis tantum denotari, quod magnum eſt, ac ordinariam naturæ rationem ac uſitatum rerum, quas videmus, curſum longe excedit. Quod ſequitur, translatum eſt in noſtris Bibliis, *a multis generationibus*; at in margine notatum juxta literam legi, *a generatione & generatione* דור ודור. Sic & recentiorum & veterum non pauci. Chaldæus quoque eadem ferme verba retinet, quæ in textu hebraico ſunt. Vulgatus Lat. *usque in annos generationis & generationis.*

t) Bochartus. *u)* R. Sal. Aben-Ezra, Kimchi.

tionis. Ita & MS. Arabicum الـي سـنـيـن جـيـل وجـيـل & multæ verſiones latinæ. Nec multum abludunt LXX. *ἕως ἐτῶν εἰς γενεὰς γενεῶν*: nec Arabica impreſſa الي سنين الي جيل الاجيال *ad annos generationis generationum:* Syrus ܠܫܢܝ̈ܐ ܕܕܪ̈ܐ *usque ad annos generationis poſt generationem. Junius & Tremellius* reddunt, ut noſtrates in textu, *ad annos multarum generationum*, quod propria & genuina videtur explicatio verborum, quæ ad literam ſonant, *ad annos generationis & generationis.* Repetitio vocis *generationis*, importat *multitudinem* vel *pluralitatem*, *w)* non duas tantum ſequentes generationes, ſed longum temporis tractum poſt præſentem generationem, quamvis certis limitibus ac terminis non coarctatum, eatenus tamen limitibus circumſcriptum, quatenus aliquando finem conſequitur; idem eſt, ac ſi diceretur, non tam ſubito tale quid iterum accidet, nec *x) cujusvis generationis erit;* non, niſi poſt plures annos præter præſentem, vel proxime ſequentem & fortean alios. Breviter: indicatur h. l. indefinite longum tempus, quamdiu DEO viſum fuerit. Cum vero *y) annorum* hic mentio fit, veriſimile eſt, eum temporis decurſu denuo vel poſſe redire, vel certo rediturum eſſe, adeoque non præciſe *z)* determinari, parem nunquam futurum, quod cum quidam annotarunt, ita exponunt: *a) nunquam ultra*, vel *b) neque ullis ſeculorum annis futurus eſt.* Qui hic locuſtas intelligi volunt, pro tempore longo indefinite ſumunt, ut vidimus; qui vero inimicos, reſtringunt id ad tempus *Romanorum*, qui longo temporis ſpatio poſt *Chaldæos* erant venturi, ut ex Judæis habet *Abarbinel* & ex Chriſtianis non pauci.

3. Ante

---

w) Ne duas tantum generationes accipe, ſed pro ſcripturæ uſu multas. Merc. *x)* Livel. *y)* Ar. Mont. *z)* Theodoret. Rib. Caſt. *a)* Vat. *b)* Caſtr.

3. Ante eos consumit ignis & post eos flamma inflammat; terra est ante eos sicut hortus Edenis, & post eos desertum desolatissimum, tamen nihil evadet eos.

Pergit hoc & sequentibus quibusdam versibus aliquibus sublimibus ac figuratis exprimere expressionibus circumstantias lugubres ac effectus, quibus prædicti magni & robusti, numerosi ac scelesti populi adventum conjunctum fore indicat. Primo dicit, *ignis consumit ante eos*, vel ut in veteri *Genevensi* Anglicana, & plerique interpretes latini juxta textum hebraicum singulari numero, לפניו *Lephanav, ante eum.* Verum cum id referatur ad præcedentem vocem *populum*, quæ collectiva adeoque multitudinem etiam singulari numero complectitur, parum refert quo numero ponatur, quod sequitur לפניו *ante eum*, vel *ante eos*. Hæc vox prima est in textu originali & sic denotat *ante*. Non caret autem ambiguitate, cum non satis constet, sitne hic referenda ad præcedentem locum, an tempus, quia alibi indifferenter pro utroque sumitur. Hinc priori significatione accipitur a quibusdam, ab aliis posteriori, nec forte fluit sensus ratio, quocunque modo sumant, quidve demum per populum intelligant. Idem dicendum de voce sequenti ואחריו *Veacherau, & post eum vel eos:* Potest enim pari ratione referri tum ad locum, qui erat relictus, tum ad tempus, quod supererat. Eorum qui ad locum videntur referre non sunt postremi LXX. reddentes c) τα ἔμπροσθεν αὐτῦ πῦρ ἀναλίσκει καὶ τα ὀπισω αὐτῦ ἀναπτομένη φλοξ. *Quæ sunt ante eum, consumit ignis, & quæ post eum, accensa flamma*, quod *Cyrillus*, qui de locustis id sumit, idcirco dictum putat, quia ταῖς τῶν ἀκρίδων ἐμβολαῖς, *locustarum irruptione, quicquid occurrit, prorsus absumitur*, & si quid ab iis relinquitur, ἔργον καὶ αὐτὸ ἔσται τῶν ἑπομένων ταῖς πρώταις, *hoc opus erit earum, quæ priores sequuntur* ad absumendum ea. Eandem noxam illatam ab inimicis intelligi posse ait. Quorsum etiam exacte Vulgatus: *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eam exurens flamma.* Quod ita exponit Hieronymus: *Quicquid*

Q

c) In Arab. Impress.

quid attigerit, quasi vorax flamma consumet, nihilque post se dereliquet. Nec absimile illud *R. Salom. Omnia absumunt tanquam devorans ignis ante eas, & ardens flamma post eas;* & *Rab. K[illegible]* *Ubicunque sedem figunt, est ante eas & post eas, ac si ignis devor[illegible] & arsisset viridia quæque ante eas, ut dicit, & post eas, quæ lo[illegible] erant, ut* (in præsentiarum) *erat tectus.* Hinc particulis *ante* & *post* hac ratione sumtis, comparatio est juxta illos locustarum & rerum ab iis gestarum cum igne & ejus detrimento, quod adfert plerumque rebus, quas adurit. Eaque comparatio satis concinna iis videtur ac conveniens locustarum naturæ, quæ ob noxiam, qua præditæ sunt, qualitatem, eas dicuntur res *e)* adurere, quibus insident, ut supra observatum est ad *v. 7. cap. 1.* Secus tamen sentit Doctissimus Bochartus, qui, quamvis de locustis sermonem esse ac eas innui per *populum* arbitretur, igni tamen nec ipsas comparari censet, nec earum res gestas ignis effectibus; verum aliud per ignem indicari, nimirum magnam siccitatem & ingentem ardorem, qui earum adventum præcedebat, sicut in præcedenti capite etiam ad *v. 17. & 19.* annotatum, ubi non tantum ejus, verum & aliorum opinionem attulimus. Quod vero attinet ad vocem לְפָנָיו *ante eum*, eam non denotare ait locum, sed tempus, adjiciens, *utrobique agi de f) summa siccitate quæ locustarum adventum præcesserit & secuta sit*, quarum noxa illa omnia terræ virentia non secus atque ab igne & flamma erant adusta & absumta. Quocunque vero modo accipiatur, *g)* utrique optime congruit, quod sequitur: *Terra est sicut hortus Edenis ante eos, & post eos desertum desolatissimum.* Ubi voculæ hæ *ante* & *post* rursum possunt referri vel ad locum vel ad tempus; ita ut sermo respiciat vel eam regionis partem, quo non penetraverant, & quam ulterius progredientes post se relinquebant. Ita Hieronymus: *Quasi hortus & paradisus voluptatis omnis terra est, quam non tetigerit: [illegible] solitudo & desertum quicquid fuerit prædatus;* sicut hortus & paradisus

---

e) Ita [illegible] locustarum nomen [illegible] velint accersere a vocibus *loca usta*. Vide Bochart. [illegible] id rejicit. *f)* Tarnov. intelligit per ignem *zelum Dei*. *g)* Qui locust[illegible] hic h[illegible]rum fingunt ex[illegible]tores, non locustas; per ignem ac flammam intelligunt omn[illegible]rum combustionem.

disus voluptatis (qualis olim erat hortus Edenis *Genes. 2, 8.* &c. qui etiam hortus Dei vocatur phrasi usitata, qua denotantur loca jucundissima & amœnissima, ut *Gen. 13, 10. Ezech. 36, 35.*) est omnis terra quam non tetigerit (scil. hic populus) & quasi solitudo & desertum quicquid fuerit prædatus. Vel alias *h) ante* eorum adventum, & *post* eorum discessum esse regionem, quæ tam amœna erat ante eorum adventum, ut descripta est, postquam discesserint, relictam esse prorsus desolatam. Hæc sententia *i)* nonnullis etiam placet, qui priora verba sumunt de ordine loci; nec plurimum refert, utram selegeris, quippe nihil exinde oritur detrimenti rei, quæ intenditur ac descriptione ingentis mali absolvitur; cujus extensio atque universalitas his exprimitur verbis: *tamen nihil evadet eos*, ut nostrates optime sensum exprimunt verborum וגם פליטה לא היתה לו *vegam pelitah lo haytah lo*, ad literam: *& ita ibi non erit evasio ei* (vel *k)* ab eo). Vox פליטה *pelitah* proprie quidem denotat *l) evasionem*, at non tantum pro *m)* actu evadendi usurpatur, sed & pro rebus vel personis, quæ evadunt & supersunt. Ita ut nihil aliud his verbis, *non erit evasio ei*, indicetur, quam *n)* evasorem non futurum, vel nihil evasurum, nec *o)* reliquias remansuras superstites. Sic exponit ea *Aben-Ezra* אין דבר שנמלט ממנו *Nihil est quod evasit* (vel possit evadere) *ci vel eis*. Et *Kimchi* שלא הניח דבר מן הצומח שלא אכל *quia nihil earum rerum reliquerunt, quæ nascuntur, quas non dicit devoratas*. Non autem hic interpretum unanimis sententia, cum, quod nostrates & supra dicti cum aliis attribuunt rebus, alii tribuant personis. Ex his LXX: *καὶ ἀνασωζόμενος οὐκ ἔσται αὐτῷ, & qui salvetur non erit ei*; & *p)* Arabica impressa وليس من ينجو *Non est qui possit evadere*, & Vulgatus Lat. *nec est qui effugiat eum*, quod

Q 2

---

h) Bochart. *i)* Mercer. *k)* Mercer. *ei*, i. e. *ab eo*. *l)* Drus. *m)* *Actio & res*, Schindl. Sic in alus, ut captivitas pro captivis &c. Drus. Eadem vox est v. 32. *n)* Non erit evasor Pag. *o)* *Reliquiæ, residuum, nempe quod quasi effugio superstes remansit.* *p)* Ms. Arabic. insigniter convenit cum Hebræo, ولا يكن له פליטה.

quod Hieronymus sic explicat: *neque ullus poterit invenire, qui illius effugiat manus.* Syrus ܠܝܬ ܕܢܬܦܨܐ ܡܢܗ *Nihil est, vel nullus* (potest enim tum personis tum rebus accommodari indifferenter) *quod queat ab eo liberari.* Chaldæus dilucide ad personas refert ואף שזבא לית ליה לרשיעיא *atque ita non est evasio illi (vel ab illo vel propter illum) pro impio.* Recentiorum etiam quidam non reddidere *nihil,* sed q) *nemo.* Qui homines vel personas *non evasuras* volunt, non videntur per eos, quibus erant evasuri, intelligere locustas vel hujusmodi creaturas, sed inimicos; hi enim non illæ homines infestant. Quamvis tamen bono etiam sensu ab illis, quibus interpretari placet *nemo,* locustæ respici possent. Cum enim hi vermiculi omnes terræ fructus ad subsistendum aptos absumant, omnino ipsi homines generali hac devastatione dici possunt affecti, nemoque eorum iis evasisse, qui non illarum succubuerit noxæ, & a generali fame fuerit immunis. Quia vero vocula פליטה fœminini generis est, eamque significationem habet, quam supra tradidimus, rectius videtur referri posse ad res in genere, quam in specie ad personas, interpretatioque planior est, quæ habet *nihil,* quam *nemo.* Inter eos, qui inimicos intelligunt per populum, non locustas, *Abarbinel* peculiari modo explicat verba, quæ præcedunt: *ante eos consumet ignis, & post eos flamma inflammat.* Nimirum *per ignem consumentem ante eos* intelligit primam aciem vel exercitus frontem; *per flammam inflammantem post eos,* postremam aciei partem, quæ quidem in aliis exercitibus plerumque clauditur agmine fœminarum, liberorum, veterumque ac morbo confectorum militum ad pugnas inidoneorum; secus tamen fiebat apud Babylonios, quorum consuetudine talibus agmen claudebatur, qui cum flamma omnia adurente merito poterant comparari; & quando dicitur, *nihil evadet eos,* innui putat, quod accidebat *Gedaliah* filio *Ahikam,* & illis, qui relicti erant cum eo in terra *Juda,* quo non ita multo post r) *Ismael,* filius *Nethaniah,* veniens eos occidebat, ita ut nullus eorum, quibus Nebuchadnezar pepercerat, superstes relictus fuerit.

Quidam

q) Fig. r) Jer. 41,23.

Quidam *s)* eruditus Commentator Latinus per *ignem ante eos* intelligi vult, atque alludi ad eum ignem, quem Chaldæi (quorum moribus Dei instar colebatur) exercitui suo præferebant, ut viam præmonstraret atque terrorem injiceret hostibus; neque minus ad eum, quo agmen claudebatur, quoque flammis subjiciebant, quicquid obviam veniebat. Quæ opinio quamvis ipsi quam maxime arrideat, neque inconcinna videatur observatio, tamen ad rem minus eam facere *t)* nonnulli judicarunt. Quodsi de inimicis accipiendum, planissima sententia est, omnia circumquaque *u)* flammis fore subjicienda destruendaque, quæcunque visum eorum subitura essent. Sed rectius mihi facere videntur, qui de locustis ea sumunt cæterisque vermibus antea nominatis, quæ & in sequentibus una cum rebus suis gestis aut gerendis porro describuntur.

4. Species eorum est tanquam species equorum, & ut equites, ita current.

מראהו *Marehu, visio, vultus, species, w) forma, facies* est sicut species *x)* equorum. Non inusitatam fuisse comparationem locustarum cum equis, ex eo apparet, quod de locustis extat *Apocal. 9, 7.* earum (quicunque etiam per eas denotentur) figuras (vel similitudines) similes esse equis ad prælium paratis. Quacunque autem alia in re earum cum equis similitudo consistat, vultum tamen, caput ac faciem earum præcipue respici nostra non minus quam aliorum est opinio. Ita in h. l. *Theodoretus*: Si quis accurate, inquit, satis locustæ caput inspiciat, inveniet σφόδρα τῇ τοῦ ἵππου ἐοικυῖαν *admodum simile capiti equi*, quod & aliis recentioribus observatum, Bocharto referente, habemus. Idem de illis observant Arabes, quibus hoc creaturarum genus optime notum, ut ex verbis, quæ ex Historia creaturarum viventium *Damari* citat, videre est, quibus locustæ dicuntur imbecilles creaturæ, at quæ corpore ac aliis quibusdam corporis partibus referunt decem genera creaturarum fortiorum robu-

s) Sanctius. t) in Not. Angl. u) Grot. *Quaqua ibit omnia lucebunt incendiis.* w) in cap. Conc. x) Schindl.

ſtiorumque. Atque primo loco tunc conſtituitur وجه فرس y) *facies equi*, quod inter eos peculiari ratione exprimit Poeta quidam: السعمست عليها جباد الخيل الراس والنغم *celeres equi contulerunt in eas caput & os*, ita ut commode hic commate primo locuſtæ dicendæ ſint conferri cum equorum vultu, ſpecie ac genuina forma. Cui addi poteſt, quod z) alii cenſent, conſiſtere vim ſimilitudinis in illarum ferocia, audacia, & procacitate, ut *Job. 39, 19.* &c. Dein iisdem rurſus ſequenti commate comparantur reſpectu illarum impavidæ velocitatis in progrediendo his verbis: *Et ut equites, ita current.* Equus enim ipſe eſt qui currit, quamvis ab equite incitatus. Atque tanta celeritate omnia ante ſe ſubvertent nemine contra eunte vel inhibente. Ex eo multi argumentum irrefragabile petere poſſe ſibi videntur, quod proprie ea verba ſpectent locuſtas, non Chaldæos vel inimicos, quia dicuntur ſimiles equis & equitibus. Erant enim revera inimici equites & equis inequitantes, non autem ſimiles illis vel ipſi, vel eorum equi. Quidam illorum, qui inimicos intelligunt, ut hanc objectionem explodant, dicunt, literam ך, c, Græcis redditam ὡς, latinis *ſicut*, utplurimum quidē eſſe particulam ſimilitudinis, at hoc loco non poni παραβολικῶς ad comparationē vel ſimilitudinē denotandam; ſed, quod & alibi frequenter, ἐπιτατικῶς, ut Theodoretus [illegible] ad intenſionem ſignificandam, & dicendū, ea eminenter ac revera ita habere, quomodo dicta ſunt, ita ut his verbis *Species eorū eſt tanquā ſpecies equorum*, innuere velit, a) equos revera præ ſe ferre equorum aſpectum; & ſequentibus: *Et ut equites, ita current*, illos ipſos ſe exhibituros expeditos equites. Alii quidem comparativam ſignificationem retineant, at volunt intelligi peditatum exercitus, ita ut

y) 2. Oculi Elephantis, 3. Cervix tauri, 4 Cornu cervi, 5. pectus Leonis, 6. Venter عقرب ſcorpionis (ſic in exemplari meo non minus ac in Bocharti habetur, pro quo tamen legendum putat عقاب quod genus aquilarum eſt) 7. Alæ aquilæ, 8. femora Cameli, 9. pedes ſtruthiocameli, 10. cauda ſerpentis. z) Mald. Pet a Fig. Ribera. a) *Revera præ ſe ferunt equorum aſpectum & ut vere equites currens.* Chr. a Caſtro, qui notat ὡς in Græco ſic accipi, Joh. [illegible] & familiarem Joannis [illegible] eſſe. P[illegible] ſervitam, vel ut [illegible] i. e. [illegible] ſe revera talem e[illegible]

ut ipſi tam feroces apparerent, quam equi, & tam audaces ac celeres forent, quam equites. *Pedites iſti erunt velociſſimi*, inquit *Grotius*. Et *Abarbinel*, poſtquam hiſtoriam retulit, quæ ad rem plane non facit, ac ſi centauris compararentur, qui dicuntur ſemi-homines ac ſemi-equi, ad quos putat hic alludi, addit non a vero protinus abhorrere, facies illorum fuiſſe magnas, ac membra robuſta inſtar equorum, eorumque pedites tanta celeritate cucurriſſe, quanta equites currunt equis. Verum atro carbone ea notat Bochartus dicens: *Pedites cum equitibus conferri novum eſt, & inauditum; & : quis Aſſyrios dixerit ut equites fuiſſe, cum revera equites fuerint, iique magno numero*, ut alibi deſcribuntur *Ezech. 23, 6. & 12. & 23. & cap. 26. v. 7. 10. 11. Habac. 1, 8.* &c? Attamen *b*) alius eſt, qui in hæc verba ſcribit: *Non mirum eſt viros bellicoſos comparari equis generoſis, pedites equitibus, ad indicandum fortitudinem & celeritatem eorum.* Ad me quod attinet, perſpicue ſatis cenſeo comparationem hic fieri locuſtarum, & ſimilium inſectorum cum equis, quibus Deus utebatur ad judicia ſua perficienda, quamvis imbelles videantur creaturæ ac contemtui ſint expoſitæ, equi vero fortitudine ingenti ac facultate inclyti. Nec minus his congruet comparatio in verbis ſequentibus, quibus adventus illarum ac facta aliis circumſtantiis traduntur, nimirum tumultus ac ſtrepitus magnus, quem erant facturæ, comparatur cum ſtrepitu curruum ſuper cacumine montium crepitantium & cum ſtrepitu flammæ conſumentis ſtipulam, vel materiam combuſtibilem, & cum ſtrepitu populi robuſti ad prælium inſtructi.

5. *Sicut ſtrepitus Curruum ſuper cacumina montium ſalient, ſicut ſtrepitus flammæ ignis devorantis ſtipulam, ſicut populus robuſtus inſtructus ad prælium.*

Verba כקול מרכבות על ראשי ההרים ירקדון *Cekol Markaboth al-roſhe heharim yerakkedun*, videntur duplici ratione poſſe conſtrui, vel ita ut ſonant, quod locuſtæ ſalient (quæ vox pro-
prio

b) Brentius.

prie earum movendi rationem exprimit) ſuper cacumina montium tali ſtrepitu, qualem curruum ſaltatio edit, quare etiam a *Junio* & *Tremellio* ſic reddita: *Quaſi ſtrepitu curruum ſuper cacumina* (vel *in cacuminibus*) *montium ſalient.* Ut & *Tigur.* ante eos: *Irruent ſtrepitu quodam per cacumina montium, ut currus.* Vel in hunc modum: *ſicut ſtrepitus curruum, qui ſaliunt* (vel *quando ſaliunt*) *ſuper cacumina montium*, cum ellipſi, qua ſubintelligitur, vel *qui*, vel *quando ſaliunt ſuper cacumina montium*, ita ut verba, *ſalient ſuper cacumina montium*, quæ in priori ſententia referuntur ad locuſtas, vel ad eos, qui hic cum curribus comparantur, in poſteriori referantur ad currus, quibuscum comparantur. Poſteriori ratione accipit ea *Druſius*, & Syrus, quando reddit ܐܝܟ ܩܠܐ ܕܡܪ̈ܟܒܬܐ ܕܥܒܕܝܢ ܥܠ ܪܝܫ ܛܘܪ̈ܐ *ſicut vox curruum, qui faciunt tumultum ſuper cacumina montium.* At prior ratio aliis interpretibus uſitatior. Ita LXX. ὡς φωνὴ ἁρμάτων ἐπὶ τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων ἐξαλοῦνται, ut & impreſſa & MS. Arabica & Vulg. Lat. *ſicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient*, & ſic recentiores ferme omnes; in eo tamen differunt, utrum verba, *ſuper cacumina montium ſalient*, ad locuſtas referenda ſint, vel tantum *ſalient* ad eas; & *cacumina montis* ad currus. *Mercerus* quorundam *d)* Judæorum affirmat eſſe opinionem, omnia referenda eſſe ad locuſtas, quæ cacumina montis aſcendunt, quo currus pertingere non poſſunt, ita ut quoad ſtrepitum & ſaltum cum curribus conferantur, quia utriſque hoc proprium eſt; verum *quod hoc faciant in cacuminibus montium*, id unum ad locuſtas pertinere. Ipſe vero mediam harum ivit viam, qua ita diſtinguit verba, ut *ſuper cacumina montium* jungat cum præcedentibus, *ſicut ſtrepitus curruum* atque *ſalient*, referat ad locuſtas, quas tertia perſona plurali notari vult, qua ratione verba ita fluunt: *qualem ſtrepitum currus faciunt ſuper cacumina montium vecti, talem faciunt locuſtæ ſaliendo* (vel *ſuis ſaltibus*). Quamvis enim in uſu non ſit, currus per talia loca trahi, attamen ſi traherentur, non eſt dubium, quin magnum ſtrepitum ſint edituri.

d) Ita Aben-Ezra, Kimchi & Chriſtianorum quidam: *Qualem ſtrepitum in bello ſummo edunt currus ſaltantes, talem hæ beſtiæ edent ſuper cacumina montium ſalientes. Liber.*

edituri,atque in eo vertitur similitudinis cardo. Verum enim vero, quæcunque sit disceptatio interpretum de horum verborum constructione,id sane non scopo nec sententiæ nostræ quicquam præjudicat, contineri his verbis similitudinem ad exprimendum horridum strepitum, quem prædicti, qualescunq; etiam sint, adventu suo sunt edituri, & ad notandum terrorem, quo corriperetur populus earum tam terribilem ingressum videns. Quem autem strepitum locustæ soleant facere ubi sunt,ex eo cognosci potest, quod *Remigius* ex illis, quorum territoria per eas infestari solent,refert,earum tantum esse strepitum, *ut a sexto milliari audiri possit sonitus earum.* At sufficiet ad horum verborum illustrationem,cum de locustis sumuntur, unum addidisse ejusdem fere tenoris locum *Apoc.9,9.* ubi de locustis ibi nominatis dicitur, sonitus alarum ipsarum fuisse sicut sonitus curruum, equis multis currentibus ad prælium. Ex quo utroque loco conjuncto luculenter apparet, proprie hic respici ad locustas veras,& non inusitatam atque insolitam fuisse comparationem inter strepitum locustarum, quem motu suo concitant,& equorum conculcationem curruumque saltum, qui ingens esse solet. Hanc excipit alia comparatio in verbis sequentibus, qua formidabilis illarum strepitus, quem concitabunt, exprimitur, *sicut strepitus flammæ ignis devorantis stipulam,* talis *e)* strepitus, qualem ciet stipula igne adusta, quæ, quam crepitantem edat strepitum, nemini ignotum esse potest. Quando enim *f)* combustibilia,ut sunt stipula & lignorum detrimenta,injiciuntur igni,magnus exinde oritur strepitus. Cum hac expressionis formula concidit, quod dicitur *Eccles. 7,6. Ut crepitus spinarum sub olla* &c. Priore in comparatione strepitus videtur existere ex illarum motu, saltu vel alarum remigio; hic vero procul dubio ex illarum manducatione ac esu. Ita videtur hoc intellexisse *Cyrillus,* cum dicat: Ferunt, eas campos nunquam irruere sine strepitu, *g)* qualem quoque haud mediocrem edere solent dentibus suis arrodentes frumentum ante se abactum & dejectum,non secus ac ventus abigit ignis

e) Drusius. *f)* Kimchi. *g)* ἠχὼ βληχρὰν, qua voce simul denotatur imbecillis & fortis; at magis conveniens videtur huic loco posterior significatio,Bochartus tamen reddit eam *tenuem*, at alii, *non tenuem.*

flammam. Et *Mercerus :* qualis eſt ſtrepitus flammæ ignis conſumentis quæq; combuſtibilia, *talis eſt & ejus plantas* (vel res alimenta præbentes) *erodentis ſtrepitus*. Et *Pet. a Fig. Devorantium Locuſtarum ſtrepitum declarat, h) magno ſtrepitu volant, & in agros decidunt, & ſegetes dentibus commolunt.* Atque ſic idem hæc verba cum iis, quæ *v.* 3. expoſuimus, ex mente illorum denotare dicenda ſunt, qui & ibi locuſtas cum igne conferri ſtatuunt. Hinc ex utroque hoc loco non difficile inferre poſſis, comprehendi ibi omnino locuſtas ac cum illis cætera hæc inſecta ſub nomine magni & ferocis populi *(v. 2.)* ſecum ferentis ignem, mœſtiſſimosque ejus effectus ubicunque edentis. Tertia comparatio continetur his verbis: *ſicut populus robuſtus ad prælium.* Ad ea connectenda cum præcedentibus *i)* quidam ſubintelligi volunt, repetique, vel ירקדון *jerakkedun, ſalient ut ;* vel קול *kol, ſtrepitus*, ut ſtrepitus robuſti populi. *Atque ita erit populi hujus ſtrepitus.* Ubi poſteriorem ſimilitudinis partem inferri putant ex priori, quæ duntaxat exprimitur, idque conſuetudinem communem eſſe eorum, qui ita ſunt ordinati ad invadendum regnum. Suſtollunt inconditum & trucem clamorem, quo injiciant populo terrorem, ut exponit hoc Kimchi verba hac ratione accipiens. Attamen *k)* aliis videtur ſatis, ſubintelligere, *ſunt ſicut* &c. *eſt ut populus validus ad pugnandum inſtructus ;* ac ſi a deſcriptione ſtrepitus, quem edunt, transiret ad ordinem, quo procederent opera ſua exequentes. Digna hic eſt obſervatione diverſitas hujus formulæ a præcedenti *v. 2.* ubi vocantur *magnus & robuſtus populus ;* hic vero *ſicut robuſtus populus.* Quod argumento eſt, eas priori loco vocari populum *l)* non proprie, ſed figurate, quia ſimili modo, vel ſicut populus ſeſe exhibet, ita & hæ hoc vel illo modo ſeſe ſunt exhibituræ, ut idcirco illius nomine merito vocentur; id quod non leve indicium videtur, nec *m)* Babylonios hic indigitari, nec alios ullos, inimico odio terram invaſuros, ſed revera locuſtas & hujusmodi vermiculos, qui a Deo immittebantur executuri ſua ſuper eos judicia. Etenim hoc uſu venire ajunt, ut ad amplificandum minora atque extollendum ea cum majoribus conferan-

h) Bochart. i) Druſius. k) Bochart. l) Bochart. m) Pet. a Fig.

feratur, non contra majora cum minoribus, [illegible] diminuendi ac vilipendendi causa ac in hujusmodi rebus, quibus ea antecellunt, quamvis in aliis multo sint iis inferiora. Quod si ita intelligamus verba *sunt* &c. ratio, cur hic dicantur sicut populus robustus ad prælium, videtur esse 1. illarum numerus & vis inferendi damnum: numero *sunt sicut populus*, vi ac potentia *robusti*, quales cognitas habemus teste experientia; *o)* quid *locustis numerosius [illegible] & fortius quibus [illegible] resistere non potest?* Ita *Cyrillus* de illis dicit, esse rem edacem & διὰ πλῆθος ἀμέτρητον οὐκ εὐκαταγώνιστον, μᾶλλον δὲ καὶ δυσαντητον, *& propter immensam copiam non facile expugnabilem, vel potius oppugnatu difficilem*, & illarum irruptionem esse χρῆμα ἀμαχον [illegible] δυσκαταγώνιστον [illegible] τέλως ἀνθρώποις, *rem inexpugnabilem & hominibus omnino insuperabilem*. 2 Illarum ordo ac pertinacia in progrediendo & rebus gerendis, cum addat sicut *robustus* populus, quo cum eas confert, *ad prælium instructus*. Milites disciplina culti quæcunque sese offerat occasio, loca sua constanter tenere ordinesque servare sciunt. Quibus cum quando eas creaturas confert, de quibus hic loquitur, quid aliud innuitur, quam quod ordinem suum æque constanter in motibus suis servare sciant? Quem quam accurate servare soleant, ex eo patet, quod de iis legimus *p) Prov.* 30, 26. (ex translat. nostrat.) *omnes procedunt turmatim*; & evidentius Græc. *procedunt tanquam ad prælium instructæ* εὐτάκτως, *bono ordine*, & *Arab.* impressa, *omnes quæ suum d[illegible] [illegible] exercitus sunt* [illegible] *optimo ordine*. *q)* Alii observant eas fixe locum suum tenere volantes ordine quadrato, lapidum instar in pavimento tessellato, nulla stationem suam unquam linquente vel mutante. Ita & *Hieronymus* qui id oculis se vidisse affirmat. Pari ratione apud *Theodoret.* & *Cyril.* invenies, earum ordinem tam stabilem esse, ut nulla unquam ratione eum interturbari sinant. Nec in contrarium quid afferunt *r)* Arabes, quibus eæ maxime sunt notæ, quia uno ore confitentur, eas sese in unum corpus compingere كالعسكر

 ut

n) Ut [illegible] exercitus conferuntur cum locustis ratione numeri, Bochart. part. post. p. 467. *o)* Hieronym. c. 1. v. 6. *p)* Peculiari modo hunc locum interpretatur Bochart. quem vide part. post. p. 459. *q)* Vide Bochartum. *r)* Alii [illegible]

ut exercitum, in quo, priore ac duce ſe movente, cæteræ ſe movent, & e contrario omnes reſident, eadem reſidente; quare illarum gregem appellant *s)* منظوم *Mandhum,* quæ rem ſignificat in ordinē collocatā; quippe tam exacte ſe in ordinē poſſe redigere ac eum ſervare traduntur, ut militaris diſciplinæ videantur gnaræ ac non ſecus eum, quam optimi ſtrenuiſſimiq; milites, obſervare. Hoc reſpectu apta ſatis videtur comparatio, quæ petitur a militibus ad prælium inſtructis. Quod ſi talem etiam cum aliis ſtatuimus eas inferre ſtrepitum, qualem milites inferunt, ad amplificandum adventus illarum terrorem id fieri conſtat. Horrenda certe res viſu atque auditu eſſe debebat, quam tot circumſtantiæ, atque hic prædicuntur, erant comitaturæ. Qua quam graviter populus neceſſario afficeretur, ſequentibus tradit in verbis.

6. A conſpectu eorum populus multum dolebit: omnes facies contrahent nigrorem.

מפניו *Mippanau, a conſpectu ejus,* i. e. vere in oculis illius, vel ut Vatablus, *præ metu ejus,* ſcilicet adventus, populus יחילו *yachilu,* multum dolebit tanto nimirum *t)* dolore, quanto puerpera partus tempore. Vox enim, quamvis latiore ſignificatione ſumatur, utplurimum tamen ei deſignando adhibetur dolori; quare, ſicubi alio in loco uſurpatur, non communes denotat dolores, ſed horrendos, quibus ferendis vix pares ſunt, qui eis premuntur. Quo factum, ut noſtrates, ad pondus addendum ſignificationi, voculam adjiciant *multum,* ac ſi eam neceſſario in ſe complecteretur verbi denotatio. Alii tamen eam tam plene atque expreſſe non exprimunt uno verbo generalioris ſignificationis contenti, ut *u) dolebunt, w) cruciabuntur, x) horrent,* (vel *y) contremiſcunt.*)

Quantum vero dolerent & quam graviter animo turbarentur, ex vultibus eorum pateret. Hinc addit: *omnes facies contrahent nigrorem,* vel ut in margine, *ollam,* quam propriam quidam ſtatuunt ſigni-

---

s) Kamus, ut & نظم in Aſap. *t)* Druſ. Tarnov. *u)* Jun. Trem. *ww)* LXX. *x)* Chald. *y)* Merc. Verſio Chald. ordinar. Syr. Bochart.

significationem vocis פארור *Parur*, ac si eadem esset cum פרור *Parur*, sine litera א, *a*, quæ occurrit *Num. 11, 8.* ubi a nostratibus redditur, *patina*, ab aliis χύτρα. & *z)* *olla* vel *cacabus*, omnibus vas tale esse unanimi sententia consentientibus, quo igni coquenda admoventur, pro quo cum accipitur, ad literam vertitur *olla*. Ita *Vulgatus: redigentur in ollam;* qua quid innuatur, per se manifestum est, & ab aliis in genere dictum, futuros esse colore *a)* ut ollas. Sic & Duacens. qui ad literam fere exprimunt versionem Latinam, addunt similitudinis particulam in hoc loco: *omnes facies fient sicut olla.* LXX. *πᾶν πρόσωπον ὡς πρόσκαυμα χύτρας*, & Arab. impressa vestigiis eorum insistens كل وجه كسخام القدر *qualibet facies est* (vel erit) *sicut adustio vel nigredo ollæ.* Pari modo MS. Arab. omnes facies قبضوا سخام الطنجير contraxerunt nigredinem ollæ. Chaldæus, omnes facies coopertæ sunt אכרום אוכמין כקדירא, fuligine atra ut olla. Syrus ܘܟܠܗ ܐܦܐ ܬܗܘܐ ܐܘܟܡܐ ܐܝܟ ܐܘܟܡܘܬܐ ܕܩܕܪܐ & omnis facies erit nigra sicut nigredo ollæ. In aprico est hos omnes pariter sentire, desumtam esse hanc comparationem hic a colore ollæ, non a materia vel metallo ejus, licet ejus cum facie comparatio alibi extet, ut *Esa. 48, 4. Supercilium eorum erat abeneum;* sed hic alio modo comparatum est. Unde factum est, ut, quotquot translationes inspeximus, æque omnes, nec recentioribus exclusis oculos non adeo intenderint ad ollam, quam ad ejus colorem, nostratesque reddiderint, *nigrorem*, præterquam quod ullam *ollæ* mentionem faciant, quam vox proprie denotat. Sic *b)* quidam tantum habent, *nigredinem* vel *nigrorem. c)* Alii *luridum ollæ colorem.* Alii *d) pallorem*, quam interpretationem omnibus aliis præfert Doctissimus *Lovelius*, ut maxime huic loco convenientem, quamvis negari non possit vocem proprie denotare nigredinem; atque in eo *Mercero* accedere videtur, qui id explicat *nigricantem pallorem.* Omnium vero huc redit mens ac sententia, hac exprimendi formula innui hujusmodi faciei ac vultus alterationem, qua afficimur metu magno

R 3 corre-

z) Et Jud. 6, 19. 1. Sam. 2, 14. *a)* Kimchi. *b)* Jun. Trem. *c)* Tig. *d)* Cast.

correpti atque perturbatione, cujus ſignum ea eſſe ſolet. Nec longe abit ab hac mente interpretatio alia, quæ huic prorſus contraria eſt eorum, qui nomen *Parur* dicunt non ſignificare *nigredinem*, ſed *pulchritudinem*, (tam hoc loco, quam *Nahum.* 2, 10 ubi eadem expreſſionis formula occurrit) a פאר, *elegantia*, *nitor*, (per geminationem tertiæ radicalis) ita ut oratio ſic fluat: *Omnes facies recollegerunt, retraxerunt, vel contraxerunt ſuam pulchritudinem.* Nec abhorrent ab hac interpretandi ratione quidam non vulgaris notæ Judæorum, ut *Abu-Walid* & *R. Tanchum* reddentes Arabice جمعت جمالها وقبضته e) *recollegerunt vel contraxerunt ſuam pulchritudinem.* Atque ita affixum reſpiciunt tanquam ſubintellectum nomine. Eandem etiam ſignificationem putat habere hoc nomen *Aben-Ezra*, quam *Peer*, *pulchritudo* vel *decus*, & verbum denotare aliquid שיתקבץ ויתאסף quod contrahit vel colligit ſe ipſum, cujus f) contrarium eſt יתפשט *yithpashet*, quod de re dicitur, quæ ſe ipſum aperit atque denudat. Cui illuſtrandæ adferunt, quod dicitur *v.* 10. *hujus cap.* & *cap.* 3, 15. וכוכבים אספו נגהם & ſtellæ retrahent ſuum ſplendorem; attendentes præcipue verbo אסף *Asaph*, & קבץ *Kabats*, qua utrumque ſignificat non tantum *collegit*, *congregavit*, ſed & *recepit*, vel *retraxit*. Excipit vero contra hanc interpretationem *Kimchi* Parens, eamque minus propriam eſſe dicit, ut refert ejus filius, eo quod ſua ſententia verbum קבץ *Kabats* non ſit uſitatum ſignificatione *congregandi in unum*, vel *recolligendi*, quod jamjam præſens eſt, ut אסף *Asaph*; ſed *colligendi*, quod diſperſum eſt vel non præſens. Quicquid vero ſubtilitatis horum verborum diſtinctæ ſignificationi ineſſe putet, *Rab. Tanchum* tamen, cum utramque verborum ſignificationem inter ſe confert, poſteriorem, ſcil. qua reddunt *recolligent vel recipient ſuam pulchritudinem*, & priorem qua reddunt, colligent *nigrorem* vel *pallorem*, hanc dicit احسن واقوم بالمعنى i. e. conficere meliorem & planiorem ſenſum. Et quidem quod ad ſenſum attinet, quamvis ad literam diverſimode cum-

---

e) i. e. [illegible] لشدة الرعب والخوف [illegible] f) Ita [illegible] قبض *Kabats* opponitur بسط *Baſata* expandit, [illegible] &c.

contrariæ sibi invicem videantur interpretationes, hoc tamen adfirmare habeo, æque omnes harmonia elegantissima sibi invicem congruere, cum innuant ingentem vultus mutationem ac alterationem, quæ formæ, qua erant præditi, est contraria, diversique nihil habet, sive faciem dicas perdidisse pulchritudinem suam, sive collegisse pallorem vel nigrorem, cum uno remoto alterum in ejus locum succedat necesse sit. Ad nostrates quod attinet, eorum expositionem opinione atque autoritate plerorumque interpretum confirmatam videmus.

Hinc ex præteritis satis superque patet ubi terribilis eorum adventus, qui a DEO erant missi ad exequendum sua judicia, describitur, quam justa esset incolis pavendi causa, & quam merito pavoris istius deberent edere signa & effectus. Idem ulterius amplificatur in quibusdam sequentibus versibus, ubi res eorum horrendæ, quibus gerendis irruentes operam darent, dilucide traduntur, ut v. 7.

7. Current sicut potentes, scandent vallum ut bellatores, & quisque procedet per vias suas & non pervertet semitas suas.

Current sicut potentes] i. e. procedent audacter, expedite ac constanter, nil reformidantes, nec transversum unguem a via decedentes. Qua expressione cursus innui constantem ac indefatigatam processionem ex *Psal. 19,5.* manifestum est, ubi sol dicitur, *lætari tanquam vir robustus decurrere viam.* Eadem vox est in utroque loco, nimirum גבור *Gibbor*, numeri quidem singularis ibi, hic vero pluralis *Gibborim*, quæ virum potentem ac robustum denotat, & a quibusdam ubique reddita per *gigas*, quo nomine hujus generis ac conditionis homines plerumque venire solent. Idem in utroque loco est etiam verbum רוץ *ruts festinanter currit*, quod g) fortitudinem juxta ac velocitatem infert. Nec ullum dubium est, quin hac descriptione declaretur, eos munus suum h) strenue obituros, quod ulterius etiam apparet ex verbis additis *scandent vallum ut bellatores*, non

g) [illegible] est enim cum fortitudine vehementius. Rib. Tarnov. h) Merc.

non a cursu suo ac proposito ab aliqua re prohiberi se sinent, nec valla munitissima quid ab iis immune reddent. Quæ ipsis occurrent, ὅλως ἀμείνως καὶ δειμάτων ὑπαρχούσαι (ut ait *Cyrillus*) terroribus & pigritia superiores super ea se tollent, quasi audacem irruptionem meditantes, ita ut *i)* horti sepimento circumdati, æque illorum destructioni fuerint subjecti, quam campi patentes. Quo progressu, inquit, *quisque procedet per vias suas & non pervertet semitas suas;* non erit, quod illorum cursum vel impediat vel immutet, sed eo incedent ordine, quo ad aciem instructi, ut infra ex v. 5. videre est, ubi, quod dictum est, optime conspirat cum his verbis, ex nostrat. interpretatione, *quisque procedet per vias suas.* Secundum Vulgat. *Viri in viis suis gradientur;* cui accedunt *Duacens. the men shall march in their ways;* quod perperam putat factum *Ribera* culpa librariorum, qui numero plurali expressum advertentes verbum, *gradientur,* nomen quoque plurali numero censuere exprimendum, ponendumq; esse *viri* loco, *vir,* quod ad literam respondet hebraic. איש *ish,* quod revera quidem denotat virum; at tali modo constructum idem valet ac *singuli,* ita ut *k)* verbum plurali numero proferatur necesse sit, quamvis nominis singulare retineatur, quo illorum, qui singuli multi erant, quisque sic fecisse intelligendus sit. Quisque eorum tam firmo ordine erat processurus per suam viam, ut peracto itinere nullus eam aliquo modo pervertisse dici posset, quocirca addit: *Et non pervertent semitas suas.* Quæ verba licet ex interpretatione nostrat. satis clara sint, nec dubius hæream, quin optime exprimant textus hebraici genuinam mentem; attamen cum multum inter se distent aliorum interpretationes, quod attinet ad literalem sensum vocis, quam nostrat. reddidere, *pervertent,* operæ pretium duximus eas paululum expendere, ut, qua ratione altera cum altera, omnesque denique cum Originali textu, quem exprimere omni nisu conantur, possint conciliari, cuivis sit perspicuum ac clarum. Verbum hebraic. est יעבטון *yeabbetun,* de quo *l) R. Sal. Jarchi & m) Kim-*

i) Pet. a Fig. *k)* Quod in latina lingua etiam usu venit. *l)* אין לו דמיון non est ei simile. *m)* אין לו חבר במקרא nec socium habet in Scriptura.

Kimchi notat, in ſacris literis alibi hoc ſenſu non inveniri, unde accuratius enucleare neceſſe eſt, quo ſenſu hoc loco uſurpetur, quaque interpretes maxime nitantur ratione. Quem in finem hanc potiſſimum approbant viam id rite expediendi Grammatici Hebræorum. Primo ut ad cognitam uſitatamque reducatur ſignificationem radicis עבט *Abat, aliquid dare* vel *accipere pignori* vel *depoſiti loco*, quæ res vocatur עבוט *Abot*, & quia res hoc pacto tradita tamdiu retinetur ac in poſſeſſione manet, donec redimatur ab eo, qui eam oppigneravit, eo ipſo accipere verbum עבט *Ibbet* ſignificationem, *impedivit, inhibuit*, vel *tardavit & moratus eſt*.

Quo reſpexit Paraphraſtes Chaldaicus, quando reddit ולא מעכבין ארחתהון *nec morantur vias ſuas*, vel moram faciunt in viis ſuis. Ad cujus ſe auctoritatem etiam quidam alii contulerunt, in quibus *Abu Walid* لا يتحتبسون في طرقهم *non retardant ſe ipſos*, vel moram faciunt *in viis ſuis*, quem interpretandi modum notat tum *R. Tanchum*, tum *R. Kimchi*, (etſi alios etiam notare non deſint) quamque interpretationis rationem hujus verbi adduximus, *R. Tanchum* tradit his verbis משתק מן לעבוט עבוטו והו אלרהן לאן אלרהין מחבוס מעאק עלי קימתה פכאנה *Deducitur ab abot (in leabot aboto Deut. 24, 10.) quod ſignificat depoſitum* (vel pignus) *quatenus quod pignori datum eſt* (vel in depoſitum traditum) *reprimitur & inhibetur pro eo valore, quo redimendum eſt* (vel donec pretium, quo oppigneratum eſt, ſolutum ſit). Hinc evidentiſſimum cenſent, radicem continere ſignificationem *inhibendi, impediendi* vel *detinendi*, qua non tantum a Chaldæo, ſed & aliquibus recentioribus accipitur, ut a Pagnin. *neque retardabunt itinera ſua*, & Munſter *nec tardi erunt in ſemitis ſuis*, & in noſtra tranſlatione Anglicana antiquiore, qua communiter olim utebantur, and they ſhall *not linger in their paths*; & in ea, quæ ex Genevenſ. confecta eſt, *and they ſhall not ſtay in their paths*. 2. Sunt qui hac ſignificatione quidem verbum admittunt, at non eodem, quo jam adduximus, uſurpari contendunt reſpectu, ſed longe alio, nimirum quatenus depoſito dato res mutuo ſumitur & per mutuum fœnus ab alio ad alium transfer-

S tur,

tur, ac si sonarent, Kimchio auctore in libro radicum, ולא ישאילו ארחותו זה לזה *& non commodabunt viam suam alius alii*, ut recte hæc verba interpretatur Mercerus; perperam vero quidam n) alii, ut *Vatablus* notat: *non interrogabunt iste ab illo de semitis suis*, quasi vel tantillum temporis non essent subsistituri ut scrutarentur viam ab alio. Gemina ratione, qua denotat mutuare vel commodare, videtur etiam recepisse MS. Arabicum, reddens وكل واحد في طريقه يسيرون ولا يرتهنون سبلهم *& quisque procedet in sua via, & non dabunt* (vel *accipient*) *mutuo suas ipsorum vias*, i. e. non recedent a suis viis, vel communicabunt eam alii aliis, sed quilibet suam ipsius constanter observabit. Quo pacto si verba recipiantur, elegantem expressionem ea complecti censet Doctus quidam o) Commentator, qua innuitur, *quod non permutent inter se, vel non mutuent vias suas unus alteri*, sed quod quilibet suam servet, ac eum tueatur locum, quem primo occupabat. 3. Non desunt qui secus plane hoc verbum accipiunt, non quatenus significat *oppignoravit*, sed quatenus idem valet quod עוה *Ivet* (quocum sono convenit literis mutatis) nimirum *pervertit, curvum reddidit*, vel *obliquavit*, quo sensu & in lingua Ismaelitica usitatum esse *Aben-Ezra* & *Kimchi* auctores sunt. At recte p) Doctissimo *L. de Dieu* observatum, lexicographos Arabes hanc significationem verbi non dare, quomodocunque suo tempore ita usitatum invenerit *Aben-Ezra*, quamvis etiam negari non possit, quasdam ejus significationes extare, quibus ad eam queat reduci, ut *fidit* &c. Interea quam maxime probabile est, apud Hebræos hac significatione venire, quam idcirco non vetusti modo, verum & recentiores secuti sunt interpretes. In eandem mentem LXX, *καὶ ȣ μὴ ἐκκλίνωσι τὰς τρίβȣς ἀυτῶν.* Quos sequitur Arabica impressa ولا يميلون عن سبلهم & Syrus ܘܠܐ ܢܣܛܘܢ ܡܢ ܐܘܪܚܬܗܘܢ & Vulgat. Lat. *non declinabunt a semitis suis.* His ex recentioribus etiam accedunt non pauci, quorum interpretationes sunt: q) *Neque de semitis suis deflectunt.* r) *Nullus a semita sua deflectit* &c. s) *Non perver-*

n) Pagnin. Lex. o) Tarnov. p) Qui ex Æthiopica lingua eam explicari posse putat.
q) Cast. r) Tig. s) Jun. Trem.

pervertent vel t) obliquabunt semitas suas, u) non obturbabunt itinera illorum. Atque hi & qui sunt hujus generis alii ea videntur accepisse omnes significatione, qua conspirat cum עורת *Iwet, pervertit,* nec est quod sententiam illorum nostræ postremæ translationi, quæ ad subjecta referuntur prædicata, contrariam putes; quippe quæ non tantum eam expresse tradit, sed & utrivis aliarum interpretationum applicari potest, quia omnes complectitur prædictas rationes, sive inhiberi non potuisse dicas, sive alios alios non expulisse ex locis suis, sive se non coarctasse in viis suis, vel cum aliis commutasse, nec sibi invicem contrarios ordinem suum turbasse, utpote quibus cunctis illorum procedendi describitur ordo, qui quam concinnus futurus esset nec in sequentibus tradere desistit.

8. Nec unus alterum expellet, quisque per semitam suam procedent, & quando cadent super ensem, non vulnerabuntur.

Ordinem locumque suum, quem primo occupabant, tam stricte servabunt, ut, quamvis sint numero pene infinito, tamen non sint se invicem pressuri, vel submoturi, vel locum mutaturi, sed quisque illorum accurate semitam suam retenturi. Talem ordinem utplurimum in magnis exercitibus observari expedit, ne sibi ipsis verius inferat copiarum multitudo confusionem, quam inimicis suis damnum, atque in eo omnis militaris disciplinæ vis sita est, utpote quo sine rerum successus non sperandus. Nam w) *exercitus incompositus res est turbulentissima, & hostibus captu facillima, & penitus inutilis,* cum alter alterum impedit confusione, quomodo pugnabunt? *Exercitus vero pulchre dispositus, & ordine collocatus & amicis pulcherrimus videtur, & hostibus propemodum invictus & expugnabilis;* atque egregia omni tempore ac loco a talibus tam pulchre dispositis exercitibus gesta esse nemini constare non potest. Quod si hæc verba ad inimicos referantur, ut quibusdam hoc placet, summam & fortitudinem eorum & belli peritiam, qua utraque præstantes ingentem

S 2 pote-

t) Merc. u) Oecol. vid. Diodati Edit. in 4to. w) Livel. ex Xenoph.

poterant injicere terrorem, hic innui manifeſtum eſt. Verum ſi ad locuſtas vermiculosque hujus generis alios ſpectare mavis, quæ noſtra cum aliis ſententia eſt, quæ cum nec rege gaudeant nec præfecto, qui agmen exacte diſponat, & nihilominus tam catervatim ac ordinate procedant, idem de illis dici, quod de inimicis, quis ambigere poteſt? Manus DEI magna, *ex cujus jubentis diſpoſitione volitant*, uti Hieronymus ait, debebat in illis agnoſci, & plane conſtare, ejus hunc eſſe exercitum ab ipſo inſtructum, & in incolas immiſſum (uti *v. 25.*) ad obeundum quoddam opus magnum, earumque adventus talem debebat illis terrorem incutere, qualis deſcribitur *v. 6.* & inprimis, cum animo revolverent impavidam earum pertinaciam proſperumque omni ex parte ſucceſſum, quo ſuo ordine & effrenato curſu progreſſuræ eſſent, quod dilucidius etiam docet in ſequentibus: *& quando cadent ſuper enſem, non vulnerabuntur.* Qua audacia atque pervicacia forent, ex eo patet, quod non ſint gladium formidaturæ, ei inſidere etiam audentes; quo vero ſucceſſu ea peracturæ eſſent, ex eo patet, quod ſic faciendo non forent vulnerandæ. Ita hæc verba explicat x) *Kimchi* אין החיל הזה כשאר אויבים &c. *Non eſt hic exercitus ut reliqui hoſtes, quos prohibebis, ne adverſum te veniant gladio;* ſed caſtra metantur vel ſedent ſuper eos, nec vulnerantur, idque inquit לקלותם *ob levitatem earum.* Ex his quidem ſat ſuperque conſtare poſſet hujus commatis ſenſus juxta translationem noſtram, quam omnium maxime cum Textu Hebraico conſpirare cognitum habemus; verum cum diſcrepantes quarundam vocum extent apud antiquiores interpretationes, par eſſe duco, iis recenſendis ac enucleandis parumper inhærere. Primo quod attinet verba noſtratibus reddita: *Nec unus alterum expellet*, hebraice ואיש אחיו לא ידחקון *veish achiu lo yidchakun*, & a quamplurimis in eandem mentem translata retinentibus cum noſtrat. verbum ſignificatione y) *coarctandi* vel *expellendi*; LXX utuntur voce, quæ ſenſu videtur diſcrepare, reddentes ἕκαστος ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ οὐκ ἀφέξεται,

x) Ut & Abu VValid. y) Vulg. Lat. *coarctabit.* Eandem cum Hebr. vocem habent Chald. & Syr. Verſiones, Lat. reliquæ *prement, urgebunt, impellent*, in eandem ſententiam omnes.

ἀφέξεται, *quilibet non discedet a fratre suo*, quos sequitur Arabica impressa وكل واحد من اخيه لا يهرب & *quisque eorum non fugiet a fratre suo*, i. e. non separabunt se unus ab altero. Quo factum est, ut z) quidam conjecerint, eos loco *yidchakun*, legisse ירחקון *irchakun* cum ר loco ד a רחק *rachak procul esse, distare, recedere.* At fortean non opus esset statuere, aliter eos olim legisse quam hodie adhuc dum legimus, si latiori significatione acciperemus verbum דחק *Dachak*, quam plerumque obtinuit, *premendi* vel *trudendi*, nimirum, qua usus est *Chaldæus* & *Syrus repellendi*, *propellendi*, vel *expellendi*; unde non inepte eam expressisse dixeris per *abstinere*, *fugere*, *ab aliis se secernere*, quod idem est ac propellere a se ipso. Porro quæ proxime sequuntur, *quisque per semitam suam procedent*, & hebraic. גבר במסלתו ילכון *Geber bimsillato jelecun*, tanta eorum apud veteres æque ac recentiores interpretes est discrepantia, ut vix inter se conciliari possint. Prima vox est גבר *Geber*, quæ utplurimum significat virum, qui potentia, robore ac auctoritate pollet, שיש לו גבורה על האישה *qui potestatem habet in fœminam*, uti eam exponit a) *Kimchi*, & proprie dicitur על בני אדם de filiis hominum, quamvis eodem auctore hic tribuatur locustis vel ejusmodi animalculis, quæ ante contulerat cum גבורים *Gibborim* robustis hominibus (*v. 7.*), eodemque modo adhibeatur atque præcedens איש *ish*, *vir*, quo horum quisque in specie denotatur. Altera vox est b) מסלה *Mesillah*, quæ proprie significat *aggestam*, *stratam* vel *tritam viam*, & deducitur a סלל *Salal*, *aggregavit* vel *contumulavit*; attamen nec minus usitata est pro *via* vel *semita*. Quæ cum cognita tritissimaque hujus vocis sit significatio, mirum omnino videtur, quod in Græca translatione hujus nec vestigium nec vola existat. Etenim habet *καταβαρυνόμενοι ἐν τοῖς ὅπλοις αὐτῶν πορεύσονται*, *onerati procedent in suis armis* (vel cum suis armis), quæ hic convenientia cum hebræo? Equidem, ut eas conciliaret, *Capellus* legisse eos, ait, loco גבר *Geber* vir (vel quisque) literis mutatis כבד *Cabed* gravis; At quomodo מסלתו *Mesillato* denotabit *in suis armis*,

 vel

z) Schindl. Capel. a) In rad. b) Drus.

vel quam vocem illius loco eos inveniſſe conjiciet, quæ vel ſpeciem hujus ſignificationis præbeat? Si conjecturis quid promoveri poſſet, forte primam vocem *Geber* eos legiſſe eo modo, quo nunc ſe habet, ſtatuendum eſt; at qua denotat *fortem, magnum* & *robuſtum virum* (quo pacto & alibi eandem vocem reddere ſolent per πολεμιστὴς *vir ſtrenuus)* quam deinde idem valere putaſſe, ac *virum armorum* vel *in armis;* quod autem ad verba ἐν τοῖς ὅπλοις *in armis*, quæ incluſa erant præcedenti voci, eorum loco ſcripſiſſe ἐν ταῖς ὁδοῖς *in viis ſuis*, quæ a librariis poſtea mutata in hac verſione, at non in textu hebraico; niſi magis arrideat pro מכלתו legiſſe משלחו vel משלחתו *mishlacatho in ſua armatura.* Quod equidem non adduco, ut hac ratione omnem difficultatem me expedire mihi videar; verum quia æque multum probabilitatis habet hæc, quam altera conjectura. De cætero cum *Mercero* dicendum: Græcorum lectio *ad Hebræum textum applicari non poteſt, niſi ſenſum eos potius ſecutos dicamus, quaſi etiam graviore armatura induti, non propterea impediantur, quo minus in armis ſuis via ſua vadant.* Quid vero hac ſua interpretatione reſpexerint, non eſt quod divinando adſequi ſatagamus, cum plana ſint, quæ in textu hebraico habentur, quibuscum non tantum noſtra, verum & aliæ interpretationes inſigniter conſpirant, nec præcedentibus aut conſequentibus ullo modo adverſantur. A parte noſtratium inter cæteros, qui hoc commate literæ adhærent, Vulgatus latin. ſtat, cum reddat, *ſinguli in calle ſuo vadent;* ſequenti vero commate longius a noſtratibus abeſt, quam Græca vel ulla alia veterum aut hodiernarum translationum, quod ex ſpecimine, quod ſumus daturi cum ex illa, tum ex aliis, luculenter apparebit. Verba Hebraica ſunt ובעד השלח יפלו לא יבצעו *Ubead haſshelach yppolu lo yibtſau*, apte noſtratibus reddita, & *quando cadunt ſuper enſem* (vel *telum* uti in margine) *non vulnerabuntur.* Latina habet: *& per feneſtras cadent, & non demolientur*, quod Duacenſ. vertunt, *and through the windows they shall fall, and shall not c) demoliſh* (vel *shall take no harm, non contrahent damnum,* uti ad marginem habet). Omnis difficultas ac diſcrepantia ſita eſt in voce *Shelach*, quam noſtrates

c) Satius alii ducunt paſſive verti, shall not be demoliſhed, nor hurt.

ſtrates verterunt *gladium*, ille *feneſtras:* quam ſignificationem cur voci aſſignet, me prorſus latet, cum omnibus æque cognita ac probata ſit ſignificatione *gladii, teli* aut aliorum hujus generis armorum, eaque non ſemel alias in eadem Vulgat. uſitata. Ejusdem notionis eſt Arabicum سلاح *Salaho*, & Chaldaicum שלחא; at nullibi, quod quidem cognoverim, *feneſtrarum* ſignificatione extat. Nec Hieronymus ullam adducit rationem pro hac interpretatione, nec alicujus allegat auctoritatem; attamen differentiam notat, qua vertunt LXX. ἐν βέλεσιν ſuper *tela*, quorum verſionem hoc verſu plane non putat *expoſitionis ordini convenire.* Verum hanc cenſuram magis ſpectare autumo verba præcedentia, quæ jamjam expoſuimus, quam hanc vocem, quam haud impropria, ſed uſitata notione accipiunt, nec adeo erroris argui poſſunt, quantumvis ob id unum fere atro carbone ab eo ſint notati. Quod perperam factum atque difficultati locum fecit, verba ſunt quæ huic adjungunt. Præter antecedentia enim annectunt hic vocabulo βέλεσιν vocem αὐτῶν, *illorum*, quam Hebraicus Textus neſcit, & quæ ſenſum plane invertit; quippe cum ſine hac voce innuatur, caſuros eos vel inſeſſuros armis, quæ adverſus ſe caperentur, cum ea vero ſignificari videas, vel *eos caſuros cum d) ſuis ipſius armis*, quæ tum etiam erigerent, cum alicubi reſiderent aut quieſcerent, quæ *Theodoreti* opinio videtur: vel, alios eſſe caſuros *illorum armis*, quæ eſt *Cyrilli*, quaſi populus cecidiſſet, i. e. fame periiſſet eo, quod terræ fructus alimentaque cetera conſumerent dentibus, quos innui putat per illorum tela vel arma. Nec difficultate carent, quæ ſequuntur לא יבצעו *lo yibtſau*, ab eis reddita καὶ οὐ μὴ συντελεσθῶσι *& non conſumentur.* Quibus *Theodoretus* indicari ſtatuit, non iri expletum eos ea, quam exercerent, crudelitate; & *Cyrillus*, eos (ſcil. populum) nondum futuros immunes noxa æquo animo lata, qua terræ fructus erant affecti, verum & inſuper laturos damnum, quod illorum civitatibus ac domibus eſſent daturi, uti ſequitur. Ex illis totam hanc verſus clauſulam Arabica impreſſa ſic translatam habet ويسقطون في سلاحهم ولا يكملون

jacu-

d) Secus Mercerus, *in ſua ipſorum ruunt jacula.*

jaculisque suis corruent, & rem ad exitum non perducent. Qua ex versione patet eum legisse, quod & in quibusdam exemplaribus extare observatum est, *συντελεσωσι*, active, *perficient*, quam lectionem confirmat Interpres Syrus, qui ejus loco habet ܡܢ ܝܩܪܐ ܕܙܝܢܗܘܢ ܢܦܠܘܢ ܘܠܐ ܢܫܡܠܘܢ ܨܒܝܢܗܘܢ *præ armorum suorum pondere cadent, & rem ad exitum non perducent.* Quocunque vero modo hæ interpretationes inter se conciliari possint, id saltem apparet, quod probandum nobis erat, quam maxime eas distare ab ea, quam nostrates existimant omnium maxime genuinam veritatique congruam, a qua non parum etiam differt Paraphrastes *Chaldæus*, qui posteriorem hujus commatis partem ita reddit גבר בכבישיה אזלין לאתר ראנין שליחין קטלין ולא מקבלין ממון, *singuli per callem suum procedunt ad locum quo missi sunt, e) trucidant* (vel confligunt) *nec recipiunt pecuniam.* Unde non obscure liquet, accepisse eum hanc vocem השלח *Hashelach*, quam plerique vertunt *arma* vel *tela* (solus latinus, *fenestras*) usitata radicis significatione *mittendi*, ac si locum consumerent, quo erant missi, vel *f)* propter quem. Addit illi *trucidant* vel *confligunt*, quod in Hebræo non est, quo additamento in opinionem adductus e *Pet. a Fig.* intellexisse eum hæc verba de inimicis potius quam de locustis. Ultimam denique vocem יבצעו *yebtsau* alia prorsus notione accipit, quam cæteri a nobis adducti interpretes, nimirum, qua significat *pecuniam accipere* eoque innui putat, eos non esse sicut inimicos alios, qui pecunia contenti ære possent prohiberi, cum ei nequaquam inhiarent. Et quamvis recentiores in aliis ut plurimum nostratibus accedant, in eo tamen eorum nonnulli cum Chaldæo sentiunt: quare abs re prorsus non erit, si in hujus vocis significationem parumper inquiramus. In proclivi est diversis significationibus radicem בצע *Batsa* gaudere. 1. Denotat *quæstum facere*, vel *inhiare lucro vel quæstui* ut *Prov.* 1, 27. בוצע בצע *qui deditus est quæstui*, & *Habac.* 2, 9. בוצע בצע רע *cupidus quæstus mali*, atque alibi sæpenumero, eaque ratione hic Chaldæus uti vidimus. *Tigur. nec lucro inhiant.* Alius (apud Vatab.) *nam*

e) Trucidant, utut alii *trucidantur* (Leusd.) vel *trucidabuntur*. Pet. a Fig. *f)* R. Sa-

non studebunt avaritiæ: & apud Calv. *non concupiscent:* MS. Arab. ita ex hebræo transtulit ويرا السلاح يقعون ولا يطمعون *cadent post gladium,* (vel arma) *nec facient quæstum.* (2.) *Perficere* vel ad finem deducere, ut *Esa. 10, 12.* כי יבצע יי ארת כרל מעשהו *cum perfecerit Dominus totum opus suum,* & *Lament. 2,17.* בצע אמרתו *perfecit sermonem suum.* Quo sensu eam accepit Græca, Arabica impressa & Syriaca. (3.) *Concidere, præcidere, vulnerare* &c. sicut *Job. 6. v. 9.* ויבצעני *Vayibtseni* & *concideret me,* & *Esa. 38, 12.* יבצעני *resecturus est me,* & *Amos. 9, 1.* ובצעם *& percute eos* (vel *vulnera eos,* uti ad marginem) & ita cum בצע *Patsa* convenit, (b & p. inter se commutatis) quæ denotat *vulnerare,* quam significationem etiam confirmat *R. Tanchum* ex lingua Arabica, qua بضع *Badaa* significat *concidere, diffindere,* vel *in frusta comminuere,* ut & in *Chaldaica.* Quocirca & apud eum & apud *Abu Walid* hic legimus ينجرحون *non vulnerabuntur.* Quo sensu nostrates quoque cum multis aliis accepisse videmus, quos inter & Vulgatus fortean habendus, quatenus *g) demoliri* quidam interpretantur per *concidere,* ac si diceret, *concident se, vulnerabunt se;* Quod ad verbum, etsi activæ formæ hic sit atque aliis in locis etiam sic usurpatum inveniamus, Kimchi tamen notat esse עומד *Omed, intransitivum,* & significationem habere passivam. Hisce jam diversis significationibus rite traditis, quarum quamque vel eligunt vel alteri præferunt etiam viri magnæ auctoritatis, quis est qui non videt, æquam nobis esse libertatem, parumque referre, quamcunque harum selegerimus, quippe auctoritate nobiscum sentientium non erimus destituti. At si meum quoque judicium interponere liceat, eam præ cæteris maxime perspicuam duco sententiam ac interpretationem, qua acceperunt vocem nostrates & aliorum non pauci, quippe non solum tunc optime accedit indubiæ significationi hebraicæ vocis, sed & apte cohæret cum præcedentibus & consequentibus. Quodque idcirco in medium adduxi, non nisi digressionis loco factum fuisse ingenue faterer, nisi secus me sentire juberet tantorum virorum auctoritas, quibus alia ratione accipere eam

T visum

g) Ribera.

viſum fuit. Verum enim vero quod ad nos,non poſſumus,quin noſtratium in ſententiam eamus, qua ad ſequentia tam directus etiam patet aditus, utpote quibus deſcribitur, quid denique hic exercitus Dei ſit facturus,cujus pertinacia æque ac agilitas in his & præcedentibus verbis tam luculenter erat depicta.

9. Ultro citroque current in civitate: current in muro, conſcendent domos: intrabunt per feneſtras, ſicut fur.

Ultro citroque current &c.) Verbum hoc loco eſt ישקו *yashokku*,nec dubito quin proprie hic ſit redditum,quippe deſcendit a radice שקק *Shakak*, ejusque derivata, uti notat *b) Kimchi*, proprie denotant ההליכה בהתמדה *continuum progreſſum* (vel *continuitatem greſſus*, ut in notis h. l. habet התמדת ההליכה). Ejusdem præterea ſtatuit ille cum *Aben-Ezra* ſignificationis eſſe, atque שוק *Shok crus*, locuſtasque præcipue indigitari,propterea quod crura earum ſint longa & inſuper, quia הולך תמיד ולא ינוח אלא מעט *gradiuntur aſſidue, & non quieſcunt niſi paululum.* At cujuscunque etiam ponderis ſit hoc acumen,quod in hac interpretatione lateat, manifeſtum eſt ſatis ſuperque,hoc verbum ea ratione, qua dictum eſt ante,accipi atque alibi etiam de locuſtis uſurpari,ut *Eſ. 33,4.* כמשק גבים שקק בו quod ex noſtratium interpretatione habet: *ut locuſtæ ultro citroque currunt, ſic curret in eos.* Nec obſcure liquet eo ſignificatu a quamplurimis interpretibus hoc loco accipi, quorum Vulgat. *ingredientur*; alii, *per urbem i) gradientur*, vel *k) per civitatem ambulabunt*, vel *l) in civitate diſcurrent*,vel *m) civitatem percurrent*,vel *per n) civitatem current*, vel *o) urbem pervadent.* Qui certe omnes alia ſignificatione hoc verbum non ſumunt,quibus jure merito etiam accenſeas Interpr. Græc. habentes τῆς πόλεως ἐπιλήψονται, & Arabic. impreſſam horum æmulam يـاخـذون المدينة *occupabunt* vel *contingent civitatem*; vel Syrum ܢܣܩܘܢ ܠܡܕܝܢܬܐ *aſcen-*

---

b) In Not. *i)* Pag. Druſius. *k* Munſt. *l)* Tig. *m)* Jun. Tremel. *n)* Piſc. *o)* Caſt.

ascendent in civitatem & MS. Arab. يعيصون المدينة في *effundent se ipsos* (vel irruent simul) *magna copia in civitatem. R. Tanchum* ידרסין (vel potius ידריסין) *conculcabunt.* Omnium vero longissime a recepta significatione abire videtur Chaldæus Paraphrastes vertendo בקרתא מזרזין *in urbe armantur*, vel *in civitate armati*, vel ut alii distinguunt, *& in civitate armati super murum excurrunt* &c. ac si juxta illum yashakku valeret *armatum esse*, originemque traheret a נשק *armatura.* In diversum etiam abit ab aliis interpretibus *R. S. Jarchi*, quando ait verbum significare השמעת הקול *edere sonum*, nec levis conjectura est, eum hanc vocem ea accepisse hic significatione, qua *Esa. 33* accipi antea vidimus, quam planiorem reddit per נחמם *Nohem, p) clamosum sonum*, quæ interpretatio nulla omnino alia quam ejus unius auctoritate nititur, ut & ea, quam Chaldæus secutus est. Eas tamen nihilo secius videtur approbare *Abarbinel*, illique, cujus mentionem fecimus primo loco, quamque cum alii tum nostrates sequi gavisi sunt, præferre, utramque harum ducens ישרות *rectam.* Nec prorsus latet hujus instituti ratio, quippe hac ratione melius hoc putat congruere iis, de quibus hic sermonem esse putat; non quidem locustis vel hujusmodi aliis creaturis, sed *Babylonius*, qui muris conscensis civitateque occupata triumphalia quidem sua clamore celebrarent, at non gulæ & deliciis sese in præsentiarum dederent, (quod aliis quidem hostibus usu venire solet) *sed se ipsos accingerent ulterioribus pugnis.* Cujus vestigiis insistit *Arias Montanus* in interlin. *urbe crepabunt armis*, cum *Pagninus* verterat, *per urbem incedent. Grotius* vero peculiari ratione: *adversus urbem concrepabunt arma.* Verum non est præter eam, cui nostrates inhærent, quæ magis videatur congruere & his verbis eorumque receptæ significationi, & sequentibus, quibus aperte satis declaratur, quid urbe quadam potiti in quavis ejus parte essent admissuri, nimirum nihil immune ab eorum assultibus futurum, etiam quod vel expugnari vel accedi antea prorsus ἀδύνατον. *Current in muro.* Habetur supra *v. 7. scandent vallum*, hic vero בחומה ירצון *Bachomah yerutsun, current in*

T 2 *vallo,*

p) Ad primam tamen significationem referri potest, si talis intelligatur sonus, qualem cruribus suis edunt, quod Mercero arridet.

vallo, qui ſcilicet eum occupaverant, nulla re exiſtente, quæ prohiberet, quo minus ab uno loco ad alium procederent, atque ita curſum illorum ſiſteret. Quin imo nec domus civitatis ab iis reddentur immunes, *Conſcendent domos*, non erit ulla earum tam alte exſtructa, cujus faſtigium non eſſent conſcenſuri, nec repagula forium tam arcte clauſa, ut ingreſſu eos excluderent; quippe omni aditu excluſi, *intrabunt per feneſtras ſicut fur*. Furum eſt, hoc modo intrare domos, quas inveniunt opeſſulatas, quod tum quotidiana teſtatur experientia, tum quod a Salvatore noſtro prolatum eſt *Joh. 10, 1. Qui non ingreditur per oſtium, ſed aſcendit ex loco alio, ille fur eſt. q)* Cæterum hoc loco non videtur reſpici timor, quo furum inſtar corriperentur, qui his verbis deſcribuntur; ſed declaratur tantum, quod ab ingreſſu nullo modo prohibere eos poſſet, ſive oſtium clauſum, ſive aliquid aliud invadentibus objectum, ſed quod aliam ſtatim intrandi viam reperturi eſſent, non formidantes altitudinem immanem, nec aditu difficilia quæque. Atque ſic ea verba, quibus impavida rerum gerendarum ratio traditur eorum, qui his & præcedentibus verbis intelliguntur, optime quidem ac concinne accommodari poſſunt exercitui imperterrito ac glorioſo, qualis erat *Babyloniorum*, quemque hic innui & alii & in his Abarbinel aſſerit. Verum quod non minus recte hic locus explicari poſſit de locuſtis vel hujusmodi aliis creaturis, quæ Deo ſunt armorum loco, ex eo liquet, quod ſcriptum extat *Exod. 10, 5. 6. quod operient ſuperficiem terræ ita, ut non poſſit quisquam videre terram* &c. & quod *implebunt domos Pharaonis, & domos omnium ſervorum ſuorum, & domos omnium Ægyptiorum* &c. Hinc Hieronymus in h. l. *nihil locuſtis invium eſt*, utpote quæ non tantum occupabant campos, fruges & arbores, verum etiam civitates, domos, interioraque penetrant conclavia. Nec abludit ab eo *Cyrillus*. Et *Theodoretus* in eandem mentem dicit, altitudinem mœnium earum curſum non poſſe remorari, utpote quæ facile tranſcenderent muros atque furum inſtar intrarent domos per feneſtras, quod, inquit ipſe ceu oculatus teſtis, ὐ μόνον ὑπὸ πολεμίων, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ ἀκρίδων r) γεγενημένον πολλάκις ἐθεασάμεθα, non ſolum ab hoſtibus,

q) Merc. Tarn. r) Qua ratione legendum eſſe cenſet Bochartus.

bus, ſed & a locuſtis fieri ſæpe vidimus. Eodem ſpectant etiam ſequentia, quibus ſimul exponitur, quam terribilis futurus ſit earum adventus, quidque ſit exſpectandum ab iis non tantum violentia, ſed & multitudine immane quantum excedentibus.

10. Contremiſcet terra ante eos, cæli trement, ſol & luna obtenebrabuntur, & ſtellæ retrahent ſuum ſplendorem.

רגזה ארץ *Rageza arets*, ad literam, *terra contremuit*, quippe præteriti temporis eſt hoc verbum & quæ ſequuntur, eoque modo a quibusdam verſa: Sic Vulgatus Latin. *Contremuit terra, moti ſunt cœli, ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*, qui tempore præterito omnia protulit, quod & factum invenis in Paraphraſi Chaldaica, in Verſione Syriaca & MS. Arab. nec non in quibusdam verſionibus recentioribus, quarum non poſtrema Interlinear. *Movit ſe terra* &c. Munſt. *contremuit terra, & commoti ſunt cœli* &c. Druſ. *commota eſt terra.* Non deſunt autem, *s)* qui ea præſenti tempore reddunt, *contremiſcit terra*, &c. in quibus etiam *Mercerus* eſt, quamvis in Chaldaica verſione, quam transfert, non aliud tempus extet, quam in textu hebraico. E contrario *futuro* quoque *tempore* non *t)* pauci ſunt qui ea efferunt, quos etiam ſequi noſtrates juvat. Atque ſic eos recte facere nullum eſt dubium; quippe hoc Prophetis non infrequens eſt atque inuſitatum, præterito efferre, quod adhuc futurum eſt, idque ideo, quod a Deo determinata atque dicta æque certa ſint, ac ſi eſſent jamjam facta. Quocirca parum refert, quo tempore verba interpreteris in rebus ad prophetias ſpectantibus, quales hoc loco ſunt, etſi forma eorum potiſſimum videatur præteritum requirere. Magis hic habenda ratio eſt rei, quam formæ, atque ad illam præcipue, non ad hanc tempus eſt accommodandum. Atque ita quam facillime hæc expediri poſſunt. Verum majoris momenti quæſtio eſt, quo ſenſu hæc verba ſint ſumenda, utrum ſignificatione propria, qua revera foret, ut terra contremi-

s) Tig. Caſtal. *t)* Pag. *movebit.* Jun. Trem. *movebitur* &c.

tremisceret, cœli tremerent, & sol & luna obtenebrarentur &c. an figurata, qua aliud quid significaretur, quam verba primo aspectu ac proprie videntur suggerere. Etenim non levis, quæ hac de re agitatur penes interpretes, est controversia. Quidam proprie ea accipere volunt prout sonant, atque in hanc sententiam inclinare videtur *Theodoretus*, cui admodum probabilis est propria verborum denotatio, licet ingenue fateatur, alio quoque haud incommodo posse accipi sensu. At cæteris quibuscunque significationibus explosis, in eo totus est *Arias Montanus*, ut omnem hinc procul removeat hyperbolen, qua indicari dicunt, homines tantummodo ob exercitum prædictum, (per quem sive locustas, sive Assyrios, quod postremum tamen probabilius videtur, intelligat, nequicquam plane refert) tanto affectum iri metu, ut terra illis videretur tremere, cœlum concuti, atque sol & luna obtenebrari, quod loquendi genus Poetis familiare est ad magnum cum hominum terrorem, tum aliarum rerum perturbationem exprimendam. Id enim ait a Propheta jam esse traditum *v. 6. A conspectu eorum populus multum dolebit: omnes facies contrahent nigrorem.* Sed quæcunque hic proferuntur, *simpliciter expectanda* putat non secus atque ea, quibus prædicitur *u) Luc. 21, 25. Signa fore in sole & luna & stellis.* Eandem quoque sententiam videtur amplecti *Drusius*, quando cum locustis simul tonitru contremuisse statuit cœlum, terræque motu concussam terram, quibus manifestum fieret atque indubitatum, exercitum hunc tot atque tantis prodigiis insignem nonnisi a Deo immitti; vel ut tanto majorem injiceret timorem populo profano, quo a peccatis eum deterreret, atque ad seriam perduceret pœnitentiam. Verum non obstant rationes, quotquot etiam pro literali sensu adferuntur, quin aliis ea sententia arrideat, quam rejicit *Montanus*; nimirum hyperbolica ratione esse prolata, quæ hic inveniuntur, non qua ad literam ea erant futura, sed qua ita afficiebantur homines, ut, quæ rara erant ac communem rerum rationem & ordinem excedebant, sibi imaginarentur, ac si revera ita se haberent. Atque hæc erat olim mens Hieronymi, *non quod locustarum aut hostium tanta vis sit, ut possit movere cœlos, & terram*

num-

u) Vide sis Matth. 24, 29.

concutere, ſed quod *adverſa patientibus præ terroris magnitudine & cœlum ruere & terra fluctuare videantur.* *Denique* (quod ad verba ultima) *præ multitudine locuſtarum obtegentium cœlum, ſol & luna convertentur in tenebras & ſtellæ retrahent lumen ſuum: nimirum, dum lumen nubes locuſtarum in medio poſita ad terram non ſinit pervenire.* Sic ea ille explicat, ad eundem fere modum ut *Theodoretus*, iis tantum exceptis, quæ ante notavimus. Nec *Cyrillus* multum videtur abludere, cum omnia ita perturbata fore a locuſtis putet, *ὡς ἤδη δοκεῖν καὶ αὐτὸν δεδονῆσθαι τὸν οὐρανὸν* &c. *ut jam & ipſum cœlum concuti videatur, & ſol ac luna atque etiam ſtellæ ſuum lumen quaſi inhibere*, cui etiam hic eſt *ὑπερβολικὸς ὁ λόγος* *hyperbolica locutio* intolerabilem dolorumque refertam calamitatem indicans. Quam etiam veram pronunciat, etiamſi de hominum exercitu eam accipias. Eodem videntur etiam reſpicere Commentatores Judaici, quorum *Kimchi* dicit הכל משל לרוב הצרה כי כן דרך הכתוב *omnia parabolice* (vel figurate) *ſignificare gravitatem afflictionis.* Hunc eſſe morem Scripturæ loquendi, ut *Eſa. 13, 10. Stellæ cœlorum & ſidera eorum non facient, ut luceat lux ſua, tenebroſus erit ſol ab exortu ſuo, & luna ſplendidam non edet lucem ſuam,* & *x)* alibi. In eandem etiam mentem *Abarbinel*, cum verbis *contremiſcet terra* innui velit, fore, ut incolæ regionis *Judæ* ea de cauſa contremiſcant, atque לרוב הצרה ratione afflictionis ingentis dici, *cœli tremunt, ſol & luna obtenebrantur & ſtellæ retrahunt ſuum ſplendorem* שהוא כלו משל לצרות בני יהודה *quod omne parabolica expresſio ſit calamitatum Judæorum*, non ſecus ac ea, quibus Salomon utitur ad accidentalia illa deſignanda, quibus obruitur homo multis annis gravis (vel ſenectus *y)* עד אשר לא תחשך השמש *dum non obtenebreſcit ſol.* Ita ut præcipue *z)* ſpectet populum atque inhabitatores terræ, quicquid malorum vel adventus iſtiusmodi nubis locuſtarum, ut *Kimchi*, vel exercitus Babyloniorum, ut vult Abarbinel, erat illaturus. Illi enim curſu cœlorum imperturbato ac lumine ſolis, lunæ & ſtellarum grato hactenus inſigniter gaviſi adeo confuſione obruti ſunt, ut nihil non ipſis

---

x) Ezech. 24, 29. *y)* Eccleſ. 12, 2 quem etiam allegat Aben-Ezra. *z)* Aben-Ezra. רגשו אנשי ארץ Tremunt homines terræ.

ipsis conturbatum, nihil non prioris sueti ordinis expers visum sit, nec illis ipsis exceptis, quæ ordine suo omnibus aliis prælucent. Addit tamen idem *Abarbinel* sequentia verba *cæli tremunt* &c. ad literam posse intelligi, atque indicare putat, cœlos vires suas malignas in *Israelem* exserturos, cum ita Deum provocasset, ut merito faciem suam ab eo averteret. Placet quoque hæc parabolica sive hyperbolica verborum expositio quibusdam, ne dicam plurimis, recentioribus inter Christianos interpretibus, sive de locustis, sive de hostibus ea cæteroquin intelligant. Omnes enim eo redeunt, magnum hominum indicari motum, agitationesque animorum incitatas sive locustarum nube aerem contegentium, cœlosque obscurantium, sive multitudine atque ingenti tumultu hostium obvia quæque miscentium & in confusionem redigentium, ita ut omnia ipsis adeo viderentur confusa ac perturbata, ac si ea ipsa revera facta essent, quæ hic ad literam consignantur. Hinc *Drusius*, quamvis in diversum eum abire toto hoc versu antea viderimus, tamen ad ultima verba notat: *ita videtur metu consternatis.* Citat quoque illum locum, quo illis, qui senio caligant, dicitur sol, lux & luna caligare obscurarique, *Eccles. 12, 2.*

Verum restat adhuc alia horum verborum interpretatio, qua nonnulli ea quidem per allegoriam dicta esse putant, sed volunt per *terram* intelligi homines, vel res inferioris conditionis, vel communis ordinis; per *solem, lunam & stellas*, qui insigniores sunt conditionis; per prædicata vero, quæ horum cuique assignantur, nimirum *contremiscet, trement, & retrahent suum splendorem*, illum ingentem pavorem atque calamitates, quibus quisque pro sua conditione atque statu erat corripiendus, cum ab hujus ignis ferocitate nihil quicquam immune foret. Nec desunt *a)* qui hanc interpretandi rationem approbant, quos inter & D. Stokius est in sua Paraphrasi, cujus verba „hic apponere haud supervacaneum reor: Potest per terræ motus „horrendos effectus intelligi pavor plebejorum & qui sunt ex fæce „populi; per cœlorum superiorumque virium tremorem ruinam nobilium;

a) Oecolamp. Danæus, omnibus rebus eum pavorem denuntiat futurum Joel cum minimis, quæ terræ nomine designantur, tum etiam maximis ac eminentissimis, quæ solis, lunæ ac stellarum vocabulis hic comprehenduntur.

bilium; triſtis confuſio omnium ordinū ac legum (quæ ſe invicem“ ſequuntur) per ſolis atque lunæ obtenebrationem, nec non per“ ſtellas, quæ ſplendorem ſuum conſuetum retrahunt; in terrorem“ tam omnium ſpectatorum, quam harum inprimis illuſtrium perſo-“ narum, quas potiſſimum hæc calamitas ſpectat. Quomodocunque“ vero hæc allegoria etiam poſſit probabilis reddi, imo, etiamſi de rei veritate nemini queat ſubire dubitatio; tamen hanc ſententiam huic loco tam apte non congruere, quam priorem, omnino perſuaſum... perctum habeo, qua ſcilicet hyperbolice ſumuntur verba, eaque, quæ minus ordinaria ſunt in ſuo genere, talibus terminis concipiuntur, quæ rebus ſublimioris naturæ proprie conveniunt. Mira certe res eſt, fateor, idque libenter, talia malorum inſtrumenta, ſive locuſtas, ſive hoſtes fortiſſimos inter homines juxta quoſdam intelligas, tam terribilia, ut verba habent, eſſe effectura; verum omnis mirandi occaſio protinus evaneſcet, ſi probe intellexerimus, quomodo & a quo hoc oneris ipſis ſit impoſitum, cujusque viribus ac juſſu, quicquid effecerunt, perpetraverint, quod ex ſequentibus verbis pluribus videre eſt.

11. Et Dominus edet vocem ſuam ante exercitum ſuum: Nam campus ejus eſt valde amplus: Nam fortis eſt qui exſequitur ſuum verbum, nam dies Domini eſt magnus & valde terribilis, & quis poteſt eum ſuſtinere?

Variæ hic iterum horum verborum ſunt interpretationes, at in eundem ſcopum, quotquot ſunt, unanimi conſenſu collineant. Et Dominus, inquit, נתן קולו *Natan kolo edet ſuam vocem*, ad literam, *dedit* vel edidit *ſuam vocem*, quippe verbum temporis præteriti eſt, eaque forma a quamplurimis redditum. In quibus Vulgat. *Et Dominus dedit vocem ſuam.* Sic multi alii tum antiquiores, tum recentiores, ut Syrus ܝܗܒ ܩܠܗ yahab koleh, *dedit ſuam vocem* (utut latinus interpres reddat *dabit*) Chaldæus

ארים מימריה *levavit verbum ſuum*, quo cum convenit MS. Arabicum رفع صوته *levavit vocem ſuam.* Ita quoque ex recentioribus *Interlinear.* & *Munſt.* &c. At tempore futuro LXX. καὶ κύριος δώσει φωνὴν αὐτοῦ, quorum veſtigia premit Arab. impreſſa الرب يعطي صوته & *Dominus dabit ſuam vocem*, nec non alii *b)* recentiorum, quibus cum faciunt noſtrates reddendo *edet*, locoque futuri hic poſitum eſſe tempus præteritum *c)* quibusdam obſervatum eſt. *d)* Sunt etiam quibus præſenti tempore exponere complacitum fuit, *edit vocem ſuam*, vel *ſonitum edit.* Atqui non eſt horum quisquam, qui linguæ uſu interpretationem ſuam non tueatur, quo, ut nosmet ipſi jam *e)* ante annotavimus, indiſcriminatim hoc tempore utuntur Prophetæ de rebus vel præſentibus, vel futuris, vel etiam præteritis, ad denotandum illarum certitudinem ac neceſſitatem, ita ut loquendi formæ nihil præjudicet, ſive hoc judicium locuſtas aliasque ſupra memoratas beſtiolas immiſſas jamjam orſum fuiſſe, vel adhucdum denunciatum tantum dixeris. Junius & Tremellius nihil hic definiunt, cum temporibus omnibus poſthabitis per participium efferunt, quod ei congruit tempori, cui adjungitur. *Jehova autem edente vocem ſuam ante copias ſuas* &c. *et quis ſuſtinebit eum?* Verum nullius ferme momenti eſt hæc differentia præ illa, quam invenimus apud interpretes circa verba: *vocem ſuam*, quando dicitur: *Dominus edet vocem ſuam ante exercitum ſuum.* Quid hic per *vocem ſuam* intelligendum ſit, *) Judæorum quorundam opiniones, quas primo loco adducimus, inprimis audiendæ ſunt, quibus per *vocem* Domini intelligunt *verbum* Domini ori Prophetarum ſuorum inditum, ut judicii gravitatem prædicerent, ac ſi ſignificaretur, hæc omnia ipſis ex improviſo & fortuito non accidere, ſed de quibus ſatis ſuperque a Prophetis eſſent præmoniti, ut ea ratione non cunctarentur ad frugem redire. At hanc interpretationem horum alius (Aben-Ezra) dicit איננו על דרך הלשון *non eſſe juxta rationem linguæ.* Hinc per Vocem intelligit *a) ſonum magnum*, quem,

Deo

b) Pagnin. *c)* Vatab. Piſc. *d)* Tig. Merc. Caſtal. *e)* Vide notas in c. 1. v. 4. & præcedentem verſ. *) R. Salom. R. D. Kimchi, Abarbinel. *a)* Verſ. 1.

Deo sic dirigente, executores judiciorum excitabant,ut non inhabitatores terræ tantum,verum & ipsa terra,eo tremescerent, & quo *b)* alius alii animum addebat in *c)* rite exsequendis & obeundis muniis, quæ a Deo erant imposita. Verum harum sententiarum priorem nimis frigidam censet Mercerus, posteriorem, quæ est Aben-Ezræ, *longe aliениorem*. Sequuntur itaque *d)* Christiani iique potissimum, qui per *vocem suam* intelligi volunt tonitru, quo adventus illorum præsentiæ suæ indicandæ causa,metusque faciendi in hominibus erat conjunctus. Quod enim vox Domini alias tonitru denotet, perquam notum est ex *Psal. 18,13.* & *29,5.* &c. Quod tamen aliis non probatur, utpote qui haud necessarium ducunt,tam gravem auresque tam acriter serientem vocem subintelligi, sed ordinem Dei,quo agmen suum vel campum, ut ipse ait,admirandum in modum armabat alacritate atque animo ei addito, ut voluntatem atque jussum ipsius rite obiret & exsequeretur, quod interdum *e)* plus animi addit, quam vox imperatoris milites hortantis. Atque sic faciendo probaret, ad neminem alium,quam ad se,spectaturas has copias,talique ordinis ratione ob campi magnitudinem & numerum opus fore, ut singuli ordinem suum servarent munusque suum præstarent, quod pro irresistibili vi ac pertinacia erant præstituri. *Nam fortis est qui exsequitur suum verbum*, i. e. qui verbi sui exsequendi eos dedit ministros atque hoc onus illis imposuit,is etiam instruet eos virtute atque potentia,ut nihil tam forte,nihil tam firmum futurum sit, quod eos vel cohibeat vel remoretur in mandatis ejus obeundis. Quocirca non difficile intellectu est, quanta essent obruendi calamitate,quorum in perniciem tantus exercitus erat instructus. *Nam dies Domini est magnus & valde terribilis,& quis potest eum sustinere? Dies Domini*] *f)* Quo se ipsum manifestum reddet exercendo hujusmodi judicium in suos hostes,extraordinarius erit dies, isque valde terribilis propter calamitatem, quam per vindictæ suæ instrumenta Deus erat immissurus,ita ut *nihil eum posset sustinere*. Proferendi ratio

U 2 sit

---

b) Vers. 10. *c)* Drus. *d)* Livel. Drus. *e)* Merc. *f)* Ita etiam appellatur supra cap. 1,15. Hinc talem diem ita vocari notat Maimonides, quo Dominus manifestat liberationem insignem aut executionem, eumque in finem hunc locum citat M. S. part. 2, c. 29.

sit per quæstionem, *quis sustinebit?* qua protinus negatur in rerum natura esse, quod id facere queat. Omni doctrina ac eruditione conspicuus *Bochartus* reddit: *Dominus dedit vocem suam ante exercitum suum, ut magna sint castra ejus & multus sit* &c. Nam dies Domini est magnus & valde terribilis, & quis potest eum sustinere? Quæ ita explicat: *Dominus verbo suo f) multas conscripsit copias, ut grave in peccatores judicium exerceat, quodque nemo sustinere possit.* Atque ea ipsi videtur sententia Prophetæ, *quamvis interpretes longe aliter sentiant.* Quemadmodum vero in prioribus variantium ac discrepantium interpretationum ratio habita est, ita earundem habebimus etiam in sequentibus. Ubi enim nostrates habent: *Nam fortis est qui exsequitur suum verbum.* Vulgat. reddit, *quia* (scil. castra ejus) *fortia & facientia verbum ejus.* Græce: ὅτι ἰσχυρὰ ἔργα λόγων αὐτοῦ, *quia opera verborum suorum sunt fortia*, ut & Syriac. & Arabic. ܘܥܫܝܢ ܥܒ̈ܕܐ ܕܡܠܬܗ *& forte est opus verbi sui*, nec non Arab. impress. اعمال كلماته قوية sed MS. Arab. عظيم فاعل خطابه *Magnus vel fortis est qui facit suum verbum*, pariter ut nostrates. At hujusmodi non sunt istæ differentiæ, ut sensui vel minimam possint inducere variationem, quippe omnes eo tendunt, Prophetam illos hisce excitare velle, ut mente perciperent instans conditionis suæ periculum, crederentque certo futura esse, quæ tamdiu in prophetia sua minatus erat, judicia gravia, nisi ab ipsis prævenirentur, nec illorum propriis viribus posse præveniri, instrumentis licet exilibus ac cæteroquin facile repellendis a DEO adhibitis, quippe quæ non sua sponte agerent, sed jussu divino, qui hanc provinciam ipsis imposuerit, atque ejus virtute, cui resisti non posset: hinc nullam aliam evadendi adventus illorum terrorem restare viam, quam propositum redeundi cum DEO in gratiam pœnitentia seria, quo uno fortean moveri posset, ut mandatum revocaret, pœnæque ac calamitatis eum pœniteret, quam ipsis infligere constituerat. Atque ex præcedentibus verbis ut luculenter

f) Et numero & robore fortes dici posse, vel multos fuisse qui verbum ejus exsequerentur, Drusius observat.

ter apparet, quam necessarium sit hanc inire viam; ita in sequentibus ad eam eos adhortatur haud sine magna spe boni successus.

12. Quocirca ita nunc, inquit Dominus, convertimini omnino ad me toto corde vestro, & jejunio, & fletu, & planctu.

וגם עתה נאם יהוה שבו ad literam: *Nunc ergo dictum Jehovæ, convertimini.* De constructione horum verborum notat Drusius particulas, *nunc ergo*, non esse conjungendas cum verbo *convertimini*, ac si dictum esset: Dominus dicit, *nunc ergo*, (vel jam tamen) convertimini; sed cum *Dominus inquit*, ita ut sonent: *Dominus nunc ergo dicit, convertimini ad me:* Sicut antea quam sæpissime per Prophetas eos vocaverat, ita *etiam nunc, jam adhuc*, eos vocat, ut convertantur. *g)* Aliis tamen altera constructio arridet magis, qua dictum putant a Domino: *jam demum convertimini ad me;* nec admodum magni refert, utri harum assentiaris; quippe utraque indicat, hujus generis quamvis essent judicia hactenus descripta ac denunciata, ut iis resistendis vel perferendis incolæ terræ nequaquam forent pares, atque ideo res ipsorum ad incitas plane viderentur redactæ; attamen spei locum adhuc superesse, quam ferventissimas etiam inter minas ipse DEus fecerat, invitando eos atque vocando, ut ea, quæ sibi horrenda pariter ac divina vindicta digna provocaverant, vel futura prævenirent, vel præsentia longe a se averruncarent. Cui vero ætati hæc vocatio maxime congruat, *Abarbinel* ausus est determinare, cum ad istud tempus præcipue spectare dicat, quod delapsum est primo templo devastato atque Judæis in *Babylonia* captivis, *b)* rationemque hic haberi liberationis ex captivitate posteriorisque templi ædificationis, ac si diceret: etsi ad frugem prius redire noluistis, quam ea omnia vos misere corripuerunt; attamen & nunc post hanc destructionem ac captivitatem dicit vobis DEus, *convertimini.* Quo

---

g) Tamen si vel nunc saltem resipueritis &c. LIV. D. Stok. *Etiam in hoc ipso temporis articulo spem veniæ restare clamitat.* TARNOV. *b)* הזה רמז לפקידת כורש שני.

cum facere videtur *Arias Montanus*, quando dicit: *In hoc loco divina illi Judaicarum rerum restitutio prædicitur, quæ post certos annos, hoc est septuaginta, contigit;* quod DEus ita effecit, ut sartam tectam servaret hanc nationem, ex qua magnus ille totius mundi redemtor erat progressurus; cum vero jus fasque non esset, in homines fide atque pœnitentia cassos maxima a DEO conferri beneficia, *etiam hoc tempore & in hac conditione constitutos Judæos* hortatur, ut hunc in finem sese converterent. At sibi ipsis eam interpretandi rationem peculiarem, per me licet, reservent. Sunt alii, qui, præterquam quod judiciorum divinorum, nobis approbantibus, constituant executores dictas locustas atque cæteras bestiolas, ut supra vidimus, his verbis tantum præscribi putant rationem illarum ingressum vel præveniendi, vel jamjam ingressas removendi. Nec in contrarium eunt hic quicquam, qui ab hostibus id omne factitatum censent. Ea vero ratio atque præveniendi via nulla alia erat, quam talis resipiscentia, cujus his verbis depingitur natura ac conditiones, quæ ex ulteriori verborum inspectione & ordine clarius patebunt. *Convertimini*, inquit, *ad me*. Quod secuti erant, quodq; adhuc sequebantur vitæ institutum, hujusmodi fuisse videtur, quod a Deo eos abalienabat, atq; efficiebat, ut præsentia sua gratiosa eos non amplius dignaretur, sed prædicta illis mala minarĕtur, vel immitteret, ut sentirent, quam necessario esset vitæ ratio mutanda, atq; ab his viis recedendum, ut ad eum sese converterent, & ad ea quæ ei placerent; עדי *ad me*, inquit, id est, secundum Chald. לפולחני *sepulchrum, ad meum* cultum, ac si cultum ejus abnegassent, aliis sese mancipantes, vel idolis, vel peccatis, vel utrisque simul, a quibus etiam necessario erat recedendum, si ea, qua par erat, ratione ad DEum sese convertere vellent, qui clamat ad eos: *Convertimini ad me*, עדי *Adai, even ad me, omnino ad me*, quæ particula *even sive omnino* nostratibus peculiaris est, atque in interpretatione addita, ut magnam illam emphasin exprimerent, quæ in voce latet, pro designando resipiscentiæ modo, quæ requirebatur; quippe talis esse debebat, ut non solum ad eum retrorsum respicerent, sed ut venirent protinus vel *omnino ad eum*, ea scilicet qua fas erat animi integritate ac sinceritate, ut ex sequentibus apparet בכל לבבכם *toto*

corde

corde vestro. Corde id faciendum erat, non externo tantum indicio, sed interno affectu eoque totius cordis שלא תהיה התשובה בלב ולב (inquit Kimchi) *ita ut non sit pœnitentia cum (vel ex) corde & corde*, non *i)* duplici ac fraudulento corde, non corde diviso inter DEum & illorum idola, vel alia peccata, quod, licet conversionis ad DEum aliquam præ se ferat speciem, aliis tamen rebus adhuc delectatur, quæ ita illud occupant, ut DEus pariter cum iis nequaquam diligi atque coli possit. Atque hoc idem est, quod ad amorem ac cultum DEI quam maxime requiritur, ut fiat ex toto nostro corde, ex toto nostro animo, & ex totis nostris viribus *Deut. 6,5. k)* Additur ex tota nostra cogitatione, *Marc. 12,30.* ubi istud a Salvatore nostro repetitur primum atque maximum mandatum, quo sine cætera rite observari non possunt. Opus autem ad id perficiendum inprimis est corde, quod, cum omnia unum movere ac dirigere debeat, manifestum est, eo deficiente, omnia exterioris hominis esse insufficientia & vana, imo maxime DEO odiosa. Hinc omnium illud primum exigit in resipiscentia, ut animo interno fiat. Quod demum omni ex parte perfectum sequi etiam debent externa, utpote quæ nequaquam sunt negligenda, sed ita juxta normam, quam habent, reformanda, ut vel hinc appareat quomodo interna habeant; quippe his denique junctis omnis resipiscentiæ ratio expletur. Hinc, posteaquam tradiderat, qua ratione cordis totius intima constituta esse deberent, ad exteriora progreditur, quæ, quibus signis rite constituta sese deberent prodere, his verbis indicat: *& jejunio, & fletu, & planctu.* (1.) *Jejunio*, quo humilis redditur animus, cum e contrario nimium curando cuticulam inflatur atque inhibetur, quo minus suæ conditionis cultusque divini sit memor. Exemplo sit *Jesurun, qui saginatus ac pinguis recalcitravit, & Deum deseruit, qui eum fecerat, & vilipendit rupem salutis suæ, Deut. 32,15.* Atque ideo utplurimum illud conjungitur in S. literis cum cultus divini studio ac precibus, quibus illud necessario accedere debet & a DEO mandatum, & a sanctis nullo non tempore observatum. (2.) *Et fletu & planctu,*

i) Psal. 12, 3. 1. Chron. 12, 38. k) Matth. 22, 37.

planctu, quæ etiam communiter ſigna ſunt, quibus animus gravi dolore ac triſtitia obrutus ſeſe prodit ac affectus eos exprimunt, qui iis accenſi ulterius procedendo cæteras etiam paſſiones excitant doloremque magis magisque augent, atque *l*) ita in ipſam perſonam operantur, cujus non tantum reſipiſcentiam, verum & indicia ejus non levia promovent. Ut jam ſilentio prætercam, quam habeant vim in aliis ſimiles affectus excitandi atque ad pœnitentiam provocandi, quod inprimis maximo uſui eſt in cœtibus publicis, ac diebus reſipiſcentiæ cauſa publice indictis, quales hic fuiſſe videntur, quo tempore admirandum certe in modum devotionem promovet, cum *m*) exemplo ſuo alter alterum provocet. Quare optime de his *Arias Montanus*: *Hæc enim ſi pure ſanctèque fiant, non quidem converſio ipſa, ſed laudatiſſima ſunt converſionis argumenta.* Quæ quibus porro requiſitis gaudere debeat, ut ratam eam habeat DEus, ex ſequentibus apparet.

13. Et ſcindite cor veſtrum & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum DEum veſtrum; quia benignus eſt & miſericors, tardus ad iram & multæ miſericordiæ, & pœnitens ſuper malo.

Judæis olim, ut de aliis gentibus jam nihil attingam, ſolenne fuiſſe in teſtimonium magnæ indignationis, mœroris ac doloris animi ſcindere veſtes, tot loquendi formulis ac Sacrarum literarum exemplis manifeſtum eſt, ut omni prorſus opera vel unum exemplum adducendi ſuperſedere poſſimus. Quod cum adeo in conſuetudinem abiiſſet, non eſt dubium, quin ratione fucoſa & in ſpeciem adhibita æque id factum ſit ac ſincera, multique indicia mœroris quidem ediderint, at a veritate rei quam maxime nonnunquam abhorrentia. Quapropter ad veram ſinceramque reſipiſcentiam eos hic adhortatur Propheta, ut non intime tantum compungerentur atque propter nefas admiſſum ſummo dolore afficerentur, verum ut hujus rei etiam ederent ſigna atque indicia omni fuco carentia, ad[illegible]

ſimul

l) Lament. 5, 1. *Oculus meus afficit meum cor.* *m*) Kimchi.

simul cautione contra hypocriseos malum, ipsos scilicet sibi maxime imposituros esse, cum DEum fallere conarentur. Quibus equidem horum externorum rituum usu illis adeo non interdicit resipiscentiæ suæ testandæ satis aptorum, ut potius eos quam maxime videatur requirere eo, quod ad illos ipse eos invitare haud gravetur. Unde luculenter patet, his in verbis non latere eorum interdictum, sed mandatum, ut recte riteque fierent, nimirum, non ad ostentationem vanam speciemque externam, sed ut essent conjuncti cum interno affectu, ingenuaque cordis intentione, quod hic significat *cor scindere, non vestimenta* (scilicet) solum. Obvium est cuique primo etiam intuitu, quid sit *vestimenta scindere*, cum verba sint clara atque perspicua: at difficilius explicatu est, quid sibi velint verba, *corda scindere*, cum figurata sint atque aliquid indicent, quod verba proprie non complectuntur. Etenim hic innui tale quid, quod ad emendandum corrigendumque conducit animum, non autem ad destruendum, ut verba habent, quivis videre potest. Quare cum opponantur sibi invicem cordis ac vestimentorum scissio, per *cordis scissionem* requiri mihi videtur talis cordis status atque conditio, qualem vestimenta scissa indicare solebant, nimirum *acerbissimus ob commissa peccata sua dolor*, cum ardentissimo veniæ & absolutionis desiderio conjunctus, quo cum cor revera est affectum, vocatur *cor n) fractum ac contritum*, aut, quod ad textum nostrum alludit, cor scissum & laceratum; quæ loquendi ratio etiam aliis linguis familiaris est, quibus ea quæ graviter affligunt, alicujus animum pungere, vel quempiam usque ad intima cordis ferire dicuntur. In eandem sententiam redduntur hæc verba a Paraphraste Chaldaico ואעדו רשׁע לבכון *& auferte* (vel abjicite) *impietatem cordis vestri*; ea sub cordis nomine complectente, quæ in corde resident vel ex eo potissimum procedunt, *&* (id) *non cum dilaceratione vestimentorum vestrorum* (scil. solummodo). *o)* Sunt qui lucem affundere conantur huic phrasi *scindite cor vestrum*, quatenus cum alia eam *p)* comparant, quæ est *Deut. 10, 16. Circumcide-*

n) Psal. 51, 17. *o)* Kimchi ita sensum concipit: Si laceraveritis cor vestrum, & ab eo malam omnem cogitationem absolveritis, non necesse habebitis scindere vestes vestras, ut homo scindit vestes tempore afflictionis & angustiæ. *p)* Aben-Ezra.

tis præputium cordis vestri, quod de ſubſtantia vel materiali quadam cordis parte accipi non poteſt, ſed de removendis ejus corruptis qualitatibus, nec non de ejus ſtoliditate atque craſſitie, ut habet eo loco *Chaldæus*. Id enim ſeriæ tandem reſipiſcentiæ indicium eſt atque opus, quo ſine, quæcunque demum vel carnis, vel veſtimentorum, vel exterioris hominis extiterint ſigna, vana eſſe atque nullius uſus merito dixeris; cum e contrario incredibile, quantum conjuncta cum ea conducant tum ad alios ad eandem excitandum, tum ad genuinum ejus exinde petendum teſtimonium. Et quemadmodum illa *circumciſio ſine manibus* vocatur *Col. 2,11.* ita & hic cordis ſciſſio ſine manibus efficitur, quarum utraque eſt *in ſpiritu, non litera*, ut de altera loquitur *Rom. 2,29.* atque conſiſtit in exuendo *corpore peccatorum carnis, Col. 2,11.* Atque adeo vere pœnitentis cordis nullum officium eſt majus, quam omnia ea peccata protinus excutere, quibus hactenus adeo aſſuetum erat, ut in naturam abierint & ſic veluti pars reddita ſint. Hinc quoque eſt, ut Judæos haud deſperare jubeat Propheta, quaſi melioris fortunæ ſpei non eſſet locus, ſed ad DEum ſuum converti, miſericordiamque ejus humiliter implorare, ſi hunc in modum atque finem omnes occultiſſimos cordis ſui receſſus, quaſi dilacerando ac refricando, diligenti ac ſedula inquiſitione ſcrutati fuiſſent, omnia ejus abominanda detexiſſent, lacrymis & reſipiſcentia infucata abluiſſent, iisque in poſterum plane abſtinere decreviſſent, quamvis adeo prioribus Deum provocaſſent peccatis, ut vix revocari poſſe viderentur ſæviſſima ſupplicia, quæ immittere plus ſemel antea iis minatus fuerat. *Et convertimini* (inquit) *ad Dominum Deum veſtrum.* Eadem occurrit adhortatio in præcedenti verſu, ea tantum differentia, quod ibi ex ipſius DEI ore procedat ac ſub ejus ipſius perſona dicatur, *convertimini ad me;* cum hoc loco ex ore Prophetæ procedant verba, quibus ita de DEO loquitur, ut ſimul addat, quæ poterant in illis excitare *q) audaciam & confidentiam eum conveniendi*, cui appropinquare alias veriti fuiſſent, ejusque de gratia deſperaſſent, haud neſcii quantopere eum irritaſſent, quibusque terribilibus minis ac judiciis ſeſe illis per Prophetam ſuum revelaſſet. Nomina, quibus

q) Epheſ. 3, 12.

bus hic appellatur יהוה & *Elohim*, docent eum esse DEum & *r) judicii & gratiæ*, neque misericordiæ neque condonationis limites habentem. In priore iis sese exhibuerat. Quare ut posterius, scilicet gratiæ ejus in illos voluntas, sat superque etiam constaret, additur affixum כם *hem vestrum*, quo sibi eos adhuc tanquam proprium suum populum vindicat, seq; ipsum *illorum Deum* vocat. Etenim omni prorsus vacat dubio, DEum nequaquam eum deserturum esse, quem sibi adhuc tanquam proprium asserit. At pluribus hoc declaratur, amplificatur ac confirmatur per alia epitheta ac proprietates, quæ rationis loco subjunguntur, ne ad eum converti vel ullum dubium vel moram nectant, nimirum, quia *benignus est ac misericors*. Conveniunt hæc attributa DEI cum illis, quibus nomen suum volebat esse cognitum *Exod. 34, 6.* Eadem quippe ibi inveniuntur verba priora, nec differunt nisi ordine, quæ initio sunt posita duo, quamvis a nostratibus diversimode reddantur. Ibi enim habent: *misericors & benignus, longanimis & abundans probitate & fide*; hic vero: *benignus & misericors, tardus ad iram & multæ misericordiæ*. Quod, cum ita visum fuerit nostratibus, quamvis ovum ovo non adeo simile sit, quam verba utriusque hujus loci in textu hebraico, hunc in finem id factum esse dixeris, ut alterum conferamus ac explicemus ex interpretatione alterius, quoad sensum diversi nihil importantis. Ultimum vero attributum ונחם על הרעה & *pœnitet* ipsum (vel *pœnitens* ut sit adjectivũ notante Aben-Ezra) *mali*, cæteris in *Exodo* expresse non subjungitur, etsi ex sequentibus colligi facile possit, ubi dicitur, *condonans iniquitatem, defectionem & peccatum*, eorum enim condonatio s) includit id, quod innuitur verbis *pœnitens mali*, quod imminere minatus fuerat. Magis patet horum attributorum priorum sensus cuiquam probe ea inspicienti, quam ut aliis verbis ea enodari opus sit. Difficiliora autem sunt intellectu quæ sequuntur, *pœnitens super malo*, cum nonnihil ambigui habeat vox *pœnitens*. Nam passim dicitur, DEum alicujus rei pœnitere, ut *Gen. 6, 6. Pœnituit DEum, quod fecisset hominem*, & *1. Sam. 15, 11. pœnituit eum quod constituisset Saulem Regem*,

r) Observant Elohim esse nomen judicii, יהוה nomen gratiæ. Ar. Mont. Buxtorf.
s) Mercer.

Regem, & *Jon. 4, 2.* non secus atque hoc loco, *pœnitens mali*. Sic Moses a Domino petit, ut se converteret, ne accenderetur ira sua [illegible] & *pœniteret eum istius mali, quod proposuerit* contra populum suum, *Ex. 32, 12. Vers. 14.* habetur: *Tum pœnituit Deum istius mali, quod facturum se dixerat populo suo.* E contrario aliis in locis dicitur, DEum *non pœnitere nec posse pœnitere.* Ita *Num. 23, 19. Deus non est homo, ut mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat;* & *1. Sam. 15.* cum [illegible] quem ante adduximus, dictum erat, *eum pœnituisse*, *v. 29.* subjungitur: *fortitudo Israelis non committet mendacium, neque pœnitebit eum; non enim homo est, ut pœniteat eum.* Quæ loca cum sibi invicem primo intuitu videantur contraria, manifestum est diverso venire sensu *pœnitentiæ* & *pœnitendi* vocem, alio nempe, quatenus usurpatur proprie & potissimum de hominibus, quo sensu DEo non attribuitur, nec attribui potest, alio, quatenus etiam DEO convenit & ei tribui potest. Proprie igitur & strictiori significatu accepta mentis eorum, de quibus sermo est, notat mutationem, qua simul mœrore afficiuntur propter aliquam rem, quæ evenerat secus quam quidem opinati erant, vel nunc probare vel ratam habere possunt, quapropter in votis si adhuc res esset infectam quidem vellent, aut tamen quæ & pro virili eam emendarent, si emendandi adhuc esset locus aliqua potestas, quod in homines plerumque cadit & in eorum res gestas. De DEO vero ejusque factis certum est id proprie dici non posse. Immutabilis est atque ita [illegible] cuncta [illegible], nec unquam secus creavit quicquam, quam ab eo erat præcognitum atque præfinitum. Unde, quicquid hominibus possit videri in una vel altera re mutatum, respectu ejus decreti non potest dici mutatum, sed respectu opinionis, quam de ea re homines concipiunt cum videant [illegible] plane alio modo [illegible] eventumque [illegible] bus fuissent [illegible] & ordinata [illegible] arguissent. Ex quo apparet [illegible] *super malo pœnitentem*, quando resipiscentia hominum [illegible] inhibet pœnas ac mala, quæ perseverantibus in peccatis suis [illegible] denunciaverat, eo nempe loquendi more, quo [illegible]

& de

& de suis actionibus utuntur. Unde revera nihil aliud est in DEO, *super malo pœnitere*, quam resipiscentiam hominum acceptam ferre, ejusque causa hujusmodi plagas ac judicia removere ac temperare, quo non adeo mentem suam mutat, novumque decretum sancit, quin potius conditioni faciat satis, quam prima illorum denunciatio complectebatur, quemadmodum in omnibus minis eam contineri ipse declarat *Jer. 7, 8.* & *26, 3.* Quid? quod nec cum promissionibus bonorum cuipiam factis aliter se res habet, quippe cunctæ conditione ea nituntur, ut in obedientia perseverent, quibus eæ sunt factæ. Quod vero hujus conditionis interdum nulla fiat mentio, ex eo forsitan fit, ne insuper habeant abjiciantque resipiscendi curam nimium sibi de ejus misericordia promittentes, & supra, quam promissio illius continet. Hac igitur mente ea verba reddit *Chaldæus* ומתיב מימריה מלאיתאה בישא *& revocat verbum suum ab inducendo* (vel infligendo) *malo*, quo cum facit Syrus ܘܡܬܦܢܐ ܡܢ ܒܝܫܬܐ *& avertens malum*, nec non MS. Arab. ويصفح عن البلية *& t) avertens se ab afflictione* (vel ab infligendo malo). Quæ versiones planum nobis reddunt verborum sensum, cum non tantum ostendant, quid sit *super malo pœnitere*, sed etiam una, cujus generis hoc mali sit, de quo hic sermo est, scilicet non peccati, sed pœnæ hic habetur ratio; quorum cum utrumque intelligi possit, ambigue hoc verterunt interpretes antiqui iique haud mediocris autoritatis; ut Græci, *καὶ μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις*, & Latin. Vulg. *& præstabilis super malitia*, quod *Duacens.* interpretantur, *And ready to be gracious upon the malice.* Quantumvis enim eo sensu interpretes hæc verba sumant, quem antea exposuimus ut ex *Hieronymo, Cyrillo*, & pluribus aliis apparet; attamen alia etiam ratione capi posse, ex impressa Arabica liquet, quæ Græcos sequitur reddendo وتواب علي قبايح البشر quod latine idem est ac si dicas, *& quem pœnitet scelerum hominum.* Aliter tamen *Cyrillus*, qui, licet judicio suo alium sensum ferre possint verba in Græca translatione, eam tamen opinio-

t) Quocum conveniunt ex interpretibus lat. *Castalio, qui se ab inferendo malo contineat.*

nem optimam esse dicit, qua, etsi peccatores affligere cœperit, tamen non diu post mitigatum iri statuitur, *μεταχωρεῖ γὰρ εὐκόλως ἐπὶ τὸ βουλεύεσθαι τὰ χρηστὰ, nam facile revertitur ad benignitatem*, vel ad ostendendum benignitatem. Vocem præterea Græcam (κακία) tum denotare *impietatem* vel *malum ab hominibus perpetratum*, tum *malum hominibus illatum*, res manifesta est, quippe in N. T. ita usurpatur, *Matth. 6, 34.* Quo vero sensu *malitia* accipiatur Vulgato, & hoc loco, & prædicto apud *Matthæum*, *Hieronymus* in hæc verba notat: *Malitiam in hoc loco non contrarium virtutis debemus accipere, sed afflictionem.* Atque ita naturam DEI, ejusque morem agendi hic describit Propheta, eum præcipue in finem, ut eo usque eos perduceret, ut quam citissime, totoque pectore, ceu admonitio habet, ad Dominum sese converterent. Quod quidem ut facerent, non desiste ulterius in sequentibus verbis adjicere, quid emolumenti in eos haud dubie redundaturum sit, si ad mentem suam & admonitionem agere vellent.

14. Quis scit, si convertetur & pœnitebit, & relinquet post se benedictionem, etiam sacrificium & libamen Domino Deo vestro.

DEum converti posse atque pœnitere, præcedentibus in verbis omni asseveratione affirmaverat, nihilque propterea esse, cur gratiam ejus tam graviter afflicti desperarent, licet peccata illorum æque ac plagæ vel supplicia communem sortem longe excedant, atque ex eo animos eorum facile subire possit desperandi consilium reputantes, talem forsitan non esse eum, quo cum ipsis erat negotium, qualis hic est descriptus. Verum enim vero posteaquam omnino persuasi erant de illius benigna voluntate, spem illis facit gratiam consequendi, quamvis non adeo simplicibus verbis, ne jam recuperatam crederent. Atque hinc est, quod per interrogationem ea proferatur, cui dubii nonnihil adhuc inesse videtur. *u) Spem metu miscet, ne aut securitatem foveat aut desperatione veniæ illos in luto relinquat.* Simi-

lem

u) Grotius.

lem locutionem habemus apud *Jon.3,9.* qua Rex *Ninive* ad resipiscentiam excitat populum, cujus interitus a *Jona* erat prædictus: *Quis scit, an reversurus sit, & pœniteat Deum, ut reverso eo ab æstu iræ suæ non pereamus.* Ubi manifesto liquet ejus mentem ac intentionem non fuisse, ut eos adduceret in dubium, sed ut spem faceret gratiæ. Id tamen de hac expressione, quam dubiam æque diximus includere atque spem & confidentiam, annotare habemus, dubium non in eo consistere, an gratiam velit DEus exhibere iis, qui ad frugem vere redeunt, sed an velit ea supplicia averruncare eo, quo ipsi vellent atque optarent, modo. Nam ubi nefas admissum est, quod DEus atrocibus puniendi insecutus est minis, x) duo ab iis inprimis a DEO petuntur, qui admissam culpam rite agnoscunt atque dolore propterea anguntur, nempe *remissio culpæ & castigationis.* Quod ad priorem, non est dubium, quin revera condonaturus sit vere pœnitentibus, quippe ei hoc proprium est & ab eo ipso non una ratione declaratum, imo ne secus quidem facere ipsi δυνατον. Quod vero culpa remissa etiam omnem castigationem remittere & amovere velit, utique promissum omni loco non est, unde qui unius certi sunt, alterum sibi, cur quoque persuadeant, non habent, quippe id ubique conferre non assolet, ut id satis patet in *Davide*, cui quantumvis culpam remittere promiserat, infanti tamen nequaquam pepercit, quem in adulterio ex *Bathseba* progeneraverat, etsi vitæ ejus impetrandæ nec jejunio nec lachrymis parceret, dicens (non minus interrogando, quam Propheta hoc loco) *Quis scit, si gratiam est mihi facturus Dominus ut vivat infans? 2. Sam. 12. v. 13. 14. & 22.* Ita hic quæ videtur dubitatio inesse huic loquendi formulæ, non adeo concernit remissionem peccatorum eorum, qui resipiscentia vera ad DEum sese convertebant, quam quidem remissionem pœnæ ac suppliciorum. In eo enim rei cardo vertitur, num ea velit mitigare, destructionemque, quam iis minatus fuerat, adeo limitare, ne sit totalis, sed prout habent verba, quæ sequuntur, *ut relinquat post se benedictionem;* quæ si cum prioribus conjunguntur, *non* videntur esse y) *tam dubitantis, quam bene sperantis & opem Dei desiderantis;* quippe non dubitabat, quin Deus,

x) Livel. y) Glass. Grammat. Sacra p. 497.

Deus, quatenus gloria atque justitia ejus permitteret, supplicia temporalia vel esset remoturus, vel ita mitigaturus, ut nonnisi in illorum bonum cederet, quibus paterne in eos esset animadversurus, non totalem destructionem illaturus. Atque is est genuinus sensus verborum, quatenus vertuntur per interrogationem dubitandique particulam & a nostratibus & multis aliis interpretibus, quæ interpretandi ratio mihi videtur satis conveniens. Verum cum observatione deprehensum sit, hanc particulam a textu Originali non agnosci, atque eam ab illis supplendi sensus causa esse adjectam, factum est, ut alii aliter hæc verba expresserint, nimirum sine interrogatione vel hujusmodi dubitandi ratione Hos inter Chaldæus est, qui, sensu per totum comma diverso, non habet, Quis scit, si &c. sed מן ידע דאית בידיה חובין יתוב מנהון ויתרחם עלוהי *Qui scit penes se esse peccata, abscedat ab eis, & misericordia applicabitur ei* &c. Quem sequitur *R. Salomon*, ut & *Kimchi*, qui posteaquam priori loco hæc verba interrogative exposuerat, aliam tamen postea addit interpretationem, qua idem putat dici ac z) *is qui scit vias pœnitentiæ, resipiscat & Deum hujus mali pœnitebit*. Ex quibus omnibus satis liquet, quã in re a priori interpretandi ratione maxime absint. Ad homines referunt verbum ישוב *jashub revertetur*, quasi ad resipiscentiam illi vocarentur, quod ad Deum referunt priores. Quod etiã faciunt *Chald.* & *R. Sal.* in verbo ונחם *pœnitebit*; quamvis id ad DEum referat *Kimchi*. At planior est magisq; perspicua verborum sententia, si interrogandi forma legantur, ut nostrates multiq; alii legere, quippe ea non tantum incitantur, sed & animus iis additur, ut ad benignum suum Deum (sicuti eos admonuerat) sese convertant, non amplius animo hærentes, sed confidentes fore, ut peccata, quibus in sese tam gravia derivaverant supplicia, non impediant, quo minus ad illos vere ac sincere pœnitentes convertatur atque eo ipsum pœniteat sensu, quo id ei diximus convenire, nimirum, ut immutet, quam tulerat sententiam ulterius eos affligendi, & e contrario benignum se iis exhibeat misericordiæque non mediocria præbeat indicia. Hinc in Hebræo est ישוב ונחם *revertetur & pœnitebit*, ut ad literam, aliis præeuntibus,

z) Cui accedere videtur MS. Arabicum.

bus, reddidere noſtrates. Ita olim etiam LXX: *ἐπιςρέψῃ καὶ μετανοήσῃ*, quibuscum, ut in omnibus fere, ita & hic facit Arab. impreſſa: At Vulgatus ad ſenſum magis, quam ad literam, *convertatur & ignoſcat*. Syrus ܡܢ ܝܕܥ ܐܢ ܡܬܦܢܐ ܘܡܬܪܚܡ ܥܠܝܢ *quis ſcit, ſi velit reverti & noſtri miſereri?* Qua vero in re præcipue deſiderabant ac ſperabant DEum ſe illis benignum exhibiturum, atque reverſionis & pœnitentiæ ſignum editurum, ſequentibus exprimitur verbis: *& relinquet benedictionem poſt eum, etiam ſacrificium & libamen Domino Deo veſtro.* Tantam *benedictionem*, i. e. tantam fructuum terræ ubertatem, quibus dubio procul ad unum omnes erant hactenus orbati, ut haberent, quibus coram DEO ſuam lætitiam rurſus teſtarentur offerendo tales oblationes, quales ex lege erant præſcriptæ, quibusq; ſolis animum gratum pro beneficiis in ſe collatis exhibere poterant, quod certe placati erga ſe Dei jam magnũ foret *a)* indicium, cum ex eo conſtare poſſet, eum & expectare adhuc illorum ſervitium & eo inſigniter delectari. Cum triſtis rerum eorum ſupra deſcriberetur facies atque conditio *cap. 1, 9. & 13.* ob quam maxima mœroris edere debebant ſigna, in cæteris quoque dictum erat, *ſacrificium & libamen eſt b) abſciſſum, vel c) detentum a domo Domini, v. 9. veſtri Domini, v. 13.* Ex quo intelligi poteſt, quam afflictæ res illorum eſſent, cum non haberent, quo DEO officium debitum præſtare poſſent, quod non tantum argumento eſt, ingenti eos laboraſſe omnium rerum penuria, ſed & ſimul a DEO eſſe rejectos, qui, cum illarum rerum uſu atque ubertate eos privaret, ſine quibus cultum ex lege præſcriptum nequaquam præſtare poterant, quid aliud ſignificare voluit, quam, ſe nullum amplius commercium, nullum negotium cum illis velle, nec illorum ſervitio diutius delectari. Quapropter ſi nunc illorum iterum defectum ſupplere dignaretur, non leve indicium eſſet, conditionem in melius mutatum iri, DEum eos ſibi tanquam ſuos adhuc aſſerere, benigna atque benevola in eos adhuc eſſe voluntate, gratam atque acceptam habiturum eorum reſipiſcentiam plagisque, quas acerrimas illis immiſerat, non in-

a) Danæus. b) v. 9. c) v. 13.

intendiſſe ultimum eorum excidium,ſed,qua tacito eos adhuc fovebat amore, emendationem atque revertendi conſilium, ut ipſemet ad eos converteretur. Et cum ea inprimis largiretur,quibus ad cultum divinum quam maxime erat opus, quid aliud inde colligendum, quam acceptum eum haberi, eoque valde DEum adhuc delectari? Diſtinguunt equidem Magiſtri Judæorum judicia atque calamitates a DEO illatas ea ratione, ut יסורין של אהבה *yiſſurin shel Ahabah*, *caſtigationes amoris* nominent, quibus relinquitur, quod ad perficienda ſacra potiſſimum conducit atque exigitur, quippe hoc charitatis indicium putant, nihilque aliud a DEO tum intendi, quam ut *d) benefaciat* idoneosque reddat eos beneficiis rite accipiendis, longe ea avertendo, quæ id impedire potuiſſent. Hinc ſi benedictione hujusmodi, qua ſervitium debitum præſtare poterant, DEus commutaret tot tantaque in præcedentibus deſcripta mala, argumento eſſe recte conjicies, DEum eos amore adhucdum complecti, quid? quod nec hoc directione divina vacare arbitreris, quod ea cumprimis jubeantur expetere, quæ ad cultum divinum ſpectant, non autem quæ ad ipſorum præcipue privatam ſalutem, uſum atque voluptatem conducunt. Quippe etiam ex eo cuique conſtare poſſet & non alium in finem a DEO eos fuiſſe caſtigatos, quam ut, amoris erga eos divini tot tantisque characteribus exſtantibus, ipſorum quoque amor erga illum *e)* majora indies ſumeret augmenta; & præcipuum eorum finem tum in rerum mundanarum deſiderio, tum in largo atque effuſo earum uſu non alium eſſe debere quam cultum divinum, quem ut unum præſtare ſummo amore ac promtitudine animi oportebat, ita ſummum certe nefas, rerum ubertatem non niſi voluptatum expletioni, mundanisque deſideriis implendis impendere voluiſſe, quippe *benedictionis* nomine ut nihil hoc ipſo magis eſt indignum; ita nihil dignius eo, quam ſi priori modo bona terreſtria collocentur. Nec dubito, quin homines, quacunque calamitate preſſi, hac mente preces ad DEum fundant, auxilio cito ut præſto ſit illis, quin & hoc ipſum ad roborandum immane quantum conducat fidem atque liberationis ſpem, DEum eos, quamvis talia

minus

d) Pſal. 119, 71. *e)* Heb. 12, 5. 6. &c.

minus mereantur, esse auditurum *f)* respectu sui ipsius gloriæ atque cultus sui sarti tecti servandi & amplificandi. Quando vero hic mentio fit *sacrificii & libaminis Domino*, quæ cultus divini sub lege erant necessariæ partes atque requisita, in propatulo est, omnes his inclusas esse partes ac res necessarias ad cultum divinum præstandum riteque perficiendum. Unus est vero *Abarbinel*, qui, nescio quo modo, hæc sola, quæ hic nominantur, respici, cæterasque benedictiones, quas juxta eum nec sperare poterant, nec ullas alias relictas habebant, excludi putet. Is enim calamitatem non tribuit fami vel annonæ caritati locustarum atque insectorum aliorum vitio illatæ, quo destructi sunt terræ fructus, unde sacrificia atque libamina conficiebantur; sed explicat verba priora, ut vidimus supra, de futura terræ templique prioris destructione, quam illis Chaldæi essent facturi, ita tamen ut simul vaticinium complectantur, quod non solum essent redituri servitutis jugo exsoluti, sed & templum restauraturi, Hierosolymamque incolentes sacra securi tractaturi, quantumvis non eodem splendore neque iisdem privilegiis stipata, quibus priora; quippe qui quidem sub templo secundo benedictionibus eo usque perfunderentur, ut sacrificia cibaria atque libamina Domino possent offerre, cætera vero signa inter eos perillustria, הנבואה *prophetiam*, אורים ותומים *Urim & Thummim*, ארון *Arcam* ושכינה & *Schecinah vel majestatis præsentiam* ושאר הדברים שחסרו שם *una cum aliis, quæ ibi erant, non expectarent vel invenirent in templo secundo*, אבל בלבד תשוב עבודת הקרבנות *sed opportunitas sacrificia offerendi sola rediret vel restauraretur eis*. Ad cujus auctoritatem se etiam confert *Arias Montanus*, quamvis omnino non liqueat, qua ratione huic opinioni ex his verbis vel levissimum procedat fulcimentum. Quocirca singularis atque ipsis solis propriæ sententiæ nomine hic apponere mihi libuit, cum nullum alium hujus unquam norim defensorem. Satius itaque fore autumo, eam sequi sententiam, quam supra exposuimus, quæ & probabilior est & multorum auctoritate nititur, qua tanta vel locustarum aliorumque insectorum vel hostium culpa statuitur prædicta rerum destructio, ut,

f) Calvinus.

unde inopia illorum ſuppleretur, quibus ad ſacra tractanda opus erat, non eſſet reliquum, idque priori *g)* templo ceteriſque, quibus uſi erant, privilegiis adhuc integris.

Cæterum notanda eſt, antequam hinc diſcedamus, differentia, quæ ſeſe in conſtructione magis quorundam verborum, quam in ſenſu apud interpretes offert. Verba ſunt: *& relinquet benedictionem poſt eum.* Quæritur autem, quiſnam ſit, qui *relinquet* hanc *benedictionem* & quiſnam intelligendus per *eum*, cum dicitur *poſt eum*, num ipſe (eadem ſcil. perſona) relicturus ſit hanc benedictionem, vel alius quiſpiam, poſt quem eam relinquet? Sunt qui utrumque applicant ad *) *magnum populum* vel DEI **) *exercitum*, quo intelligunt locuſtas. Ita *R. Salomo* והגזם החסיל *& Aben-Ezra, forſan Dominus convertetur* והשאיר זה החיל ברכה *& relinquet iſte exercitus benedictionem, ex qua conficiant ſacrificium cibarium & libamen.* Pari modo *Druſius* priori loco: *poſt ſe locuſta. R. David Kimchi* priori loco intelligit DEum, poſteriori locuſtas; והאל יתברך ישאיר &c. *Et Deus relinquet poſt locuſtas benedictionem;* ſi enim reſipueritis, procul hinc eas amovebit, & relinquet in germinantibus benedictionem, ut non omnia pereant, &, quod reliquum eſt, ſit in benedictionem, & faciatis ex eo *ſacrificium & libamen*, quod antea dixerat *ſucciſum de domo Dei.* Ita *Druſius* cum aliis non paucis, poſteriori loco *h) poſt illum.* Sunt qui utrumque referunt ad DEum, nimirum quod relicturus ſit *poſt ſe*, i. e. poſt ea quæ perpetraverat, *i) ira depoſita* loco maledictionis, benedictionem. Atque hæc ſententia quidem translationi noſtr. quam maxime accedit, nec non aliorum *k)* quamplurimorum, qui vocem interpretantur, *poſt ſe.* At non admodum multum refert, quamcunque illarum ſequaris, quippe illud a DEO fit, quod ab ejus inſtrumento efficitur, unde ipſe ceſſare etiam dicitur, quando illa, quibus uſus erat inſtrumentis, agere ceſſant, quibus dixerat, *eo usque progrediemini, non ulterius.* Sic & quod reliquum eſt, poſtquam mandatum ejus expleverunt, dici poteſt, *relictum eſſe poſt ſe.*

g) Vide ſupra c. 1. v. 16. *) v. 2. **) v. 11. *h)* Jun. Tremel. Piſcator. *i)* Mercer.
k) Tig. Munſt. Calv. Pet. a Fig.

ſe. Quod Paraphraſten Chaldæum attinet, quem inſuper habuiſſe jam ante notavimus initio verſus interrogandi notam, in reliqua parte vertenda non eſt verecundior, cum, ut planiorem reddat ſuo modo ſententiam, æque perſonam mutet, de qua ſermo eſt, ac verborum ſignificationem & conſtructionem, quando loco illorum, quæ hebraice ſonant, *ſi convertetur, & pœnitebit & relinquet benedictionem poſt eum, etiam ſacrificium* &c. ſupponit: *Et quicunque reſipuerit, dimittentur ei peccata ſua, & recipiet benedictiones & conſolationes, eritque ejus oratio, ſicut viri, qui offert oblationes & libamina in æde ſanctuarii Domini Dei veſtri.* Verum cum non niſi literali verborum translationi ſtudeamus, parum hinc auxilii ad noſtrum inſtitutum redundare poſſe quivis facile intelligit.

15. *Clangite tuba in Zion, ſanctificate jejunium, convocate cœtum ſolennem.*

16. *Congregate populum, ſanctificate congregationem, congregate ſenes, congregate parvulos & ſugentes ubera: egrediatur ſponſus e cubili ſuo & ſponſa e conclavi ſuo.*

17. *Fleant ſacerdotes miniſtri Domini inter veſtibulum & altare, & dicant: Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium: ut dominentur eis nationes, quare dicent in populis, ubi eſt Deus eorum?*

Eadem hic ſunt verba, quæ initio hujus capitis, *Clangite tuba in Zion*] quæ ut eadem occaſione, ita eundem in finem adhibita hic eſſe merito ſibi quisque perſuadeat. *Abarbinel* tamen auctor eſt, utriusque loci diverſam eſſe rationem atque occaſionem, priorique loco hæc verba eſſe prolata, ut invaſionis terræ, quæ a Chaldæis erat futura, captivitatis ſuæ, deſtructionis templi prioris, atque poſtea reſtaurationis eos admoneret; cum poſteriori loco tantum habeatur ratio deſtructionis templi poſterioris, exilii, quo nunc mulctantur, & re-

 ſtaura-

ſtaurationis, quam anxie expectant בגאולה העתידה *in redemtione adhuc futura*, cujus verba ita habentur in *cap. 2. verſ. 1.* שנבא בהן על שני הגליות והחרבנות חרבן בית ראשון ופקידתו בפרשה הראשונה וחרבן בית שני וגאולה בפרשה השנית. Nec ab eo hic iterum multum diſcedit *Arias Montanus*, quando his & ſequentibus verbis deſcribi putat omnes eas calamitates, quibus a *Romanis*, Hieroſolyma late direpta, Judæi fuere preſſi, prioribus vero eas, quas illis intulerant *Aſſyrii* & alii hoſtes. At non eſt, ut in ſententiam ſuam nos adducere poſſit, cum nihil aliud agitet *Abarbinel* hoc ſuo conatu, quod luculenter patet, quam ut eas prædictiones in hac prophetia eludat, quarum complementum neceſſario adverſus eum atque Judaicæ religionis aſſeclas probat Meſſiam veniſſe; quas ſi conceſſeris nondum expletas eſſe, eum necdum veniſſe e veſtigio colliget atque homines eum adhuc venturum expectare jubebit, ut ex poſtea dicendis luculentius apparebit, in ſpecie ex *v. 28.* Quam ob cauſam multo videtur planior rectiorque horum verborum interpretandi ratio, qua hæc præcedentium ſtatuuntur complecti repetitionem, nec alia occaſione, nec alium in finem ea eſſe repetita, quam ut magis magisque eos ad reſipiſcentiam ſeriam incitaret & adhortaretur, poſtquam & ejus neceſſitatem iis oſtenderat & nullum extra eam extare medium, quo imminentia graviſſima judicia a ſe poſſent amovere, probaverat. Quandoquidem peccandi lues totam invaſerat nationem, atque exinde DEus etiam a tota natione ſumebat pœnas; neceſſe equidem erat, ut conjunctis manibus conjunctisque viribus ea remedia adhiberent, quibus peccatorum veniam perinde ac pœnæ remotionem poſſent impetrare. Quod ne impigre facerent, ſecunda vice atque ſerio iterum eos hujus rei admonet, publicum jejunium in reſipiſcentiæ infucatæ teſtimonium omnibus ſine exceptione indicens. Id enim eſt, ad quod hic eos vocat, methodumque ejus vel *l)* formam præſcribit, ut ex verbis, quæ ordine ſuo ſumus explicaturi, apparet.

l) Jun. Trem. Danæus.

Clangite tuba in Zion] Qua occaſione tuba inter eos clangendum erat, ſupra notavimus ad *v. 1.* Nec obſcure ex ſequentibus verbis liquet, quare hic tuba clangere jubeantur. Nimirum vocandi erant, ut ſolenniter congregarentur ad publicum jejunium, ad humilitatem & fundendas preces ad DEum, ut benigne averteret, quas illis denuntiaverat, calamitates, quas aut jamjam ferebant, aut proxime ſubituri erant, ſive locuſtis &c. ſive hoſtibus inferentibus juxta diverſas, quas non una vice inſpeximus, opiniones. Unde patet, clangorem hunc tubæ tum ad primum, tum ad tertium referri poſſe eorum, quos ad *v. 1.* notavimus, uſum. Clangendum vero erat tuba in *Zione*, quæ *v. 1.* vocatur *mons ejus ſanctus*, veluti alibi, mons ſanctitatis Zion, *Pſal. 2,6.* quo, ſicut de Hieroſolyma dicitur, ut *m)* totum quidem partis nomine interdum venire ſolet, *tribus aſcendebant*, tribus Domini ad teſtimonium Iſraelitarum, i. e. ad arcam, quæ in templo erat, *ut celebrarent nomen Domini, Pſal. 122,4.* ubi plerumque ſolenniter conveniebant religionis exercendæ gratia. Cum locum conveniendi iis aſſignet, declarat quanti ſit ponderis & quam late pateat, quod debebant facere: Erat enim a DEO juſſum, ut publice indiceretur, quare ſecus fieri non poterat. Nec quemquam id latere poterat, quippe promulgatio eo in loco fiebat, ubi maximus populi ex omni parte regionis erat concurſus, unde omnibus æque facile innoteſcebat, quod ut eos ad id eodem in loco perficiendum attrahebat, ita eo quoque faciebat, ut idem in *n)* omnibus totius regionis aliis locis & ſynagogis eodem tempore obſervaretur. Quid autem hic promulgandum ſit, docent ſequentia verba, ubi quædam ejusdem rei etiam obſervandæ proponuntur circumſtantiæ, *ſanctificate jejunium* קראו עצרה *convocate cœtum ſolennem* (*vel diem interdicti*, ut in margine ad *cap. 1, 14.*) Eadem enim verba hebraica ſupra habuimus, quorum mentem atque interpretationem, quia ſufficienter ibi tradidimus, impræſentiarum plura addere ſupervacaneum foret.

Verſ. 16. Congregate populum] i.e. operam date ut congregentur *o) ad publicas ſupplicationes. Sanctificate congregationem*] De verbo קדשו *Kaddeshu ſanctificate*, quod etiam extat in verſu præcedenti,

m) Fer. a Fig. in v. 1. Danæus. *n)* Danæus. *o)* Piſc. Tarnov.

denti, &, ut diximus *cap.1,14,* priori loco quod dictum eſt, huic non incommode applicari poteſt. Eandem huic congruere ſignificationem, quam illi, notat *R. Tanchum*, quam putat eſſe الاعداد, *præparandi vel ordinandi*, qua ratione etiam h. l. eſt in MS. Arab. عدوا الجوق *præparate congregationem*, qua voce quamvis præparatio communis alibi plerumque denotatur, locus tamen videtur poſtulare talem, qualis in uſu erat ad quoddam *p)* officium ſacrum obeuntibus, nimirum jejunium ſolenne omnibus regulis ac circumſtantiis obſervatis, quæ ad id rite perficiendum in lege erant traditæ. *Levitis* inprimis congregandi onus hic eſſe impoſitum Autor eſt *H. Grotius*. At latius extendi vox patitur, quam ut iis ſolis applicetur, quodque omnis generis & conditionis includat homines, ex ſequentibus eluceſcit, ubi nominatim recenſentur, *Senes, parvuli, ſugentes ubera, ſponſus, ſponſa & ſacerdotes. Congregate ſenes.* Per *Senes*, idem omnigena eruditione præditus vir intelligi putat *tum illum ſummum ſenatum, tum illos qui urbibus ſingulis præſident.* Eandem etiam hic habemus vocem, quam ſupra *c.1,14.* ubi quæ de ea ſunt dicta, etiam hic locum habere poſſunt, ſcilicet quod applicari poſſit ac ſoleat non tantum ſenatoribus, qui gravitate atque dignitate eminent, ſed etiam illis, quorum graves ſunt anni. *q)* Magis tamen hic reſpici exactæ jam ætatis viros, præterquam quod magis propria atque ſtrictior tum ſit vocis ſignificatio, inprimis videntur exigere ſequentia, ubi illis e diametro quaſi opponuntur *parvuli & ſugentes ubera.* Cur vero in ſpecie hi congregari jubeantur die ſolenni totius nationis, ad reſipiſcentiam jejunio & ſupplicationibus teſtandam, probabiliter *r)* nonnullis videtur idcirco factum, tum quia propter peccatorum multitudinem magis erant coram DEO rei, tum ut cæteris ſuo exemplo prælucerent, eidem pœnitentiæ viæ ut inſiſterẽt. Quando præterea illis ſubjunguntur *parvuli & ſugentes ubera,* indicio eſt, neminem ab hac *congregatione populi* & mandato *ſanctificandi* fuiſſe excluſum & exemptum ulla excuſationis ſpecie; quippe non tantum inſignes flore juventutis & quibus ſuo ſtabant robore vires, quique exinde

p) Calv. Merc. *q)* Brenn. *r)* Calvin. Danæus.

exinde magis erant pares obeundis perquam duris humilitatis officiis, hunc in finem erant congregandi, ſed & ſenio quam maxime confecti, quorum jam titubabant ſeniles artus, ad parvulos usque, qui querulis implebant vagitibus auras, quibusque languebant in corpore vires. Adeo enim in omnes penetraverat judiciorum vis atque vehementia, ut nequaquam poſſent ab invicem ſejungi, veniam his mediis quærentes, quæ ad eam impetrandam adhibenda erant. Quapropter excuſandi cæteri non erant, quamcunque etiam cauſam prætexuerint officium ſuum declinandi aut ſeſe congregationi ſubducendi.

Congregate parvulos & ſugentes ubera] Non eſt, quod propter horum nullius criminis reorum peccata iſtis, quas ferebat, plagis putes nationem correptam fuiſſe, vel potuiſſe eos capere reſipiſcentiæ rationem ejusque genuinum finem. Cur autem, inquies, & illi congregari jubentur, ut officii, quod hic injungitur, habeant rationem? Plana ejus eſt ratio, ſi probe expenderis, fas eſſe DEO patrum delicta mulctare in filiis, quo patres gemitibus atque doloribus filiorum ſuorum cognitis eo magis atque citius, intentiorique ſtudio moveantur ea a DEO efflagitare remedia, quibus eorum malorum immunes reddantur, quorum gravitati ſua cauſa ſunt una ſecum involuti infantes innocentes, quique alia ratione ab iis liberari non poſſunt. Nec eſt exigua ſpes eo citius obtinendi a DEO opem, quod parvulorum ac infantium gemitu facile ſe moveri patiatur. Etenim qui pabulum præbet corvorum pullis vociferantibus, voces parvulorum inſuper non habebit. Quam ſollicitam eorum etiam curam habeat, quam teneram, in exercendis in nationes judiciis, ex eo apparet, quod ad *Jonam* dicit, qui miſſus erat, nunciatum Ninivitis interitum, quando cauſam interponit, cur illis ſerio reſipiſcentibus ſuam velit mutare ſententiam: *Nonne parcerem Ninive civitati maximæ, in qua ſunt plures duodecim myriadibus hominum, qui non norunt diſcrimen inter dextram ſuam & ſiniſtram, jumentaque multa? Jon. 4, 11.* Edixerat illorum rex in ſolenni, quod celebrabant, jejunio, ne *homines & jumenta guſtarent quicquam*, nec paſcerentur, nec aquas biberent, unde probabile eſt infantes non fuiſſe exemtos,

ad quos uti humiliandi ratio atque edictum haud dubie spectabat, ita eorum peculiarem rationem habuisse DEum gratiam exhibiturum ex adductis liquet verbis. Quodque persuasum esset antiquis, citius se posse impetrare veniam, si supplicantibus sibi una adjungerent infantes, ex eo palam fieri videtur, quod scriptum extat in libro *Jud. c. 4. 9. 10. 11. 12.* ubi infantes una adducti dicuntur, ut humillimo ac supplici animo exclamarent apud DEum *Israelis* unanimiter contentione magna. Quo etiam faciunt verba *Kimchi*, quando dicit, congregari illos cum cæteris juberi ויהיו כלם באסיפה אחת *ut sint omnes in uno cœtu & fleant parvuli ac sugentes [illegible] famem suam, & adultiores humilientur fletu illorum & [illegible]; DEus autem [illegible] misericordia sua misereatur clamoris parvulorum.* Quemadmodum vero nulla hinc poterat eximi ætas, quin partes suas ageret in hoc humiliationis publicæ actu; ita nullæ etiam erant circumstantiæ, quarum prætextu quis potuisset excusari. Quod si cuiquam hac in re indulgendum fuisset, utique recens nupti fuissent eximendi, qui in lege eo tempore a publicis excusabantur officiis, uti a disciplina militari tempore belli aliisque hujusmodi casibus. Sic enim habet, quod extat *Deut. 24, 5. Quum duxerit qui uxorem [illegible], non exibit in militiam, neque imponetor ei onus ullius rei, sed [illegible] esto domui suæ unum annum & exhilarabit [illegible] uxorem, quam duxit.* At hujusmodi quid illis hoc humiliationis publicæ actu non conceditur. *[illegible] ditur*, inquit, *[illegible] & [illegible] e thalamo suo.* Equidem iis non licebat [illegible] alias, in lætitiam effundi, voluptatibusque indulgere, aliis munera jussa persolventibus, sed una cum cæteris in id incumbendum iis erat, ut publicam deprecarentur calamitatem etiam [illegible], vel qua cæremoniæ [illegible] solemnia earum fuissent celebrata. [illegible] DEO ad alia eos avocante, quæcunque lætitiæ [illegible] thalami [illegible] dus exigebat commendabatque. [illegible] enim periculo tunc temporis conjuncta forent, ex [illegible]; *& [illegible] Dominus Deus exercituum [illegible] & gaudium* &c. *ne vivam, [illegible], inquit Dominus Deus exercituum.* Nec erat circa id temporis,

poris; quo DEus ad humilitatis officia publica eos vocabat,ulli excusationi locus. Quare qui id operam daturi hic vocantur,si se subducere ei voluissent,quid aliud fecissent,quam quod vindictam divinam ulterius provocassent,cum re probe facta reconciliationis summa foret spes,quam non nisi his mediis obtineri posse prædictum erat. Egrediatur igitur publicæ calamitatis tempore etiam *sponsus* & *sponsa*, libertate, qua alio tempore fas erat frui,lætandi cuticulamque curandi præcisa,alter quidem e *cubili* suo,altera ex *conclavi* suo,ut cum cæteris omnium conditionum eorum,quibus humillimum suum publice testabantur animum,fiant participes. Vox חפה *Chuppah*, nostratibus *conclave*, eodem modo ab interpretibus generali vocabulo exprimitur diversis linguis, quod denotat *thalamum*,qua notatione sumitur *Psalm.19,5.* Ita Chaldæus בית גנונתא cum quo convenit Syrus ܡܢ ܓܢܘܢܗ & Græc. τοῦ παστοῦ αὐτῆς. MS. Arab. حجلتها Arab. impress. خدرها quod idem notat atque hebraic. חדר quo nomine hic venit sponsi conclave & redditum est *cubile* & ab eo حجلتها in MS. خدره ac si Synonymæ essent hæ voces. Eandem quoque sententiam fovet *R. D. Kimchi*, qua idem statuit esse ac חדר; adjicit tamen etiam aliam, quam ferre possit, nimirum החליים והעדיים שחפפים עליה בימי החתנה *exeat ex monilibus & ornamentis, quibus se obtegebat diebus desponsationis* (vel nuptiarum.) Neque adeo refragatur vocis denotatio,cum utramque significationem admittat, quippe cujus origo arcessenda a חפה *Chaphah obtegere*, unde ad quodvis tegumentum denotandum apta. Idem autem verborum sensus,utram denique approbaveris, nempe, omnis nuptiarum pompa insuper debebat haberi, festiva quæque atque lætitiæ signa evanescere, sponsus e contrario una cum sponsa societatem congregatorum petere, atque simul cum cæteris solennes humilitatis ritus celebrare,mœrorisque & resipiscentiæ indicia edere,ut tum corda illorum recte riteque afficerentur, tum DEus moveretur,ut vices illorum vere doleret ac eorum misereretur. Posteaquam vero cœtus ex diversis populi gradibus ac ordinibus collectus erat, proxime vocantur Sacerdotes ad of-

ficia ſua obeunda. *Fleant Sacerdotes, miniſtri Domini inter veſtibulum & altare.* Vocantur hoc loco, ut & ſupra *cap. 1, 9. miniſtri Domini*, & *verſ. 13. miniſtri altaris*, & *miniſtri Dei mei.* Hi jubentur flere, quo quidem non excluduntur alii ne idem faciant; ſed ut aliis exemplo ſuo præeant, quorum cumprimis erat divina ſtrenue curare, aliosque ad ea recte facienda impellere atque dirigere. Quod fit ab iis pro populo intercedentibus, non ſecus putandum eſt, ac ſi ab omnibus factum eſſet, quippe eadem mente cuncti actiones ac ritus illorum ſequi debebant. Jubentur *flere* ob peccata & calamitates ſuas juxta ac totius populi, cujus & ſupra admonebantur *cap. 1, 13.* quia *ſacrificium & libamen erat abſciſſum a domo Domini ſui.* Locus, ubi munus ſuum debebant præſtare, nominatim hic quoque deſcribitur, nimirum inter האולם *Haulam* & מזבח *Mitzbeach*, *veſtibulum* & *altare.* Quid ſit אולם *Ulam* vel *veſtibulum*, apparet ex *1. Reg. 6, 3.* Quid per *altare* intelligat, ex *2. Paral. 8, 12.* patet, videlicet illud, quod a *s) Salomone* exſtructum dicitur ante portam in atrio interiore domus Domini (*Ezech. 1, 16.*) non illud alterum, quod erat intra in loco ſacro vel templo, quamvis *Druſius aram ſuffimenti* intelligi velit. Verum enim vero plus nos eſſe profecturos reor in eruendo hoc loco ex delineatione quarundam partium templi vel atriorum ejus, quam in quodam veteri MS. *Maimonidis* invenio, cujus titulus fert Commentarium in *Minajoth* tractatus *Middoth* textus *Talm.* ubi hoc ordine ea tradit, ut ad orientem collocet (1.) עזרת הנשים *Ezrat bannaſim*, atrium mulierum. (2.) עזרת ישראל *Ezrat Iſrael*, atrium Iſraelis (vel populi vel hominum). (3.) עזרת הכהנים *Ezrat baccobanim*, atrium Sacerdotum, in quo erat מזבח *Mizbeach*, altare. (4.) אולם veſtibulum, ultra quod erat היכל *Heical*, templum (vel locus ſacer) atque in eo מזבח הזהב *Mizbeach bazzahab*, aureum altare (ſcilicet ſuffimenti) & menſa & candelabrum, & (5.) קדש הקדשים *Kodesh hakkadashim*, *ſanctum ſanctorum.* Atqui locus hic deſcriptus non alius videtur eſſe juxta hanc delineationem, quam ſpatium vel ea pars atrii Sacerdotum, quod erat inter altare & veſtibulum, in quo atrio illi ſolebant ſtare atque holocauſta ſua præparare.

Ita

s.) Livel.

In *Ezech. 8, 16.* illud ſpatium, quod eſt inter altare & veſtibulum, dicitur *atrium interius*. Quo de loco hoc videtur accipere *Kimchi*, cujus verba hæc ſunt: *Ibi enim ſtabant Sacerdotes ad fungendum miniſterio ſuo & ſublato miniſterio*, ut dixit *cap. 1, 9.* ſucciſum eſt ſacrificium & libamen a domo Domini, *ibi in loco miniſterii ſui fleant*, & precentur ad DEum benedictum in domo ſanctuarii ejus (qua ultima voce omne, quod ad templum tum internum tum externum concernit, eum complecti mihi perſuadeo). Eundem locum intelligit etiam *Aben-Ezra*, cum explicationis loco dicat אין נכון לבכות בבירת השכם בהיכל לפני *Non eſt rectum, flere in templo coram me*, quod recte ab eo notatum dicit *Abarbinel*, adjiciens שאין נכון לבכות בהיכל השם *t) non fas eſſe flere in ſanctuario DEI.* Extra igitur atq; ante illud jubentur flere, hoc autem *u)* loco, ut quidam notant, prohibitum erat ſigna mœroris edere. Nec alium fuiſſe locum opinio eſt, quo inter templum & altare occiſus eſt *Zacharias Matth. 23, 35.* ubi totum nominatur templum, cujus veſtibulum reſpicitur, tanquam pars ejus. Cur autem hoc loco cumprimis jubeantur flere, præter jam adductas rationes aliæ haud improbabiles adferuntur: 1. ob loci opportunitatem, qua ſic erat ſitus, ut populus ex atrio exteriori (ſeparato ab illo interjecto pariete exiguo trium tantum cubitorum) advertere poſſit geſtus lamentabiles motusq; ſacerdotum ſummopere demiſſos, atque per illos ad ſimiles producendos vehementius commoveri, ut alii aliis conjungerentur generali humilitatis actu. 2. Ut eo in loco ſtantes, qui erat inter templum Dei & atrium populi, perinde ac *w)* interceſſores pro peccatis eorum intercedentes comparerent, vel 3. in ſignum ſummæ demiſſionis, quia ſentiebant ſe indignos eſſe plane, qui propius ad DEum accederent procul ſtantes &c. *Luc. 18, 13.* *x)* Sunt qui putant, cum ad planctum & preces vocentur poſt altare, id factum eſſe, poſtquam DEum ſacrificiis placatum jamjam reddiderant. At ſatis clare conſtat tum ex *cap. 1, 13.* tum ex hoc *v. 14.* illis nec fuiſſe nec fore ad offerendum ulla ſacrificia, eamque ob cauſam, quemadmodum antea fronte exporre-

 cta,

t) Merc. Ar. Mont. inquit eo ipſo etiam in loco liberi flere, ubi alias fas non erat. *u)* Epiſcop. Hallii Paraphraſ. *w)* Merc. Calvin. *x)* Ch. a Caſt.

cta, menteque alacri ſolebant hujusmodi perfungi officiis, ut ſunt preces gratiarumque actiones; ita ejus loco jam vocari ad ibi plorandum, cujus rei ut probabiles poſſunt adferri rationes, jamque a nobis etiam allatæ ſunt; ita nulla pro ſuperiori ſententia hic extat, quocirca nec operæ pretium duco ullam aliunde petere vel anxie inquirere Ut eo in loco fieret, a DEO erat ordinatum, hinc opus fuiſſe, nemo non videt, iis, ut id eo etiam perficerent modo, quo ab eo erat juſſum, atque ibi potiſſimum mœroris ederent indicia tam pro ſuis ipſius, quam totius populi peccatis & calamitatibus, precesque ſupplices funderent tum pro ſe, tum pro populo. Preces enim hic etiam adjunguntur, quibus indicarent non oculos tantum eorum, ſed & animum revera occupaſſe mœrorem, quodque facerent, non facere ſolum calamitatis gravitate preſſos, ſed ex merito atque ingenti propter admiſſa peccata dolore. Quocirca addit, *& dicant*, formam precandi, quidve dicere debeant præſcribens, nimirum: *Parce populo tuo Domine;* qua innuitur, tum quam graviter eos deberet movere atque afficere & illorum propria & populi conditio, tum qua ratione poſſent ſperare operamque navare, ut in gratiam cum illis rediret Deus. Dicendum erat: *parce tuo populo.* Quibus ipſi agnoſcunt, ſe obnoxios eſſe pœnis eisque maxime commeritis, & divinam gratiam ſe magnopere deſiderare, neque aliunde auxilium poſſe ſperare, quam ab eo; eum merito ad vindictam adverſus ſe eſſe provocatum, meritoque in ſe animadvertere, judiciaque ſua exercere. Varia præterea hic ſunt argumenta, quibus eum movere poterant, ut peccata condonaret atque longe averruncaret plagas, inprimis vero quod ſibi ipſe eos adſciviſſet, quod eum agnoſcerent pro ſolo vero DEO, quod miſerorum maxime doleret vices, ejusque gloria & honor inprimis in eo verteretur. Primum in eo conſiſtit, quod ipſe eos appellet ſuum populum ſuamque hæreditatem. Secundum inde liquet, quod eum debeant appellare voce יהוה *Jehovah* ex interpretatione noſtratium *Domine*, quod nomen ipſi proprium erat, neque cuiquam alii tribuebatur quam vero DEO. Tertium a ſympathia deſumtum ex eo patet, quod in contumeliam darentur gentesque illis dominarentur, ſi in judiciis ſuis exequendis pergeret parcendique nullum iniret

[illegible] consilium. Huic accedit quartum, quod nullo calamitatis fine imposito in populis dicerent, *ubi est Deus eorum?* quippe qui exinde argumentum nectere possent, non esse ipsum præstando ea, quæ fecerat majoribus eorum, promissa, vel multo deteriorem, quam verbis sua præ se ferrent, unde non nisi occasio daretur idololatris nomen ipsius atque gloriam conviciis lacessendi. Quod argumentum alias non [y] semel in S. literis adhibetur ad DEum movendum, ut se talem præberet, qualem populus ejus asserebat atque profitebatur, ne in vanum viderentur omnem suam in eo collocare fiduciam, nec inimicis integrum foret objicere, quasi fidentibus sibi nihilo plus posset conferre solatii auxiliique, quam conferebant gentium DEI suis cultoribus. Nec leve illud esse ad DEum exorandum, non tantum manifestum est ex *Mose* & *Davide* aliisque sanctimonia præstantibus viris, qui hunc in finem eo usi sunt, ut *Exod. 32, 12. Num. 14, 13. 15. 16.* &c. *Deut. 9, 28. Psal. 79, 9. 10.* & *115, 20. Dan. 9, 19.* verum & ex eo potissimum, quod ex sanctissimo ejus ore prodiit, quo nominatim declaravit, se populo suo parcere, quem cæteroquin profligasset memoriamque ejus ex mortalibus delevisset, nisi ab inimico indignationem metuisset, ne hostes illorum haberent occasionem se insolentius gerendi atque dicendi: *Excelsa manus nostra est, nec Dominus hæc omnia operatus est, Deut. 32, 26. 27.* & in eandem sententiam *Ezech. 20. v. 14. 44.* & *v. 21. 22.* Verba למשל בם גוים *Limshal bam Goim* [illegible]rat. in textu redduntur, *ut dominentur eis gentes*, similique modo etiam aliis interpretibus in genere. Ad marginem tamen adjecerunt, veluti diversam interpretationem, *ut utantur dicterio adversus eos*. Ita enim ea explanat *R. Salomon Jarchi*, qui verbum Limshal hoc loco exponens, dicit לעין משל ושנינה esse ejusdem significationis cum *Mashal veshninah*, quod etiam extat alibi, ut *Deut. 28. vers. 37.* ubi *Israelitæ* a DEO desciscentes dicuntur fore לשמה למשל ולשנינה בכל העמים *Leshammah limashal velishninah becol haammim, in stuporem, in parabolam & in dicterium apud*

---

y Id est, causabunt enim gentes verum Deum infirmitatis & mendacii, quasi aut f[illegible] tueri non potuisset. Danæus: juxta morem reprehensionis blasphemum Rabshakeh 2. Reg. 18, 34.

pud omnes populos. Ita & *1. Reg. 9, 7.* & *Jerem. 24, 9.* quibus in locis, cum nomen משל *proverbium* malo uſurpetur ſenſu, pro *convitio, opprobrio & dicterio*, eodem accipi poſſe verbum arbitratum eum eſſe in propatulo eſt, qua ratione verborum ſenſum ſatis *z)* convenienter fluere putavit. At generalior eſt, qua id accipiunt alii, ſignificatio *dominandi*, quam uti approbat etiam *Hieronymus*, ita exinde manifeſtum atque evidens id eſſe putat, quod hactenus erat dubium, ſcilicet, quinam hic intelligendi ſint calamitatis illatæ vel inferendæ auctores, locuſtæne cum cæteris noxiis vermiculis, an inimici? Indicio quippe eam cenſet expreſſionem non eſſe hic ſermonem de iſtis vermibus vel inſectis, ſed de *a)* hoſtibus illorum inter nationes. Pariter id accipit *Cyrillus*, quamvis ſatis apte de locuſtis etiam intelligi poſſe adſerere non gravetur. In recentioribus eſt *Calvinus*, qui quoque exinde huic ſententiæ fulcrum quærit, quando ait: *Ideo ridiculum eſt, quod multi putant contexi ſermonem de locuſtis*, atque abſonum plane a mente Prophetæ. At id ferventi ejus animo dandum eſt. Fuere alii, ut ante eum, ita & poſt eum, quibus argumenta ejus ad incudem vocare integrum fuit. Attamen non pauci ſunt, qui iis rejectis proniores ſunt in eam ſententiam, quod recte equidem, imo quod neceſſario de damno illo ſit ſumendum, quod ab locuſtis divino juſſu immiſſis fructusque terræ deſtruentibus iis ſit illatum, atque illæ in præcedentibus ſine dubio proprie etiam reſpiciantur. Ita id ex Judæis accepiſſe videtur *Aben-Ezra*, cum per opprobrium intelligit רעב *famem*, & verba, *ut dominentur eis nationes*, huncce in modum explicat: Nam famelici fugient ad eas, quo ſi venerint, non erit in eis robur ad pugnandum. Simili ratione *Kimchi*: *Ne des in opprobrium hæreditatem tuam, ut dominentur eis nationes* כי בשדירה רעב בארץ ישראל &c. *Quum enim eſſet fames in terra Iſrael, exibant multi ex ea, ad peregrinandum in terra Ægypti & in terra Palæſtinorum propter famem, ac dominabantur eis nationes, quum peregrinarentur in terra eorum.* Ita ut juxta hos & alios, qui eundem interpretandi modum ſequuntur, hoc modo verba fluant, ut paraphraſi ea ex Chriſtianis *b)* quidam bene expreſſit: *Parce populo tuo afferendo*

z) Mercer. *a)* Sic & Lyr. *b)* Petr. a Figur.

ferendo ab eo locustarum istam plagam, quæ si amplius desævierit & grassata fuerit, extremam inducet famem, atque ita populus tuus cogetur ad levandam famis necessitatem in regiones gentium transfugere, & apud eas pro pane servire & imperium earum, nec non opprobria sustinere, non secus ac olim in Ægyptum confugerunt & servi facti sunt. Hanc quoque approbant ex Christianis *Calvino* multo c) recentiores, multo etiam saniorem censent, nimirum, hostes quidem volunt hic dici dominaturos illis, eos tamen non esse, sed vermiculos ante descriptos, quorum damnis illatis eo usque forent redigendi, ut fame coacti contenderent ad eas gentes, iisque sese submitterent, vel in potestatem earum redigi non difficiles forent. Cæterum cum hoc versu dicitur: *fleant Sacerdotes inter vestibulum & altare*, manifesto constat, ea, quæ hic dicta sunt, accidisse, templo cum vestibulo cæterisque ad illud spectantibus adhuc integro ac salvo, ad quod Sacerdotibus adhuc dabatur accessus, atque in eo officiis muneri suo propriis defungendi libertas, quod equidem sententiæ contrarium est, qua ad tempus putat respicere *Abarbinel*, quod destructo templo elapsum est, imo ad secundum templum, conditionisque hodiernam sortem, comparans cum hac expressionis forma, quæ habentur *cap. 1, 9. 13. 14. & 16. & 14. hujus cap.* Verba quibus suam mentem prodit, eo redeunt, se non posse intelligere hæc verba, *ne des hæreditatem in opprobrium ut dominentur iis gentes* כי אם על הגלות הארוך הזה אשר אנחנו בו לחרפה בידי אדומים *nisi de diuturna captivitate, in qua nunc versamur, in opprobrium in manibus Edomitarum*, & planctum hic descriptum non esse alium, quam captivitatis שבכי העם והתאבלו בגלותם כל כך מהשנים *qua populus flevit atque mœruit captivus tot annos.* At quomodo id factum dici potest *inter vestibulum & altare?* Necessario igitur id ad ea referri debet, quæ facta sunt templo adhuc sarto tecto.

Hinc posteaquam ad generalem eos hortatus erat humilitatem, solennemque pœnitentiam, propter calamitatem, qua erant pressi, vel quam reformidabant, formamque ejus præscripserat, ne nullum putarent habitura esse ea apud DEum locum, & ut rite etiam peragerent,

c) Piscat. Mercer. Drus. Tarnovius.

rent, quæ jusserat, proximis declarat verbis, haud sine prospero fore effectu illorum actiones, eumque tam certo illas secuturum, ac si jamjam præteriisset.

18. Tunc zelabitur Dominus terram suam & miserebitur populi sui.

Ita quidem nostrates & alii nonnulli hæc verba tempore futuro interpretantur, *zelabitur* &c. *miserebitur*, cum eodem etiam extent hebraica ויקנא *yekanne* & ויחמל *jachmol*. Verum cum illis præfixa sit conjunctio ו ve *&*, quæ plerumque in præteritum commutat tempus futurum, quibusdam etiam placuit ea præterito tempore exprimere, *zelatus est*, *misertus est*. Ita *Chaldæus* וחס & ורחים *pepercit & misertus est*. Græc. καὶ ἐζήλωσε & καὶ ἐφείσατο, *zelatus est & pepercit*; & Syrus ܘܛܢ *Utan*, ܘܚܣ *Uchos*; & Arabica utraque وغار *wagara* وشفق *washaphaka*, cuncti versioni Latinæ accedentes *& zelatus est & pepercit*; *Duacens. and our Lord hath been zealous, and hath spared.* Et ex recentioribus etiam quidam, ut *Munster. commotus est zelo* &c. nec non *Junius* & *Tremellius*. *Tum zelotypia affectus Jehovah terræ suæ, clementia usus est erga populum suum.* Nemo est, qui hæc verba secundum regulam & prædicta ex ratione recte præterito tempore verti ambigat. Quod tamen nihilominus tempore futuro possint accipi, ex alia haud incognita evidens est observatione, quam ut alibi sat superque tradidimus, ita haud paucis exemplis etiam suffulcitur, scilicet hunc esse Prophetis morem, ut de futuris non aliter loquantur, ac si jam essent præterita, vel hanc ob rationem, quod tam certo sint futura, quæ a DEO determinantur, ut non secus ac jam revera facta jure merito possint haberi. Atque hujus generis hanc formam esse, opinio est non d) unius. Approbant eam sua interpretatione Nostrates non minus, quam e) alii. Notat ad ea verba *Aben-Ezra*, quod ad alia jam notasse dicit ante, כי דבר נגזר דהוות יאמרוהו הנביאים על לשון עבר *Prophetas f) solere*

---

d) Mercer. Drus. Ch. a Castro. Tarnov. e) In cap. 1,7. f) Ita & Abarb.

solere loqui de re, quæ decreta est, ut sit, per tempus præteritum. Hinc moveri vult *Piscator* versionem *Junii & Tremellii*, *jam zelotypia affectus est* &c. ita: *tunc zelotypia afficietur & clementia utetur; quia ipsa sententia hic significationem futuri postulat*, etsi regularis sit alterius constructio & ex usu conjunctionis ו, quæ voci præfixa est. Attamen in contrarium hic it doctissimus *Livelus*. Censet enim, Prophetam hic non ostendere, *quid facturus aut dicturus sit Deus, sed quid jam dixerit aut fecerit*, nimirum, quod resipiscentia facta illisque ritibus, ad quos hortatus erat eos, recte peractis se ipsum ostenderit zelosum pro terra illorum atque benignum, auferendo ea quæ imminebant judicia, ita ut duo his verbis significare voluerit Propheta, & a DEO admonitos *v. 12.13.15.16.* jam resipuisse eaque omnia fecisse, ad quæ eos hortatus fuerat Propheta; & DEum ipsum ab illis removisse mala, quæ peccatis sibi accersiverant, atque liberationis multorumque bonorum promissionibus eos solatum esse. Quod ipsi moveri potest dubium ab objicientibus, nullam hujus eorum resipiscentiæ publicæ, congregationis in hunc finem solennis & jejunii celebrati in sacris literis esse mentionem, nullius plane arbitratur momenti, cum multa sint loca, in quibus talium reticentia occurrit, quæ facta esse nemo in dubium vocare potest. Exempli loco adducit *Jesaiam*, quem jussit DEus *Esa. 7.3.* &c. ut cum filio suo *Shear-jashub* ad *Achazum* se conferret, quod ut factum fuisse nemo ambigit, ita nulla plane hujus facta mentio. Sic cum *Mosi* præceptum erat, ut ad Pharaonem iret, eique & servis sui colluviem animalium immissum iri denuntiaret, nisi populum Israeliticum dimitteret, statim nulla facta mentione ejus, quid fecerit Moses vel responderit Pharao ibi *v. 24.* sequitur, DEum illam colluviem immisisse. Itaque subintelligendum putat: hæc DEI mandata cum Moses ad Pharaonem pertulisset, illeque obtemperare renuisset, *tunc advenit a Jehova colluvies* &c. Quæ omnia utut asserat, ita tamen modeste satis his verbis claudit *Hæc mea* [illegible] *intelligendi sententia est, quam a doctioribus expendi cupio.* Idem forte an sentire videatur *Hieronymus*, qui antiquior multo est eo, cum omnia quoque tempore præterito interpretatus sit. Nec certum habeo, num ab aliquo alio hæc sententia ad me[illegible] un-

quam ſit vocata. Noſtrates, ut & ſequentium temporum alii, qui dubio procul ejus ſententiam ſciverunt, futuro tempore, quæ hic dicta ſunt, accipiunt, prophetiamque ejus, quod futurum erat, potius habent, quam narrationem præteritorum, etſi propter *g)* certitudinem ita exprimatur, quod notatum eſt antea, ut revera actum eſſe putares: Etenim non eſt temporum apud DEum ulla diſtinctio; quod facturus eſt, non eſt ſecus quam jamjam factum, omnia ei ſunt præſentia, & quod futurum eſt non eſt, aliter, ac ſi fuiſſet. *Tunc zelabitur Dominus terram ſuam* ויקנא יהוה לארצו *zeloſus* erit, i. e. magno affectu afficietur, ita, ut quod noxium, quod damnoſum ei, procul ſit remoturus, quodque in bonum ejus cedat, procuraturus, *h)* deſtructioni æque ac inimicorum opprobriis tandem imponendo finem. Perſpectum eſt *i)* obſervatione linguæ hebraicæ peritis, in bonam partem accipi hoc verbum, quando conſtruitur cum præfixo ל *le*, ut hoc loco, atque denotare, ſollicitum eſſe de ejus ſalute, de quo uſurpatur; in malam vero partem ſumi, quando conſtruitur cum præfixo ב *be*, ſuſpicionemque mali notare in eo, qui zelotypia afficitur, vel, alicui male velle. Quantumvis vero alibi ita uſurpetur, ut etiam ſignificet *invidere, æmulari*, manifeſtum tamen eſt, hic non niſi benignam in eum denotare voluntatem, de quo dicitur. Apprime itaque ejus ſententiam exprimit Chaldæus per וחס *& Dominus pepercit.* Hujusmodi autem verba, quæ paſſionem vel animi affectum notant, cum *k)* DEO tribuuntur, non ſignificant, ut alibi, ni fallor, notatum eſt, eum talibus eſſe obnoxium affectibus, quibus homines ſunt obnoxii; ſed quos effectus in hominibus plerumque habent tales affectus, iidem nobis humano more exlabentur hujusmodi loquendi formulis in Deo. Quocirca *zelotypum eſſe* hic nihil aliud eſt, quam benevolentia ac favore eam terram proſequi. Quod ut ex prædictis de verbi conſtructione aliquatenus patet; ita magis adhuc conſtat ex altero ei adjuncto verbo, *& miſerebitur populi ſui* ויחמל על־ עמו Quo quidem innuit, ſe pro juſta ſua ſeveritate, quam commeriti erant, eos non eſſe tractaturum, ſed ſeria pœnitentia facta commiſſa

g) Abarb. *h)* Kimchi. *i)* Aben Ezra in Zach. 1, 14. *k)* Calv. Fr. a Fig.

[illegible] benigne condonaturum, malaq; commerita longe remoturum: [illegible] futurum ex eo magis confidere poterant, quod talibus utatur [illegible], qui relationem propiorem notant, quibusque [illegible] eos [illegible] asserit, ut majorem adhuc eorum videatur habere curam, quam [illegible] alius populi, dicens, *suam terram & sui populi.* Unde non poterat non animus iis accedere, fore ut peculiari modo iis etiam succurrat, benignitatemque largam exhibeat non solum auferendo ab iis mala, quo quidem maxime videtur hic versus respicere, sed etiam largiendo bona, ut pluribus id declarat versu sequenti.

19. Et respondebit Dominus & dicet populo suo: Ecce, ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & satiabimini eo, & non amplius vos dabo in opprobrium in gentibus.

Vertit hic rursus Vulgatus cum cæteris, *respondit* &c. Et *Hieronymus* utrumque versum exponens in hæc verba scribit: *Zelatus est [illegible] terram suam, quam prius quasi alienam contempserat, & passus [illegible] vastante populari, & in tantum pepercit pœnitentibus, [illegible] sua [illegible] dixeritque* &c. Verum uti plerique [illegible] tentibus, quod [illegible] ante, *zelatus est & misertus est* ponitur, pro zelabitur & miserebitur, ut habent nostrat.; [illegible] iterum respondit &c [illegible] pro, *sine dubio, sine mora vel dilatione respondebit* &c. præcedentibus scilicet, eo quo par erat modo, [illegible] quæ antecedentibus versibus ab illis [illegible] in pœnitentiæ infucatæ testimonium, quibus faciendis se populum [illegible] poterant. Quid responsurus & dicturus vel compensaturus [illegible] eis, ex sequentibus liquet: *Ecce ego mittam vobis frumentum, [illegible], & oleum, & satiabimini eo.* *Ecce*, cognoscite quod confestim [illegible] certo sim compensaturus, etsi nullus [illegible] contra [illegible] *[illegible] frumentum* &c. Quam tempestiva & præsenti [illegible] statui conveniens adeoque grata fuerit responsio [illegible] se reversurum revertentibus illis, locumque accedentibus daturum,

[illegible] Calv.

turum, ex iis non obscure patet, quæ in hoc libro hactenus sunt descripta. Præcedenti enim capite v.4. dicitur. *Quod reliquerat [illegible] comedisse locustam, & quod reliquerat locusta, comedisse melolontham, & quod reliquerat melolontha, comedisse bruchum.* Et v.4. *M[illegible] e[illegible] ex illorum ore, vites fuisse dispositas in vastitatem* &c. v. 7. & v. 10. &c. *vastatum frumentum, mustum exaruisse, oleum l[illegible], m[illegible] perisse, omnes arbores agri aruisse,* tantamque rerum inopiam [illegible] ea omnia esse factam, ut non tantum gaudium ex plena fructuum ad vitam spectantium perceptione in eos redundaturum exaruerit a [illegible] hominum; sed & sacrificia & libamina cohibita fuerint, a domo DEI, lætitiaq; & gaudium exscissa *v.16.* quid? quod jumentum ingem[illegible] & perplexa essent armenta boum, quia nullum erat pascuum e[illegible] &c *v.18.* &c. Quibus expressionibus quid aliud innui censendum, quam usque adeo ad incitas hujusmodi annonæ caritate & extrema fame illos fuisse redactos, ut ad levandam famis necessitatem ad aliam gentem confugere coacti sint in summum sui opprobrium, quasi DEum non haberent, qui ipsis auxilio esse posset, *c.2.v.1[illegible]?* Quid igitur gratius, quid magis conveniens & tempestivum accidere potuit hominibus tam deplorata conditione immersis atque animo pœnitenti a DEO solatium petentibus, quam quod summa asseveratione affirmat Propheta, fore, ut a DEO consequantur certam ac celerem conditionis suæ immutationem, qua [illegible], qua nunc laborabant, inopiam in plenam omnium bonorum [illegible] perceptionem, non tantum ratione ac mensura competenti, sed ad satietatem usque, ita ut ad alios confugere auxilii causa non foret opus, modo ut in DEum omnem collocarent spem, & fiduciam, qui [illegible] omni defectui explendo sufficiens esset? Dicit, DEum illis m[illegible] esse *frumentum, & vinum, & oleum,* quæ omnia necessaria sunt ad vitam & tam jucundam, eaque tanta copia, ut ad satietatem [illegible] suppetentibus *m)* quibusvis necessariis tam ad privatum ip[illegible] tum ad sacrificia, oblationes juxta ac libamina in domo DEI, lætitia ac summo gaudio persolvenda. Nec amplius gentium [illegible] [illegible] expositi, nec apud eas pro pane inservient, ne [illegible]

[illegible]

m) Vide v. 26. n) Ut dispergantur ad quærendum panem. Ab. Esra in Lament. [illegible].

tamquam illis essent tanquam populus indigens, cujus DEus non par esset succurrendo, vel quo plane deseruisset. Ita enim hæc reddit Chaldæus, *neque dabo vos amplius* חיסודי כפנא opprobria famis inter populos, id est, ut *R. Salomon* hoc exponit שיקראו אתכם חסירי לחם *ut appellent vos pane carentes* (vix omnibus hærentes). Quod vero hic est, *mittam vobis frumentum & vinum*, Chaldæus interpretatur, *ecce benedico* (vel benedicam) *vobis frumento & vino & oleo*, quod ita explicat *Kimchi: faciam vobis germinare arbores agri & herbam terræ.* Quod ut fieret, necessarium erat, ut, quæ damnum intulerant vel essent illatura fructus destruendo, cohiberentur vel removerentur, ne quid amplius obstaculi esset, quo minus promissis eis fruerentur. Atque eo inprimis spectat versus sequens, quo nominatim promittit, omnia se esse remoturum, quæ hactenus toleraverant aut toleranda saltem imminebant.

20. Et procul removebo a vobis exercitum ab aquilone, & compellam eum in terram aridam & desolatam, faciem ejus ad mare orientale, & extremum ejus usq; ad mare extremum, & fœtor ejus ascendet, & malus odor ejus ascendet, quia patravit magna.

Exercitum ab aquilone) ואת הצפוני *Et hatsephoni, ab aquilone*, hoc enim verba continent, quibus adjecere *exercitum* nostrates, quem intelligi hic putarunt, ut diverso imprimendi charactere significarunt. Quod tamen in quibusdam aliis translationibus non occurrit, Græcis ea interpretantibus τὸν ἀπὸ Βοῤῥᾶ. Vulgat. Lat. *eum qui ab aquilone est*, Syr. ܘܠܗܘ ܕܡܢ ܓܪܒܝܐ Arab. impress. والذي من الجربيا quod sic vertit Lat. *eum qui est ex aquilone*, (quamvis verba ita proprie forsitan non habeant) MS. Arab. אלכראסאני *eum qui est a Chorasan.* Vindictæ suæ instrumenta, quæ in præcedentibus describuntur, vocaverat DEus *exercitum suum*, hoc loco additur ei epitheton *ab aquilone*, quod valet, vel qui veniebat ab aquilone, vel qui versus aquilonem erat collocatus.

Exin-

Exinde igitur magna inter interpretes orta est *o)* dissensio, quinam potissimum sint intelligendi, locustæne & hujusmodi vermiculi tanta multitudine eos infestantes, fructusque terræ devorantes, an hostes terram invadentes spoliantesque. Ita *R. Tanchum* נכנה אלי צפון *appellat eum ab aquilone;* vel vocatur aquilonaris قـــل
لأن مجـيـئـه اعـنـي الجـراد مـن جـهـة الـعـراق
ceu est (ut a quibusdam dictum) *propter adventum suum*, nempe, adventus locustarum erat a parte Erak (vel Chaldææ) وكـذلـك
كان مجـي الـعـدو ان كـان مـثـالا لـه *at*
ita erat adventus hostium, si cum illis conferuntur. Pari modo *R. Salomon dicit*, exponi posse de exercitu locustæ, vel alia ratione, de populo veniente ex Aquilone Regum *Assyriæ*. Nec *Cyrillus* longe ab his abit, cum de Assyriis exponat, qui versus aquilonem habitant. Ac tamen subjungit, si quis de locustis accipere velit, quatenus ex ab aquilonaribus Judææ partibus veniunt, nil esse quod hanc expositionem possit infringere. Verum alii sic unam approbant, ut alteram plane rejiciant. Inter Judæos est *Abarbinel*, qui ut totus in eo est, ut annotavimus ante, ut de hostibus omnia exponat, ita epitheton hoc congruere putat *Assyriis, Babylonius*, & *Romanis*, quorum duo priores magis ad euro-aquilonem, posteriores ad caurum respectu Judææ habitabant, eosque omnes hac voce comprehendi statuit, ac damni quicquid Judæis illatum, ab eis esse illatum, nequaquam a locustis aliisque ad literam descriptis insectis, quodque hic dicitur futurum, factum esse jam prioribus, & futurum posterioribus (populi.) Sunt autem *p)* alii, qui Assyrios hic tantum denotari arbitrantur, qui *Sennacherib* Duce terram invadebant tempore *Hezekiæ*. *q)* Alii *Chaldæos*, qui Judæos in captivitatem abducebant; *r)* alii *Assyrios* duce *Holoferne*, quorum eadem omnium horum denominatio est respectu ad terram Israelis habito. Verum quascunque etiam quisque pro sua senten-

o) Chaldæus [illegible] *populum.* Al. *inimicum.* Pisc. alii *exercitum.* Pa[illegible] [illegible] Theod. Arabicana ex Gener. adjicit, i. e. Assyri[illegible] *q)* [illegible] a Cast. *r)* Vide sis eundem & Riberam.

ſententia adducat rationes, adeo apte tamen dictis præcedentibus æque, ac ſequentibus. Prophetæ non convenire videntur, quam quæ aliorum eſt non minus eruditione inſignium virorum, qui non niſi locuſtas, cæterosque prædictos vermiculos hic denotari volunt. Hos enim & *Aben-Ezra* & *Kimchi* (quos *s)* alii ſequuntur) dici autumant הצפוני *ab aquilone*, quod venirent מפאת צפון *ex angulo aquilonis*: (quamvis ex eo argumentum petat *Hieronymus*, de Aſſyriis hoc dici, non de locuſtis, quod ab auſtro eæ verius veniant quam ab aquilone) *t)* alii tamen ſatius putant intelligi earum eam partem, quæ occupaverat latus aquilonare *Hieroſolymæ*; vel aquilonarem partem illarum, quas dicit, *procul ſe remoturum ab eis, & compulſurum in terram aridam & deſolatam*, id eſt, commentantibus *Ab. Ezra* & *Kimchi*, in terram, ubi morientur, quia ibi non invenient, quo veſcantur, nimirum in *Arabia* deſerta, *Bocharto* autore, Junius & Tremellius intelligunt per eum *ab aquilone, partem quam in Aquilonem a regione veſtra depulſurus ſum*, locoque ejus, quod in textu eſt, *compellam eum*, reddunt *depellam ex eo*, i. e. ex eo exercitu, ad partem ſcilicet meridianam, ubi eſt deſertum illud horrendum, de quo *Deut.* 8,15. At meridianæ earum partis hic nullam extare mentionem *Bochartus* regerit, quia, cum Hieroſolyma ſita eſſet in extrema meridiana parte terræ *Canaan*, *paucæ erant reſpectu urbis & ſub aliis comprehenſæ*, ita ut hæc verba *compellam eum*, ad aquilonarem ſpectent partem, cujus injecta eſt mentio, & ſequentia cum facie ejus ad mare, ad eam illarum partem, *quæ ad mundi faciem*, i. e. ortum. Quod hic hebraice eſt, *ejus faciem*, *Junius* & *Tremellius* reddunt, primum agmen; eam autem partem dicit ſe compulſurum ad vel in *mare orientale*, i. e. in mare mortuum, quod Hieroſolymæ ad orientem erat, vel ut alii, in lacum *Genezareth* vel *Tiberias*. Quod autem *ad poſtremum ejus*, cum aliis innui putat *occidentalem ejus partem*, eamque depulſurus eſt in *extremum mare*, i. e. *occidentale ſeu meridianum*, quo quæ venturæ erant, eſſent perituræ, omnesque interituræ; *& ejus fœtor*, inquit, *aſcendet*, & צחנתו *Tſachanato malus odor aſcendet*, quæ poſtrema vox alibi in Sacris literis non invenitur.

Bb Quia

s) Druſ. Caſtal. *t)* Jun. Trem. Livel. Bochart.

Quia vero cum priori באשׁ, cujus significatio usitatior est, conjuncta est, apparet (quod *u)* Rabbinis observatum est) ejusdem fere cum illa significationis esse, ita ut hoc loco [illegible] *sensus sit duplicatus*, vel eadem res diversis expressa verbis, ut [illegible] dicit, & ab omnibus fere interpretibus pro malo & fœtido odore sumitur, exceptis Græcis eorumque *w)* interpretibus, qui in quibusdam exemplaribus habent *ὁ βρόμος αὐτοῦ sonus ejus*, quod tamen librariorum culpa factum esse *Bochartus* censet, cum debuissent scribere *x)* βρῶμος; quam antiqua quædam exemplaria habuisse non obscure liquet ex Arabic. impressa, quæ ex iis est versa, quippe quæ habet ويصعد نتنه وترتفع رائحته *& fœtor ejus ascendet, & odor ejus attolletur.* Quibus equidem nihil aliud innuitur, quam magnum illarum numerum iis in locis periisse aut fame necatum, aut in mare præcipitatum, quarum deinde cadavera ejecta fuissent in littus, id quod evenire locustis ex multis fide dignis Auctoribus usitatis & ex illis a *Bocharto* citatis constat. Sufficiet in præsentiarum, opinor, si, quod narrat *Hieronymus*, in medium adducam. Dicit enim, se suo tempore vidisse agmina locustarum & obtexisse Judæam, *quæ postea vento surgente in mare primum & novissimum præcipitata fuerit.* Paucisque interjectis ita pergit: Cumque littora utriusque maris acervis mortuarum locustarum, quas aquæ evomuerant, implerentur, putredo earum & fœtor in tantum noxius fuit, ut aerem quoque corrumperet, & pestilentia *tam jumentorum quam hominum* gigneretur. Ex quibus facile intelligi potest, quid minantia hæc DEI verba contineant & qua ratione velit agere cum vindictæ suæ instrumentis antea descriptis, si ad literam ea intelligamus de locustis atque similibus vermiculis, quorum nomina in prioribus sunt tradita. Qui de hostibus ea exponunt, verbi gratia de Assyriis, Chaldæis, Romanis, vel id genus aliis, ut vidimus hanc eorum descriptionem ad literam difficulter admodum exponere possunt. Quicunque autem hoc *exercitu ab aquilone* (ut nostr. vertere collibuit) intelligantur, quæ etiam harum expressionum interpretationes

u) R. Sal. Ab. Ezra. *w)* Vide Cyrillum. *x)* Vide Drusii Conjectanea.

tiones demum dentur, planum est atque perspicuum, DEum minacibus his suis verbis promittere populo vere atque sincere pœnitenti, se eos esse ab illis liberaturum atque immunes redditurum ab omni, quæ imminere iis amplius videretur, clade, quanta & quam gravia hactenus illis etiam intulerant supplicia, quod in posterum, ut crederent etiam, eum esse facturum, DEus ipse suam interponit magnam potentiam. Eo enim cum primis spectant verba sequentia כי הגדיל לעשׂות quæ nostrat. in textu interpretati sunt, *quia patravit magna*, & in margine, ad literam verius, *quia magnificavit facere*. *Anglica*, quæ ex Geneven. confecta est, *quia exaltavit se ipsum ea faciendo*, ut & altera antiqua Anglicana versio cum quibusdam aliis linguis diversis, quæ etsi in exprimendi ratione nonnihil differant, facile tamen inter se conciliari possent, modo in eo convenirent, de quo hic sit sermo, quidve innuat particula כי *Ci*, quæ hujus clausulæ prima vox est, & priorem versus partem cum posteriori connectit. Etenim non una hujus particulæ est acceptio, quarum, quæ ad institutum nostrum aliquid faciunt, hæ inprimis sunt: *y*) *Quia, cum, postquam, etsi, quamvis*. Nostrates & plerique alii eam hic accipiunt significatione prima, scilicet *quia*, atq; sic videtur rationem exponere, cur DEus eo velit agere modo, quo in præcedentibus dixerat. Tunc vero dissensio inter interpretes oritur, cuinam sequentia debeant applicari, hostibusne, an loslis vel Deo, & quisnam horum dicendus sit patrasse magna, aliis alteram, alteram aliis defendentibus. Qui hostem in præcedentibus ubiq; spectari putant, sive Assyrium & Chaldæum, s. alium, de eodem & hoc loco sermonem esse, autumant, rationemq; in illis reddi, cur DEus in eum ita animadvertere velit, ut in præcedentibus dictum est, scilicet quia patravit magna, vel magnificabit facere, velut Vulgatus habet, *quia superbe egit*, & a DEO cum esset missus ad populum castigandum, *z*) crudelitatem suam ipsius citra modum exercebat & petulantia quavis, effrenataque insolentia utebatur omnia ex sua, non alterius vi & potentia, ratus se inferre & facere. Quæ interpretatio ut satis videtur conveniens verbis; ita *a*) dubium haud mediocre nectit

Bb 2 illis,

y) Vid. Schindl. Nold. Conc. *z*) Esa. 47, 6. *a*) Lyra & Pet. a Figur.

illis, qui a locustis stant, non posse de iis proprie dici superbiæ atque insolentiæ esse reas, *superbe agere*, vel *magnificare se*, vel suo arbitratu hæc fecisse, cum nonnisi ductu naturæ agant, quocunque veniunt, vel a DEO mittuntur, ut judicia sua aliquandiu exequantur. Unde colligere absonum plane non est, quosdam inde esse inductos, cum præcedentia non nisi de locustis exponant, ut ad eas hæc non referant, sed ad DEum, cujus nomen hic subintelligendum volunt, uti versu sequenti exprimitur cum iisdem adjunctis verbis, verbumque הגדיל *patravit magna*, exponant tempore præsenti, *patrat*, vel futuro, *patrabit*: Atque hujus opinionis sunt viri haud mediocri eruditione conspicui. Sic equidem *Junius* & *Tremellius*, *quia magnifice Jehovah agit*; cujus loco *Piscator* substituit, *aget*, & *Castalio*, *tam magna ille faciet*, ad marginem notans, *scilicet Jehovah*, de quo, cum sermo incideret, *Lively* inquit, *quod valde probo*. At immanis est, qua laborant verba, hac ratione sumta, anomalia, quippe tunc prima persona mutatur in tertiam, nimirum cum initio versus sit, *ego removebo*, &c. *clausula habet*, *ille faciet*: Quod cum *Drusius* vidisset & ad incudem revocasset, eos, dicit, *b) ideo non esse secutos*, *quia c) Hebræi omnes in locusta consentiunt*, & Chaldæus Paraphr. *Jonathan* interpretatur, *quoniam multa mala patravit* (ארו אסגי למעבד בישין) Quapropter de locustis ea cum non paucis aliis intelligit, de quibus Vulgat. *quia superbe egit*; quæ interpretatio si sequenda, verba metaphorice intelligenda esse notat *d) Pet. a Figue*, quia superbia in locustas non cadit; atque tunc nihil aliud significant, quam quod alii ad literam magis expresserunt, *fecerunt magna*: quo etiam spectat, quod olim observavit *Ruffinus*, *superbe eum egisse pronuntians*, *haud vitium mentis*, *verum magnitudinem calamitatis expressit*. At quare, qui a DEO missus erat ad hoc faciendum, quique hoc faciebat non ex ulla sua ipsius mala intentione, erat puniendus, *quia* hoc faciebat? Ad hanc litem dirimendam statui posset particulam כי *Ci*, quæ hic vertitur, *quia*, non adeo præcise respicere ad verba immediate præcedentia, *removebo* &c. & *compellam* &c. sed & ad ea simul quæ præcedunt, quibus

b) Drus. *c)* R. Sal. Ab. Ezra. Kimchi. *d) Id quod de locustis metaphorice intelligitur, quibus proprie non convenit superbia.*

quibus dicitur: *Dominus zelabitur suam regionem & miserebitur populi sui.* Atque sic tanquam effectus gratiæ & misericordiæ suæ futura erat remotio horum instrumentorum a sua, quam intulerant, clade, quia patraverant magna, imo tanta, quantis volebat terram suam atque populum affligi. Hæc etiam videtur sententia Kimchi, qui in hæc verba commentatur: כי הארבה הגדיל לעשות רע בארץ והאל ית' ריחם על הארץ והמיתו *quia locusta magnificavit facere malum in terra, at DEus benedicendus misertus est* (vel miserebitur) *terræ & occidit* (vel occidet) *eam.* Quod quasi uno ictu omnem præcidit objectionem, quam faciunt illis, qui a parte locustarum stant, etiamsi כי *Ci* vertatur, *quia.* Verum enim vero sunt alii qui multo planiorem autumant evadere sententiam, si aliarum significationum quædam substituatur, *postquam* vel *etiamsi*, quarum primam approbat vir admodum Reverendus *Diodati*, qui Italice reddit: dopo che haura fatte cosa grande, *postquam fecit magna.* Alteram vero Reverendus e) *M. Gatakerus*, qui ita mentem suam prodit: *quamvis magna gesserit, locustarum scilicet agmen illud, exterminabitur tamen, & internecioni dabitur, fœtore solo pene relicto.* Nec video quid adversus harum quamvis excipi possit, quin insigniter æque omnes conspirare atque eo inprimis redire statuendum; etsi hæ noxiæ creaturæ a DEO ex justa ira immissæ, ad vindictam sumendam de terra propter peccata populi, magna ei jussu ipsius intulerant damna, eas tamen non plus potuisse inferre quam DEus permittebat, quocirca postquam magna patraverant, quæ merito injiciebant populo timorem, atque diutius ea in re perstare volebant & exitio vastatique nihil non dare, DEum tamen resipiscentia illorum permotum, ut ostenderet ad se eas spectare, suum exercitum esse & non nisi jussu suo ea peragere, non permissurum esse ut noxæ quid amplius inferrent, sed eas ita esse remoturum, repensurumque, quod dederant, damnum, ut populus ei reconciliatus non haberet quod amplius eas timeret. Quoniam vero tam terribiles eas hactenus senserant, denuo tali opus erat ad fidem faciendam iis asseveratione, qualem habemus in verbis sequentibus. Antequam autem eam propius

 inspi-

e) In Adversariis.

inspiciamus, non abs re fore arbitramur digressionis loco adjicere, quasdam allegoricas expositiones, quas inde arcessunt quidam atque inter eos *Cyrillus*, qui ea interpretatur de Christo, quatenus ex nobis expellit τὴν ἀκρίδα τὴν νοητὴν, locustas mentem nostram occupantes, i. e. eas Dæmonum legiones, quas in orco ita conclusit, ac si in mare præcipites dedisset, fœtoremque eorum reddidisset odiosum, qui antea adeo non erat cognitus; inprimis vero, quam nobis tradit *Kimchi*, *f*) aliique notant ab antiquis Judæis esse relictam, nimirum, ea verba spectare ad adventum Messiæ ac per הצפוני *Hatsiphoni*, (quod utplurimum redditur, *eum qui a septentrione est*) denotari (juxta aliam, quam vox fert, significationem) *absconditum quendam*, id est, secundum illos יצר הרע שצפון ועומד בלבו על ארבם, *figmentum malum*, quo plerumque intelligunt, *malam concupiscentiam*, *naturalem corruptionem*, *vel peccatum originale* (*malum genium*) *qui absconditus est & stat in corde hominis*, & per ea, *Expellam eum in terram aridam & desolatam*, locum ubi non inveniuntur homines להתגרות בהם *ad contendendum cum illis*; & per *faciem ejus ad mare Orientale*, conjecisse eum oculos suos in primum sanctuarium & vastasse illud; & per *extremum ejus usque ad mare novissimum*, conjecisse eum oculos suos במקדש שני והחריבו *in secundum sanctuarium & illud vastasse & occidisse discipulos sapientum qui in eo erant*, & quando dicitur: *Et ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus*, *idem esse ac* שבניח אומות העולם ומתגרה בשונאי ישראל, *sinit quiescere gentes seculi & contendit cum osoribus Israelis*, (i. e. cum *Israele*, quod ex eo cum primis apparet, quod vocem שונאי *osores* omiserit *yalkut*, ejusque loco habeat בהם בישראל cum illis, i. e. cum *Israele*.) Denique *patravit magna*, juxta *R. Abr.*, denotare ומבתלמידי חכמים יותר מכולם *eum magis esse occupatum in discipulis sapientum, quam in reliquis omnibus*. Hactenus allegorica expositio veterum Rabbinorum a *Kimchi* citata, quæ ut mihi persuadere minus possum ad literam eos tali modo exposuisse, quamvis vox צפוני æque significet *absconditum* ac *aliquem a septentrione*, ita & ineptius esse minus censeo, quam apte, ut ostendam, hæc periphrasis verbis

f) Talkut R. Salom.

bis conveniat, neque quam belle sese habeat, quem ex iis eliciunt sensum. Id tantum unum adjicere expedit, si ingenue largiantur hæc verba non nisi ea complecti, quæ tempore Messiæ futura erant ad subigendum inimicum absconditum, *qui se abdit, excidit, & bellum excitat in corde hominis*, omnino ea tempore Christi Domini nostri per eum factitata esse dicendum, ita ut eum solum verum esse Messiam vel ex his colligere possimus, nec ullum alium unquam expectare venturum opus habeamus. Ejus enim unius doctrina docti sumus, ac per gratiam ejus capaces redditi, ut exuamus veterem hominem, qui per fallaces corruptus est concupiscentias, atque merito vocatur יצר הרע *jetser hara, innata corruptio*, quam per הצפוני *absconditum* (ut reddunt) intelligi volunt; *& renovemur spiritu mentis nostræ, & induamus novum illum hominem, qui secundum Deum conditus est in justitia & sanctimonia vera, Ephes. 4, 22. 23. 24. Nam cum eo vetus ille homo crucifixus est ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato, nec peccatum regnet in nostro mortali corpore, ut auscultemus ei in cupiditatibus corporis, neque sistamus membra nostra arma injustitiæ peccato, sed sistamus nos Deo, ut ex mortuis vivos & membra nostra arma justitiæ Dei, peccato non amplius nobis dominante, Rom. 6, 6. 12.* &c. *Propter hoc manifestatus est Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli, 1. Joh. 3, 8.* Ita ut certissime atque omni ratione præstitum sit a Domino nostro Jesu Christo, quodcunque statuant Judæi his verbis innui ac tempore Messiæ requiri, tanquam verum adventus ejus indicium, adeo ut, si ex ea re adventus Messiæ certissimum colligendum est argumentum (ut sua expositione videntur confiteri) meræ sit in iis pertinaciæ signum, si inficias ire adhuc volunt. Hanc eorum expositionem oppugnat *Ribera* congruamque minus eam censet, primo quia de hostibus exteris cum diu sermo fuerat, *tsephoni* non potest reddi *absconditum aliquid, aliquid naturale* sive *familiare in illis*, ut est ea naturalis concupiscentia; deinde quia videntur expectare, ut Messiæ tempore hoc innatum originale malum protinus expellatur ex corde hominis, quod sanæ doctrinæ contrarium est. At in eo mihi videtur mentem eorum pervertere, cum inter eos hoc vulgatissimum sit atque decantatum, quamdiu pii sint victuri הם

נלחמים

נלחמים עם יצרן certamen ſibi fore cum ſua ipſius concupiſcentia; unde luculenter ſatis eluceſcit, nil aliud ſententiam illorum ferre, quam quod id temporis plus roboris atque virium ſint accepturi ad id oppugnandum & ſubigendum. *Arias Montanus* vero & hanc ſententiam optime congruere verbis, & eo modo intelligi poſſe putat, uti diximus. Si quis tamen ſecus cenſeat cum *Ribera*, non eſt quod hac in parte cum eo contendamus, illo potiſſimum verborum ſenſu contenti, qui preſſius adhæret literæ, cum tam manifeſtum nobis ſtatim hoc ipſo in capite occurrat teſtimonium de Chriſto, ut & litera ſtricte retenta negari non poſſit. Hinc a literali expoſitione, quam antea horum verborum dedimus, tranſeamus ad ea quæ ſequuntur v. 21.

21. Ne timeas terra, exulta & lætare: Nam Dominus faciet magna.

Quid aliud poterant quam omnis generis mala timere, qui ante audiverant tot horrenda ſupplicia prædici, quæque vel initia ſua jam ſumſerant, vel neceſſario erant ſumtura *v. 1.* jubebantur *omnes etiam habitatores terræ tremere propter diem Domini;* & hic dies appellatur *v. 11. vere terribilis.* At contraria prorſus ratione hic agitur, qua jubentur non tantum *non timere*, ſed & *exultare & lætari.* Quod tantam conditionis atque ſtatus ipſorum infert immutationem, reſipiſcentia erat, quæ exigebatur ab iis, *v. 16. 17.* rite peracta ac præſtita. Quamdiu juga detrectare pergebant Domino, eumque inimicum habebant, ratio erat atque occaſio continuo timendi, *flendi* & *ejulandi (cap. 1, 5.)* & *lugendi*, nec aliud quid tunc temporis monebantur; at poſtquam in gratiam erat reditum cum eo reſipiſcentia, jubentur *non timere*, ſed *exultare & lætari.* *Ne timeas terra, exulta & lætare.* Terra, i. e. *terra Iſrael*, ut addit explicationis cauſa *Chaldæus*, idem eſſe putat, ut porro explanat Kimchi, ac ſi dictum eſſet יושבי ה *ne timeant incolæ terræ Iſrael.* Cui non abſimile eſt, quod notat *Aben-Ezra*, vocem אדמה explanans, quando dicitur *terra luget*, pro יושבי ה *incolæ terræ cap. 1, 10.* & ita quoad vocem ארץ *terra cap. 2, 10.* contremiſcet terra pro אנשי ארץ *homines terræ.* Cum enim

enim ipſa terra, ad quam ſermo hic per proſopopœiam dirigitur, talium affectuum minus capax ſit, manifeſtum eſt atque perſpicuum, eam duntaxat dici ab omni liberari metu, atque exultare & lætari, quando occaſio ita ſeſe gerendi offert iis, quorum incolumitas, lætitia & exultatio ex ejus unius pinguetudine & proſperitate pendet. Ea enim erat quæ iis *g)* depromebat cibum, vinum ad cor eorum lætificandum, oleum ad faciem eorum nitidam efficiendam, & panem ad cor eorum fulciendum, fœnum ad jumentorum, & herbam ad hominis uſum. Exinde cum his ſimilibusque tam neceſſariis ad vivendum rebus producendis juſſa eſſet ſuperſedere, non poterat non tam triſtis rerum facies exiſtere. Contra vero cum jamjam omnem jubeatur deponere metum, ejusque loco gaudere & lætari, quid aliud innui cenſendum, quam eam rurſus expletum iri omnibus hujus generis bonis, quæ fiduciam illorum poſſent firmare animumque addere, quorum ex ea omnis dependebat ſalus. Et ne ullo pacto in dubium vocarent, quam hic eis injungit timorem abjiciendi, exultandi & lætandi juſtam occaſionem, exhortationi ſuæ addit Propheta rationem, qua ea nititur, ac non leve inde ſumit pondus. *Nam Dominus faciet magna.* Dominum poſſe magna facere, ubicunque ipſi etiam collubitum ſit, ſive cœlis ſive in terra, res erat, quæ in dubitationem eos adducere non poterat, quibus cognita erant tot ejus miranda coram majoribus ſuis patrata. Quapropter cum *magna ſe eſſe facturum* promittit, tam certo ea eſſe factura perſuadere ſibi poterant, ac ſi jam eſſent facta. Et ſi verum fateri velimus, verbum הגדיל *Higdil* proprie ſignificat, *fecit magna*, neque tantum a pleriſque antiquis, verum & a nonnullis recentioribus ita redditum eſt; ut a *Chaldæo* ארי אסגי יי למעבד a LXX. ὅτι ἐμεγάλυνε κύριος τοῦ ποιῆσαι; & a Syro ܡܛܠ ܕܐܘܪܒ ܡܪܝܐ ܠܡܥܒܕ; *Quia Dominus exaltavit ſe ipſum facere*, licet interpres latinus futuro tempore id efferat, *quoniam Dominus magnifice aget*; in verſione Arab. utraque, in MS. לאן אללה קד אעטם צנאיעה & in impreſſa لان الرب عظم صنيعه *Nam Dominus magnefecit ſua opera vel ſuas actiones.* Quos omnes

Cc ſequun-

g) Pſal. 104, 14. 15.

sequuntur etiam recentiores, & inter eos *Munsterus: agendo magnifice egit; & interlin. magnificavit Dominus ad h) faciendum;* nostrat. vero, quibuscum faciunt non i) pauci alii, malunt id futuro reddere: *aget* vel *faciet*, cum, refragante quamvis textu hebraico, non arbitrentur innui, quod jam fecerat, sed quod erat certo facturus, ratione Sacris literis ubivis ta qua, quod a DEO determinatum est, non secus pronuntiatur, quam jam jam effectum. Iisdem verbis, excepto nomine יהוה quod ibi deest, videlicet *Higdil leasolb* concluditur versus praecedens, quibus hic; quod in opinionem quosdam adduxit, eandem utriusque loci esse sententiam, subjectumque nullum aliud, quam DEum, qui praecedenti versu cum non habeatur, subintelligendus. Quod tamen minus probatur aliis, cum, quod etiam magis arridet nobis, de iis potius instrumentis putent sermonem esse, quibus DEus usus erat ad exequendum judicia sua, in populum sibi refractarium, atque ita ibi invicem esse opposita, quamvis eadem sint verba, cum ibi per באושו *Bisch im*, ut Chaldaeus exponit, intelligenda sint *k) mala*, hoc loco autem per טוב *Tobim bona.* Facile tamen differentia verborum hujus & illius loci reconciliari potest, quippe ab eodem fonte profluxerunt & bona & mala. Nimirum a DEO erant, quamvis, quod ibi factum est, malum ab hujusmodi instrumentis illatum sit, quae in hunc finem ab eo erant adhibita, hoc loco autem, quod bene factum erat, ab eo immediate oriretur. Nihil etiam refert, quod ibi de locustis dicatur *patravit magna*; quippe id propterea factum, quia potestatem hic faciendi iis largiebatur idem DEus, qui hic dicitur *fecisse magna*, quatenus non tantum ea potestate illa rursum exuebat, sed & ea ipsa quae tanta potestate videbantur armata, ab oculis omnium removebat resarciendo populo, quod se permittente dederant damnum, ita ut eadem potestas, quae inimicitiis suscepti erat causa metus, jam pace reconciliata, causa sit securitatis. Pari ratione sermonem suum ad bestias agri dirigit easdemque dulcibus alloquiis solatur, quae licet ratione careant discernendi atque causam, magnam tamen sentire poterant ut mutationem & prioris conditionis,

h) Vel *ut faceret*, in margine. i) Pagn. Tig. Cast. Jun. Trem. k) Vide Aben-Ezra, Kimchi.

nis, qua divinæ iræ cum populo erant subjectæ,& præsentis,qua gratia ejus restituta fruebantur; quocirca eas hunc in modum alloquitur:

22. Ne timeatis, bestiæ agri: nam pascua deserti germinant, nam arbor adfert fructum suum, ficus & vitis dant virtutem suam.

Dictum est supra de his bestiis agri *cap. 1,18. ingemuisse eas & perplexas fuisse*, & v. 20. *Bestiæ campi ad te clamant*,cujus rei hæc additur ratio,quia nullum pascuum erat earum,*& quia alvei aquarum exaruerant, & ignis absumserat pabula deserti.* Hic vero, ne sic pergant vocare vel glocitare, vel ut ostendatur,nullam amplius fore causam sic faciendi,jubentur deponere metum,eo quod contrario modo omnia sese essent habitura, unde sibi de necessariis possent prospicere,quorum indigentia ad tantam antea glocitationem erant impulsæ. Et quamvis alveorum aquarum hic nulla fiat mentio, patet tamen, ut *Kimchi* observat, eorum impletionem iis comprehendi formis, quibus cæteris defectibus mederi velle dicitur,in primis quando pascua deserti,quæ ignis antea absumserat,dicuntur nunc germinare. Hinc merito hoc inter *magna* habendum est DEI factum, quo tantam desolationem, qua frugifera terra in meram solitudinem,pastum & hominibus & bestiis abnuentem, erat versa,momento commutaturus erat potentia sua in *hortum Edenis*, necessariaque omnia suppeditaturus ad utrorumque & usum & voluptatem. Id enim certo futurum sat superque declarant verba. Sicuti autem arida pascua erant germinatura; ita & *arbor*,quæ supra dicitur *exaruisse cap. 1,12.* & *ficus* & *vitis*, quæ ibi quoque dicuntur *elanguisse* & aruisse,*daturæ erant suam virtutem*, i. e. dituræ uberrimos fructus, id quod omnium erat maximum, quod ab iis expeti posset. Quid igitur immutationis illis ipsis esset illaturus status rerum beneficio DEI illis reconciliati immutatus,proxime sequenti versu exhibere contendit.

23. Et exultate filii Sionis & lætamini in Domino DEO vestro: nam dedit vobis tempestivam pluviam moderate, & faciet descendere vobis pluviam, tempestivam pluviam, & serotinam pluviam in primo mense.

Filii Sionis, i. e. vos incolæ Hierosolymæ, cujus pars erat ædificata in monte *Sion.* Qui antea erant vocati, ut ad Dominum reverterentur flendo ac lugendo in pœnitudinis signum, iidem jam ad frugem posteaquam redierant, Deumque idcirco sibi reconciliaverant, jubentur exultare in Domino DEO suo. *In Domino*, non adeo in affluenti rerum bonarum ubertate, quam quod resipiscentia ea adepti essent vel adepturi, quibus hactenus, non secus ac *l)* bestiæ illæ agri in præcedentibus verbis, fuerunt privati, favoremque ejus illi conciliassent, qui illis donandis benignitatem suam erga eos renovabat sibique illos vindicabat, ut illorum DEus. Addit enim, ne ulla ratione de ejus magna dubitarent benignitate, *Nam dedit vobis pluviam tempestivam moderate* &c. *dedit*, vel ut *m)* alii, *dabit*, i. e. tam certo, ac si jam dedisset, tempore perfecto pro futuro posito ad innuendam certitudinem, ut antea vidimus.

את המורה לצדקה *Eth hammoreh litsdakah.* Quæ a nostrat. in textu redduntur, *tempestivam pluviam moderate*, at in margine addidere, tanquam aliam interpretationem, quam verba quoque ferunt: *Doctorem justitiæ;* qua ratione ea interpretatus est Vulgatus & recentiorum plerique. At variæ sunt & magnæ de iis interpretum altercationes, quæ potissimum ortæ sunt ex ambigua significatione verbi מורה *Moreh*, quod sine discrimine significat vel *doctorem*, vel *pluviam*. Radix hujus verbi est ירה *jarah*, quæ in primis triplici gaudet significatione. Primo, quæ [illegible] magis propria est, *jecit, ejaculatus* vel *jaculis petiit*. Secundo, *pluit* (destillavit). Tertio, *docuit*, instituit. Nec differt quicquam nomen derivativum מורה *moreh*, quippe primo denotat *jaculatorem* vel *sagittarium*, ut *1. Sam. 31, 3.* & *2. Sam. 11, 24.* Secundo *pluviam*, ut

l) Calv. *m)* Jun. Tremel. *Dedit, pro dabit.* Drus.

ut *Ps. 84, 7.* & hoc versu paulo inferius interpretibus quibusvis confitentibus. Tertio *Doctorem*, ut *Job. 36, 22. Esa. 9, 15. Habac. 2, 18.* &c. Quod primam concernit, non videtur ullo modo huic loco conveniens; de posterioribus autem magna intercedit inter interpretes contentio, ut diximus, utra harum sit eligenda. Si numero Auctorum standum sit, ultimam illarum cæteris esse præstituram, certum habeo. Præferunt etenim illam non tantum Vetus Latin. & qui illius versionem sequuntur, veluti authenticam, sed & alii multi recentiores, qui interpretantur vel sequuntur aliorum versiones, sive lingua latina, sive aliis vulgaribus. Ita Pagnin. *Doctorem illum justitiæ,* Tigur. & Castalio, *Doctorem ad justitiam,* Munst. *qui doceat justitiam;* nec non duæ versiones Hispanicæ, quarum una a Christiano quodam concinnata privilegio gaudet Ducis *Ferrarensis*, quæ habet, *sennador de justitia, doctorem justitiæ;* altera a Judæo, meo judicio, parata, at Inquisitoribus probata, in eandem sententiam habet, *& amostrador de justedad.* Atque eorum vestigiis qui insistunt, multi sunt, iique non vulgaris notæ ac eruditionis, ut jam nominibus illorum parcam. Quin & Judæorum non pauci eandem vocis significationem probant, veluti Paraphrasta *Chaldæus*, qui reddit אתיב לכון יתמלפכון בזכו *restauravit vobis doctorem vestrum* (vel ut alii doctores) *in justitiam*, & *R. Salomon*, qui ita hæc exponit, Prophetæ vestri המורים אתכם *qui vos docent* לשוב אלי כדי לצדק אתכם *redeunt ad me ad justificandum vos*, vel ut MS. habet אליו כדו לצדק אתכם *ad eum ut vos justificet.* Ita R. Japhet, quem citat Aben-Ezra, per המורה *Hammoreh* intelligi vult הנביא שהוא מורה צדק אותם בדרך *Prophetam, qui docebit eos viam justitiæ, ita ut bonum illis obveniat.* Pariter eam accipit *Abarbinel* verba huncce in modum exponens: *Sed vos filii Sionis, in primis præ cæteris omnibus nationibus exultate & lætamini in Domino Deo vestro; nam in eo habebitis gaudium perfectum tempore captivitatis vestræ, nam dabit vobis doctorem justitiæ (vel informatorem ad justitiam)* והוא מלך המשיח שיורה אתה הדרך ילכו בה ואת המעשה אשר יעשון *Et is est Rex Messias, qui eos docebit viam, in qua debent ambulare, & talia quæ debent agere.* Verum non æque conveniunt in eo, quinam *hoc doctore*

sit intelligendus, qui tam insigniter conveniunt in significatione vocis. Sunt qui innui volunt *n)* quosdam Prophetas, veluti *Haggæum, Zachariam, Malachiam* &c. *p)* alii *Esaiam*, alii *Regem Ezechiam*, ut *q)* Ruffinus, at plerique *Messiam* vel *Christum*, eandem omnes dum amplectuntur vocem. Ex altera parte alii sunt, tum Judæi, tum Christiani, qui potiorem habent denotationem *pluviæ*, veluti ad planiorem sensum multum facientem, atque huic loco magis convenientem. Horum non infimus est *Aben-Ezra*, qui opinione recensita cujusdam R. Japhet, ut vidimus, inquit, sententia sua מורה *Moreh* hic idem esse, quod יורה *yoreh* (quam vocem *Deut. 11, 14.* reddidere *primam pluviam*). Ita idem hic denotare quod יורה *yoreh* putat *Kimchi*, quam cum dicit *se daturum* לצדקה *litsdekah in justitia* (vel ad justitiam) *eam justitiam intelligit, quam faciebat illis, quando transibat super scelus eorum & visitabat eos pluvia.* Eidem significationi subscribit etiam *R. Tanchum*, & cum dicitur לצדקה *ad justitiam*, idem valere censet, vel quod בצדקה, i. e. بعدل لما تبتم الي *in æquitate, postquam ad me resipiscentia reversi sunt*, vel quod بلا استحقاق منكم *in gratia sine merito vestro*, vel in, vel a vobis, vel a vestra parte. Sic & MS. ex Hebraico concinnatum, الذي اعطاكم البكير *r)* للعدالة *qui dedit vobis Albakir, tempestativam pluviam ad æqualitatem* (vel justa mensura). Diversi recentiores interpretes tam in latina, quam aliis linguis hanc significationem præferunt; ita *Calvinus*, dum utriusque mentionem facit, de altera dicit: *non videtur ferre hunc sensum circumstantia loci*, cum Propheta jam loquatur ad illos de temporalibus beneficiis (non autem de spiritualibus, de quibus non disserit usque ad *v. 28.* in hisce præcedentibus vers.) ut illos veluti per gradus instrueret ad illa rite accipienda, & quod propterea hic debuerit verti per *pluviam*; cui succinunt *Junius* & *Tremellius*: *ipsum imbrem tempestivum justè*; pro quo *Piscator* reddi voluit: *pluviam tempestivam justo tempore.*

Pari-

n) R. Salomon. R. Japhet supra. *o)* Vide Ch. a Castro. *p)* Grot. *q)* Et nonnulli apud Ch. a Castro. *r)* Le[illegible] Arabs [illegible] الباكور Albacur.

Pariter *Diodati* in versione sua Italica: *e' ha data pioggia giustamente*, dedit pluviam juste. Sic & Gallica translatio Genevæ typis impressa Anno 1637. *la pluye selon justice* (nec alias deesse autumo, quas mihi neque videre neque percepisse contigit); & cum hac concordant novissimi nostri translatores, quos sequimur, ponentes in textu, *tempestivam pluviam*, quod & alii faciunt, veluti Genevenses *pluviam*. LXX. hic suggerunt differentem ab omnibus hisce aliis interpretationem, qua reddunt *τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην*, *cibos in justitiam*, (vel æquitatem) vel ut alia *s)* apographa habent, *δικαιοσύνης* justitiæ, quibus consentit Syrus ܡܐܟܘܠܬܐ ܕܙܕܝܩܘܬܐ *escam justitiæ*; Arabica autem impressa cum prioribus الأطعمة للعدل *cibos ad æquitatem*. Verum enim vero ita horum interpretatio cum *t)* quodam accipi potest, ut non alio quidem modo hæc vertisse, nec alio sensu vocem מורה *morch* accepisse, quam quatenus significat *pluviam*, dicendi sint, sed ejus loco tantummodo expressisse effectum & intellexisse causam, quatenus nimirum pluvia tempestiva interveniente ex terra proveniebant res alimentariæ, eoque pacto idem cum cæteris sensisse, qui verterunt *pluviam*.

Cæterum quam nostrates in Textu reddunt vocem *moderate*, & in margine notant propriè haberi, *secundum justitiam*, Anglicana ex Genev. concinnata vertit, *pluviam justitiæ*; Verum est adhuc alia vetus translatio, quæ recentioribus accedit: *qui dedit vobis moderatam pluviam*. Perquam cognita præterea atque usu multiplici probata significatio vocis צדקה *Tsedekah* est *justitia*, cujus tamen latitudo non tantum, quod justum & æquum est, comprehenditur, sed etiam quod benignitatis atque beneficentiæ nomine venit, imo ne *u)* veracitatis quidem notatione excepta (qua ratione Arabibus admodum frequens est & familiaris) atque harum quædam locum habere potest pro subjecta materia & convenientia loci. Quod ad hunc locum attinet, omnes æque bene ei convenire acce-

s) Inspice variantes lectiones in Bibliis Francofurt. 1597. *t)* Vide Chr. a Castro, *probat hunc eorum versio LXX. quoniam dedit vobis escas seu alimenta in justitia vel in justitiam, escas scil. quæ ex pluvia*, Morch, *proveniunt, quibus escantur & lætantur*. *u)* Veracitas. Full. Cap. Concord.

acceptiones haud temere dixeris, quippe DEus pluviam iis pœnitentibus largiri volebat, ut ipse se justum exhiberet in gratia ea præstanda, quam promiserat peccatoribus resipiscentibus. Talis vero pluvia quid aliud esse debebat, quam indicium magnæ ejus benignitatis & liberalis erga eos voluntatis, quæ decidere debebat *w) justo tempore* & *x) justa mensura* (quod nostrates voce *moderate* innuere puto) ad succurrendum illorum inopiæ; non in defectu, ne impedimento esset, quo minus produceret terra uberes fructus, qui non arescerent; nec in excessu, ne *y)* corrumperentur & putrescerent. Quamvis non desint Interpretes, quorum alii hanc, alii aliam significationem radicis in specie videantur magis magisque respicere, atque verbis exprimere; attamen omnes inter se reconciliari possunt, si reddatur *secundum justitiam*, quandoquidem sine hac interpretatione cæteræ una consistere nequeunt.

Porro ut benevoli ejus erga illos animi & benignitatis abundantiam iis declararet, proximis in verbis addit: *& faciet descendere vobis pluviam, tempestivam pluviam & serotinam pluviam:* גשם *Geshem*, pluviam, quæ vox in *z)* genere magis significat pluviam, cum posteriores duæ *moreh* tempestiva pluvia & *malkush*, serotina pluvia, eas in specie denotent, quæ certo decidunt tempore: *a)* prior quidem in vel post sementem, quæ efficit ut frumentum crescat; posterior tempore messis, quæ efficit ut ad justam maturitatem perveniat. Hinc est ut alibi etiam ita conjungantur, veluti *Deut. 11,14.* ubi distinguuntur ut diversæ pluviæ species, generali pluviæ nomine retento, præter quam quod generale nomen ibi est מטר *Mator* (quod eandem significationem obtinet apud Syros & Arabes) cum hoc loco sit גשם *Geshem*, quod indicio est ejusdem esse significationis hoc, ut diximus, cum eo, atque exinde non solum *impetuosam* denotare *pluviam* sive nimbum, ut *b)* quidam videntur suggerere; sed pluviam *c)* in genere, locoque מורה *moreh* ibi sit יורה *yoreh*, eadem cum priore significatione, quamvis litera prima diversa. Pari modo posteriores duas con-

---

w) Piscat. x) Livel. y) Vide cap. 1, 17. z) Calvin. a) Drus. b) Kimchi Rad. c) Reuchl. Concord.

conjungit *D. Jacobus epist. 5, 7.* iisdem nominibus græce eas vocans πρώϊμον & ὄψιμον, quibus LXX. hoc loco usi sunt, & a nostratibus ibi redditæ, *matura & serotina pluvia*, uti hic *tempestiva & serotina pluvia.*

Quandoquidem autem vox מורה *moreh* & forma & literis congruit cum ea, quæ paulo ante præcessit, atque omnium interpretum unanimi sententia hic pluviæ notionem obtinet, argumentum ex eo *d)* nonnulli videntur petere, quod alia sua significatione debeat accipi priori loco, nimirum *doctoris*. At non est, quod adeo urgeat, diversa significationis ratione ut accipiantur, quippe utrumque locum (primum etiam, ut ad unum omnes exponunt alterum, per *pluviam*) eodem modo exponentes ταυτολογίας rei reddi haud possumus, quin potius cum cæteris verbis conjuncta magni sint ponderis mirabilemque emphasin habeant ad exprimendum, uti notavimus, plenam mensuram & perfectionem benedictionum divinarum in illos collatarum: Cum enim priori loco promiserat, se daturum illis tempestivam pluviam *moderate*, vel *secundum justitiam*, quæ pro tempore videbatur sufficiens, hoc loco videtur subjicere; *imo ne hanc quidem, sed & omnem convenientem pluviam justo suo tempore*, sicuti tempestivam, ita & serotinam, ita ut ejus benedictio nulla in re foret imperfecta aut manca, sed omni egestati succurrens, quovis etiam tempore, occasione sic postulante, quod ulterius innuere videtur sequenti בראשון nostratibus: *in the first month, imo primo mense*; qua ratione etiam præcedentes Anglicanæ translationes legunt. Cæterum ingens hic iterum est differentia inter interpretes, cum nec qua versionem, nec qua sensum horum verborum concordent. Sunt qui cum nostratibus subintelligunt *e) mensem*, cui quidem nominatim subjicit Chaldæus Paraphrastes, *in mense Nisan*, cujus interpretandi ratio si approbanda, necesse est, auctore *Piscatore*, ut hujus temporis designatio referatur ad posteriorem vocem מלקוש *malkosh*, *serotinam pluviam*; inter eam enim & *moreh*, tempestivam pluviam, intererant tempestates

d) Ribera. *e)* Ita MS. Arab. في الشهر الاول.

ſive menſes, quibus una & altera, plerumque *f)* ſpatio diverſorum menſium, cadebant; ita ut non facile ſit intellectu, quomodo uno menſe utraque cecidiſſe dicenda ſit. Judæi, qui eandem viam ſequuntur, miraculo hanc difficultatem expedire conantur, quæ factum ſtatuunt, ceu ex aliis id refert Kimchi, ut ambæ deſcenderint eo anno pluviæ eodem menſe, adeo ut, cum antea nunquam ulla pluvia eo menſe deſcendiſſet, primo die menſis *Niſan* ſive *Martii*, decideret tempeſtiva pluvia, quæ communiter ſolebat decidere menſe Marcheſvan vel *Octobris*; rurſusque die quinto, intra quod dierum ſpatium ſeminabant fruges, quæ ad diem decimum ſextum ad maturitatem perveniebant, adeo, ut decurſu undecim dierum, per has duas pluvias, quæ ſecus plane ceciderant, quam aliis annis, eandem perfectionem fruges adipiſcerentur, quam alias nonniſi ſex menſium ſpatio adeptæ erant. Eandem huc referunt hiſtoriam *R. Salomo*, & *Aben-Ezra*, qui credidiſſe videtur factum במַעֲשֵׂה נס *loco prodigii*, ſecundum illud quod dictum eſt ℣. *21.* quoniam *magnificavit Dominus facere*. At ne noſtram faciamus cauſam eorum, qua hæc hiſtoria creditu difficilis videretur, etſi verſionem illorum (videlicet *in menſe primo*) probamus, inprimis facit ea nota, qua *de ſerotina pluvia* tantummodo id accipiendum eſſe ſtatuitur, quæ erat tunc danda, priore ſua tempeſtate antea rite data. Sic accepiſſe ea videtur *Kimchi*, cujus expoſitio eſt, DEum pluviam, quæ vocatur *Moreh*, demiſiſſe tempore ſuo, quod erat menſis *Marchesvan*, ſimilique modo *Malkosh* ſive ſerotinam pluviam demiſiſſe tempore ſuo, menſe primo, qui eſt Niſan, qua ratione & noſtrates opinor intellexiſſe, quia ſubjecere comma inter verba, *tempeſtivam pluviam*, & ſequentia; quod omiſere inter *ſerotinam pluviam* & *in primo menſe*. Verum enim vero alii hujus loci difficultatem ſic tollere conantur, ut nullam rationem habeant menſis, quem alii hic ſubintelligi volunt. Abſurdum prorſus autumat *R. Tanchum* ad vocem ראשׁון *primo* adjici תירש לאן דלך ליס דלך אלאן אלמטר הראשון *primo menſe*, qui eſt *Niſan* *quia*,

f) Aquorum una ad alteram ſex minimum menſes ſolent intercedere. Merc. וימים רבים multi dies Aben-Ezra.

quia, *inquit*, *hac g) non est justa tempestas pro pluvia.* Quocirca cum aliis non paucis aliam vocis versionem præfert, qua probata non una iterum eorum explicandorum ratio est. Duplici enim modo explicari posse putat. (1.) Ut per בראשן *in primo*, intelligatur פיאור־וקתו *primo ejus tempore*, vel *primo ejus tempestatis*; quam primum erit tempestivum vel necessarium. Quo cum facit hac in parte versio *Junii* & *Tremellii*, *primo quoque tempore*, ut & *Castalionis*, *in primis*, i. e. ut *R. Livelius* explicat *h)*, *mature, cum primum ea opus est.* Quam expositionem ut primo loco tradit hic *Rabbi*, ita & optima esse videtur. (2.) Ut juxta aliorum, quam refert, opinionem idem valeat atque כראשן (*sicut primo vel antea*) scil. כחאלכם אלאולי *uti in* (vel juxta) *vestro primo vel priori statu*, scilicet antequam ultimo correpti essent pœnis ob sua peccata. Ita quoque reddunt LXX, *καθὼς ἔμπροσθεν*, *sicut antea* (vel *ut prius*) & Arabica, quæ illos sequitur كما من قبل nec non Syriaca ܐܝܟ ܕܠܩܕܡܝܢ *ut antea*, & Vulgat. lat. *sicut in principio*, quo sensu etiam non *i)* pauci recentiorum accipiunt. Id quod in opinionem *k)* nonnullos perduxit, diversa hæc ab iis olim esse lecta, nimirum loco בראשן *Barishon*, *in primo*, כראשן *Carishon*, *sicut primum.* Haud dubie, inquit *Drusius*, de LXX differens, *legerunt* כ pro ב. Quod tamen non facile dixerim eos fecisse, sed potius subintellexisse particulam C. *ca sicut*, quamvis non sit expressa (sicuti alibi sæpe ubi, *Ribera* Autore, omittitur) vel tantundem putasse valere *in primo*, vel *priori*, quod *sicut antea*. Ita videmus intellexisse Judæos, de quibus *R. Tanchum* loquitur, qui omni dubio procul non aliter legerunt quam hodie legimus. Quod idem adfirmat *Abarbinel*, qui בראשן hic tantum significare dicit, ac si dictum esset כבראשונה, *sicut primo*, vel *in prioribus temporibus*, ita ut in his verbis promissio contineatur שיתברכו תבואות הארץ כאשר היו בימי קדם *fructus terræ fore benedictos sicut prioribus diebus.* Unde sat superque liquet, non

 opus

g) Nescio unde. Ita & Tarnovius, *quod hac pluvia in illo mense non sit data.* h) Apposite Calvinus *in tempore suo*, i. e. *unamquamque pluviam tempestive & opportune*; & Grotius: *Sementis & messis tempore commodas dabit tempestates.* i) German. & Pet. a Fig. k) Drusius, Mercer. &c. Tarnov. Pet. a Fig.

opus esse ulla diversa lectione, cum perspicuus sit satis verborum sensus, si illorum sequamur & versionem & interpretationem.

Quantumvis igitur, qui priore loco diversi sunt in reddenda voce מורה *moreh*, sive per *doctorem* sive *pluviam*, posteriori loco insigniter concordent interpretando eam unanimi consensu *pluviam tempestivam*; attamen non eadem hic utrorumque est verborum mens & sententia. Qui primo loco habent *doctorem*, illorum non pauci per pluviam hic intelligunt spiritualia bona, quæ ad regnum Christi pertinent, *l)* veluti prosperum Evangelii successum ejusque propagationem, quæ frumenti instar futura erat, quod tempestiva pluvia benigne irrigatum crescit & augmenta indies majora capit; vel *m) copiam fructuum & bonorum spiritualium per Christum, n) gratiam prævenientem & cooperantem, & o) copiam doctrinæ & auxiliorum Dei*, quibus aliisque id genus expressionibus verba accipiunt, ut eorum non nemo dicit, *p) allegorice & principalius*, ceu notavimus. Illi vero, qui primo loco habent *pluviam*, utrobique intelligunt juxta literam benedictionem tempestivæ pluviæ, qua tales boni effectus erant producendi, quales versu præcedenti memorantur ac ulterius versu sequenti describuntur, quam explicandi rationem uti sequimur tanquam cæteris longe planiorem, ita proximis verbis ea etiam quam maxime accedit, etsi non desint qui allegorice & sequentia intelligunt. Verba sunt hæc:

24. Et area implebitur tritico, & dolia redundabunt vino & oleo.

Hisce verbis nihil aliud describitur, quam magna conditionis illorum, qua antea erant pressi, immutatio. Frumentum ante dicitur *c. 1, 10. vastatum, mustum arefactum, oleumque languisse*, & *v. 17. borrea desolata & granaria destructa*, quia non erat, quod illis imponeretur, *muneraque & libamina succisa, v. 9.* & quæ sunt hujus generis alia summam denotantia penuriam omnium rerum necessariarum. Atque

l) Mercerus & Ribera & Ch. a Castro. *m)* Tirin. *n)* Menoch. & vide Ar. Mont.
o) Intellige gratiam excelsam & doctrinam. *p)* Tirinus.

Atque ita erat, quamdiu perduelles perseverabant DEI, ejusque manum & judicia sentiebant. At posteaquam ad DEum sese jam converterant, DEusque ad illos atque in gratiam eos rursum receperat, omnia sese contraria ratione habent, omniumque rerum bonarum copiam non sibi defore sunt persuasi, quæcunque verbis concipi possent. *Areæ horreorum eorum implebuntur tritico & dolia illorum abundabunt vino & oleo.* Videntur his tribus, *tritico,* (vel frumento) *vino & oleo*, omnia comprehendi ad hominis usum necessaria. Sicuti enim *q)* harum defectu ut plurimum annonæ caritas vel fames & omnium bonarum rerum ad vivendum necessariarum inopia describitur, ita e contrario harum abundantia fertilitas & talium rerum copia innuitur. Hujusmodi autem hic promittuntur ad satietatem, imo ad abundantiam usque. Verbum השיקו *Heshiku*, redditum *abundabunt*, non invenitur, quod sciam, alibi in S. literis hac forma & significatione, quæ hic requiri videtur, præterquam hoc loco & rursus *c.3,13.* id quod mea sententia in diversum egit interpretes, ut minus inter se conveniant in eo vertendo. Interlinearia, ut ab *Aria Montano* sunt correcta, habent in textu, *stridebunt torcularia*, quæ sequitur *Tigur.* quamvis in margine ambo habeant, *redundabunt.* In quo sectari videntur *R. Salomonem*, qui nescio cujus auctoritate, nisi sua ipsius nitens, ait significare השמעת קול כשהקקילוח יורד מן הגת אל תוך הקב *edere sonum, cum fluxus descendit ex torculari in* (vel per) *vas;* addit enim insuper יקב proprie esse הביר *foveam vel fas*, quod est ante torcular. Quare etiam Drusius veteris versionis *torcularia*, in *lacus torcularis* mutat, sicut *Junius & Tremellius* vertunt, *torcularium lacus*, quod recipit, quicquid est expressum. *Aben-Ezra* eodem hic sensu accipi vult, quo est משיקות *Mashikoth Ezech.3,13.* quod nostratibus redditum est per *tangere*, seu uti in margine, *osculari*, quæ vocis propria significatio est. Quid vero innui velit eo, non declaravit. Si divinando quid assequi possimus, forsan id voluisse non temere conjeceris, quod vino & oleo abundante opus foret diversis vasis ad illa recipienda, aliis propius appositis, ut spatium ea capere posset. At quæ ibi est vox, derivatur a

 verbo

q) Pet. a Fig.

verbo נשק *Nashak*, quod osculari valet atque inde etiam *sese contingere* vel hujus simile; cum secus habeat quæ hoc loco est, quippe descendit a שוק *Shok*, cujus nomen inde deductum שוק *Shok crus* juxta ac *plateam* denotat. Ea autem forma, qua hoc loco est verbum, plerisque sive Judæis, prædictis tantummodo exceptis, sive Christianis, accipitur significatione *effluendi* vel *redundandi*. Hinc reddit Chaldæus יטיפון, nec aliud pronunciat *Kimchi*, significare, quam הציפו *hetsiphu*, a צוף, & *R. Tanchum* (ut & MS. Arabicum) arabice habet تفيض, quæ cuncta in eandem sententiam conspirant & notant *supernatare*, *fluere*, vel *superfluere*, ut &, quam habent LXX, ὑπερχυθήσονται, Vulgat. Lat. *redundabunt*, Syrus ܢܫܦܥܘܢ MS. Arabicum تفيض Arab. impressa تتدفق, quæ recte satis eo, quo nostrates usi sunt, exprimuntur, *redundabunt*. Cui vero nominis prædicti significationi verbum cumprimis sit vindicandum, dubii non nihil habet. Pereruditus *Nicol. Fullerus* ad illam referendum putat, qua denotat *crus* instrumentum currendi, unde primaria ejus significatio, *currere*, *discurrere*, *excurrere*, quasi diceretur, *crurare*, atque exinde metaphorice in rebus cruribus destitutis, *effluendi ac redundandi notio*. E contrario ad alteram ejus significationem id referunt *Junius* & *Tremellius*, qua notat *plateam* (licet pari jure ad priorem etiam possit referri, quatenus platea locus est currendi, in quo populus discurrit) quando reddunt, *plateasque perfundent torcularium lacus musto & oleo*, ac si ita propter abundantiam effluerent, ut per plateas etiam liquores hujusmodi discurrerent. Quicquid autem de derivatione & deductione verbi acute disputetur, manifestum est ex sequentibus, ingentem hic eo omnium rerum innui abundantiam. Quodsi autem amplius quid addendum, optime ejus significatio illustrari & confirmari potest ex usu ejusdem thematis in lingua Arabica, quam cognitum habemus omnium maxime cum Hebraica convenire. In ea enim a themate سوق prima conjugatio verbi ساق *Saka* denotat *impellere* vel *concitare*, sexta تساوق tasavvaka, *se invicem sequi & tam arcte ire, ut alius alium premat vel trudat*, & septima انساق *Ensaka* (ut

Gro-

Grotius notat ex Dictionario Ebn. Maruph) *fluxit & progressus est* ad denotandum abundantiam, per quam res rebus succedunt. Qui allegorico horum verborum sensui adhærent, hic iterum intelligi volunt *r) Evangelii diffusionem per totum orbem. s)* Sunt qui in specie verbis: *& areæ implebuntur tritico*, innui rentur plenitudinem gratiarum & virtutum ecclesiis particularibus a Christo suppeditatarum, quæ significantur per *areas, oliveta* & *vineas*, sicuti per *torcularia* (vel *vasa)* in quibus vinum & oleum exprimitur, *Gymnasia, Monasteria, Collegia* &c. atque ita persecutiones & tribulationes, *quibus vinum sapientiæ & fortitudinis, ac oleum consolationis divinæ exprimitur & hauritur.* Quomodocunque autem hæc verba comparando huic vel illi rei applicari possint, literalis tamen expositio mihi planissima videtur & hoc loco & in proxime sequentibus versibus, in quibus ulterius declarat, DEum cuncta ea bona velle collocare in vere pœnitentes, quibus eos antea ob commissum nefas privaverat justa pœna immissa, atque iterum *t) exhilarare pro diebus, quibus eos afflixerat, & annis, quibus experti erant malum.* Quocirca ipse ad eos inquit per os Prophetæ ושלמתי &c.

25. *Et restaurabo vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & volvox, & eruca & meus ingens exercitus, quem mittebam in vos.*

Quod annis aliquot ante illis illatum erat damnum ab his creaturis voracibus, quæ omnes fructus terræ ita vastabant, ut, unde subsisterent, nil quicquam relictum esset, porro illis rependere discupit reddendo extraordinariam copiam eamque ad usum illorum præservando. *Locusta, bruchus, volvox & eruca*, omnes eædem sunt, quæ supra memorantur *cap. 1.* inverso licet ordine. Ibi enim הגזם *haggezem, volvox*, primum locum occupat, cum hic extet ultimo; unde non leve argumentum petit doctissimus *Bochartus* probaturus uno anno atque simul venisse, qui hic nominantur, vermiculi, non autem per vices singulas, alio genere veniente hoc anno, alio altero, ut ex Judæis non-

r) Mercer. s) R. Menoch. t) Psal. 90, 15.

nonnulli volunt; quippe tunc non conjecisset in annum quartum, quam dixerat alibi venisse primo, ut in illum locum notavimus. Verosimile hinc est omnes simul venisse atque vastando consumsisse aliquot annos, uti vox השׁנים *hashanim*, annos, numero plurali expressa indicat. Vocat eas, *meus ingens exercitus quem mittebam in vos*, quas supra *v. 11.* vocaverat, *valde magnum campum.* Quinam intelligendi sint per hunc exercitum & campum, utique patet ex nominibus *locustæ, bruchi, volvocis* & *erucæ*, vel hujusmodi creaturarum quæ hebraice hic extant & a nostratibus sic redduntur. An tales fuerint exacte, vel aliæ similis generis, non satis nobis liquet his in regionibus degentibus. Ratio vero, cur eas *exercitum suum* vocet, hæc est, quod eas in illos mittebat. Etenim non fortuito veniebant, neque ex ulla ordinaria atqne naturali causa, sed erant ab eo immissæ, ut facerent ejus voluntatem muniaque ejus gnaviter obirent. Eadem autem hic iterum enascitur quæstio, quæ diu jam ante in hac prophetia agitata est, imo a quarto versu primi capitis, num per hæc nomina ad literam intelligendæ sint istæ prædictæ creaturæ, an quidam alii cum illis collati, quoad damnum ab iis illatum? sunt, iiq; non pauci qui propria significatione ea accipiunt, nec apud eos difficultatem habet, quod *exercitus Dei* vocentur, quibus hæ creaturæ penitius atque multo familiarius sunt cognitæ. Sic inter Arabes trita est & cognita expressio locustarum sub nomine *exercitus Dei*, imo ab ipso *u*) Mahumede usurpata, qui eas interficere prohibuit, eo quod essent جند الله الاعظم *exercitus Dei omnipotentis*, decantatumque est inter eos, locustam cecidisse in ejus manus, vel ante eum, cujus alis inscriptum erat بالعبرانية Hebraice نحن جند الله الاكبر *Nos sumus exercitus maximi Dei.* Nec quicquam refert, quam fabulosa sit hæc historia, cum nostro proposito satis sit conveniens, & sufficienter probet denominationem hanc *exercitus Dei* congrue satis ac proprie applicari posse locustis. Quantumvis enim id minus sit inscriptum illarum alis, apparet tamen, eas esse tales ex rebus, quas ab eo missæ & adhibitæ quam

u) Damiri.

quam ſæpiſſime perpetraverunt,non abſimiles iis,quæ a maximis fortiſſimisque exercitibus hominum ad regionis alicujus deſtructionem peragi poſſent. Adeo ut non ſit,quod contra illos excipias, qui hoc de locuſtis proprie dictum volunt; nec linguæ genius retragatur, quo minus de iis ita accipiatur, quinimo verbum *comedendi*,quod ad damnum illatum exprimendum uſurpatur, inſigniter illis congruit. Quod *Vulgat.* Lat. reddat,*fortitudo mea magna,* vel *w)* alii in eandem mentem, *magna mea potentia,* vel *vis,* cum antea redditum eſſet *v. 11. exercitus,* nullam differentiam infert. Hebræa enim vox utroque loco eadem eſt,nimirum חיל *Chail* utramque ſignificationem admittens,atque hoc in caſu æquivalens. Vocantur merito *Dei exercitus* propter multitudinem, *magna* autem *ejus potentia & fortitudo* propter magna, quæ ejus juſſu perpetraverant. Præterquam autem quod commode hæc verba ſumi poſſunt de locuſtis atque hujusmodi aliis noxiis inſectis, alia etiam ratione ab aliis explicantur,videlicet de hominibus, hoſtibus & auctoribus illati damni. Ita hunc verſum exponit Chaldæus Paraphraſtes: *Et rependam* (vel reſtaurabo) *vobis annos bonos pro annis, quibus* דבזו יתכון עממיא אומיא ולישניא ושלטוניא ומלכותא פורענות חילי רבא דשלחית בכון *populi, nationes & linguæ & principes* (vel principatus) *atque regna vindictæ* (vel in vindictam ordinata; vel *x)* ut alii, vindicta magni mei exercitus) *exercitus meus magnus, quem immiſi in vos, diripuerunt vos,* cujus mentem fuiſſe ait *Kimchi*, quod ſit prophetia futura temporibus Meſſiæ. *Abarbinel* putat,per ea innui quatuor regna, quæ & antea *(c. 1, 4.)* fuiſſe indicata,affirmat ſub nominibus quatuor vaſtantium creaturarum eaque vocata a DEO *meum magnum exercitum, quem immiſi vobis* כי הם היו חיל השם ושלוחי השגחתו להעניש את ישראל על ידיהם *quia erant DEI poteſtates & legati providentiæ ejus ad puniendum Iſraelem,* atque ſic bona hic promitti arbitratur magna copia,quibus deberent frui captivitate exſoluti. Ut alios ſilentio nunc præteream,qui eandem

w) LXX. & Arab. impreſſa. x) Merc. & Pet. a Fig.

dem explicandi rationem ſequuntur, *Grotius* his denotari autumat *y) Phulem, z) Teglathphalaſarum, a) Salmanaſarem*, & *b) Sennacheribum* quatuor Reges *Aſſyriæ*, qui regionem Iſraelis & Judæ invadentes magno illam afficiebant damno lateque diripiebant. De quovis horum dici poſſet eſſe DEI exercitum & ab eo miſſum, ſicuti ipſe dicit de Aſſyriis, *eſſe virgam ſuæ iræ & baculum in manu eorum ſuam indignationem, Eſa. 10, 5.* Quæcunque autem ab illis erant perpetrata, ex ejus conceſſa poteſtate fiebant, non ex ſua ipſorum, citra quam deſpectui erant viliſſimorum vermiculorum inſtar, quos quam facillime deſtruere poterat, ut ex eo apparet, quod *Sennacheribo* ejusque exercitui contingebat, *Eſa. 36.* &c. Hinc quæ ſunt contemtiſſimæ omnium creaturæ, a DEO cum ſint armatæ, non minus populum aliquem affligere poſſunt, quam ſi eſſent earum maximæ fortiſſimæque; ut videre eſt in plagis *Ægyptiacis*. Quare non opus eſt, ut hic a litera diſcedamus & ad figuram confugiamus in harum imbecillium creaturarum locum ſubſtituentes potentiſſimos reges & nationes. Sufficiebant hæc animalcula divino juſſui ſatisfaciendo in puniendo populo malitioſo, æque pariter ac illorum quisquam: Nec minus opus eſt cum aliis ad continuam allegoriam confugere, ſecundum quos promiſſa hæc felicitas nulla alia *c)* foret, quam qua ſub Chriſto & Evangelio eſſent fruituri, quæ longe excederet eam, qua fruiti erant effœtis temporibus ſub lege obnoxii morti & diabolo; vel benedictiones hic ſpirituales innuerentur, ſive res ad *d)* animæ felicitatem pertinentes atque iſti divini fructus, quos terra (vel ſolum) humanæ naturæ, ſemine ac virtute Chriſti locupletata producit; vel his dictis creaturis noxiis denotarentur *e)* diaboli ſive *f)* exercitus inimicorum ſpiritualium cum ſuis tentationibus; vel fructibus diverſorum annorum ſignificaretur *g)* verus DEI cultus, qui nullus erat plane inter gentes, perditus maxime inter Judæos, quamdiu a gentibus opprimebantur. Quæ allegoriæ quibusdam videntur *h)* apertius ſpectare verba; at mea ſententia id rectius dici poſſet

y) 2. Reg. 15, 19. *z)* 1. Paral. 5, 26. 2. Reg. 15, 29. *a)* 2. Reg. 17, 3. *b)* 2. Reg. 18, 13. Eſa. 36, 1. 2. Paral. 32, 1. &c. *c)* Mercer. *d)* Ar. Montanus. *e)* Menoch. *f)* Sa. *g)* Pet. a Fig. *h)* Ribera.

ſet de literali ſenſu,quo,non ſecus atque in præcedentibus hujus prophetiæ non una vice dictum eſt, declaratur, quæcunque ante ſunt deſcripta aut iis prædicta, a DEO propter peccata illis eſſe immiſſa loco pœnæ, atque has dictas viliſſimas creaturas fortem ejus eſſe exercitum,cui ut reſiſtere non erant pares,ita nec ſe ipſos immunes reddere,quod decurſu quorundam annorum comprobatum erat,unde, ne totalis ipſis immineret interitus atque exitium, haud immerito vereri poterant; verum poſteaquam reſipuerant atque in gratiam cum eo rurſus redierant, eos eſſe animadverſuros,etiam DEum,cujus directione hæc fiebant,atque cujus poteſtate & juſſu hæc agebant atque magna perpetraverant, majoraque minari videbantur,æque facile eas poſſe removere (ut *v. 20.*) imo quod majus eſt,& poſſe & velle reſarcire omnem noxam & damnum quodvis, quo ab illis fuerant affecti. Ita ut, cum omnis generis inter eos hominibus tunc temporis eſſet juſta occaſio ejulandi & lachrymandi propter ingentem rerum penuriam & miſeriam qua erant obruti,non amplius habituri eſſent occaſionem ſic ſe gerendi,ſed alio eoque plane contrario modo faciendi,ut in ſequentibus eſt deſcriptum & promiſſum.

26. Et comedetis in plenitudine, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit vobiſcum mirabiliter, & populus meus nunquam confundetur.

Plana ſunt ad literam, quam ſequimur,hæc verba,in quibus illis promittitur,fore ut,cum aliquot retro annis magna rerum laboraverant penuria & egeſtate,abundantem jam habeant copiam omnium neceſſariorum non tantum ad vitam hilarem vivendam,ſed & ad deſideriis ſuis extremis plane ſatisfaciendum,ut non aplmius habituri ſint ullam occaſionem murmurandi vel ſeditioſe ſe gerendi & plura poſtulandi, ſed e contrario nomen Domini DEI ſui laudandi, qui ſecum tam mirabiliter egerat omnia liberaliter præbens,quibus opus erat, quæque exoptare poterant; qua ratione etiam contumeliæ, qua antea gentes eas propter paupertatem affecerant,finis imponebatur,

batur, DEO eos tanquam populum suum vindicante curamque ipsorum gerente, qui nunquam, quos sibi asserit, confundi patietur, quasi non *omnisufficiens* iis esset, qui omnem fiduciam in eum collocant. At non omnis verborum vis in descriptione ingentis rerum copiæ sita est, verum complectuntur insuper una cum his benignam divinæ benedictionis promissionem, qua futurum erat, ut iis fruerentur, riteque sentirent animo divinam in se collatam gratiam, cum sine hac benedictione & gratia possent habere, quod ederent, & edere; nec tamen saturari (vel ad satietatem) & bibere, minime vero affatim (vel ad ebrietatem) *i) Hagg. 1, 6.* Malum, quod Ecclesiastes dicit vidisse sub sole, obviumque valde inter homines, quando DEus divitias dat viro, ut ejus animus nulla re destituatur, qua delectetur, cum huic non faciat copiam [illegible] re fruendi, *Eccles. 6, 2.* Hoc donum Dei est, si DEus dat divitias & facultates, & facit ei copiam comedendi ex illis & percipiendi partem suam, *Eccles. 5, 19.* Atque id ipsum est quod hic illis promittit, fore, ut comedant in plenitudine & saturentur (quod probe mea sententia innui putant verbis ואכלתם אכול *& comedendo comedetis*, i. e. habebitis quod edatis, quotiescunque opus erit, & nunquam inopia laborabitis, donec ad satietatem comederitis desiderioque omni ex parte satisfeceritis). Præterea aliud quoque malum est idque non adeo infrequens inter homines, ut *k)*, quando comederint & saturati fuerint, obliviscantur DEI & dicant in animo suo: *virtus mea & robur manus meæ paravit mihi opulentiam hanc, Deut. 8, 12. 14. 17. (Hos. 13, 6.)* Quæ agendi ratio cum in maledictionem hominibus vertat has benedictiones, & ne apud hos sic quoque vertantur, simul promittit se daturum illis animos, ut cognoscerent datorem gratumque erga eum exhiberent animum, ut nunquam desineret iis benefacere. Ita enim ait: *Et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui egit vobiscum mirabiliter.* Quibus innui manifestum est eos, uti eum laudandi jam habituri essent commodam occasionem, ita & in tantos effusum iri affectus, ut revera appareret, illos sentire, quam mirabiliter DEus cum illis egisset, magnaque, ut supra

v. 21.

---

i) Mich. 6, 14. *k)* Et vide Deut. 32, 15. & Prov. 30, 9.

v. 21. dicit,feciſſet. Mirandum equidem neceſſario videbatur,quod, cum totius regionis fruges aut nutrimenta a prædictis vorantibus creaturis antea eſſent abſumtæ, nunc improviſa immutatione non tantum eas ſit remoturus (ut eſt *v. 20.*) verum & compenſaturus, quicquid devoraverant. *l)* Quidam arbitrantur his verbis comprehendi miraculum atque in eo conſiſtere, quod jam uno anno illis velit reſtituere, quantum quatuor præterlapſis annis redundaſſet,ni a locuſtis fuiſſet abſumtum.Atque ita Deus cum illis aget,ut *populus ejus nunquam ſit confundendus.* Quamdiu ab eo defectionem faciebant, atque ille ſibi eos non aſſerebat,ex dictis apparet,pudore ac confuſione fuiſſe correptos. Hinc *cap. 1, 11.* jubentur agricolæ erubeſcere. Quod vero tota natio eum deſeruiſſet & ab eo etiam abnegata aliis nationibus opprobrio ceſſiſſet, manifeſtum eſt tum ex eo, quod jubentur orare *v. 17. parce populo tuo, & ne da hæreditatem tuam in opprobrium* &c. tum ex promiſſione, *v. 19.* quod non amplius *eos eſſet expoſiturus opprobrio in gentibus.* Quo in ſtatu eos fuiſſe vel eſſe jamjam, nemini dubium eſſe poteſt. Idque eo tempore quo DEus eos rejecerat, & quam male eſſet in eos affectus,exhibere volebat; at poſteaquam pœnitudine illum ſibi reconciliaverant, adeo, ut ſibi eos rurſum vindicaret,alio modo rem proceſſuram certi ſunt.Removebitur omne opprobrii genus & ejus cauſa, cum id firmum atque indubium populi ejus ſit privilegium, quod nunquam ſit confundendus. Quo fundamento autem id ſibi promittere poterant,ex proxime ſequentibus patet.

27. *Et ſcietis me eſſe in medio Iſraelis, & me eſſe Dominum Deum veſtrum & nullum alium: & populus meus nunquam confundetur.*

Hujusmodi beneficia & boni effectus,ut ſunt evidentia ſigna, quibus DEus ſibi populum tanquam ſuum vindicat,præſentiamque ſuam gratioſam ac peculiarem providentiam in eum luculenter exhibent, ita ex iis debent cognoſcere ac perſuaſi eſſe, DEum ad con-

 verſio-

l) Quod idem cum aliis ſentit Kimchi, Tarnovius.

versionem eorum quoque conversum, atque in medio illorum esse peculiarique jure sese exhibere DEum illorum in peculium eos sibi asserentem, neque ullum alium esse, qui fecisset aut posset facere tanta, quanta fecerat & facturus erat pro illis, tum, quibus affligebantur, procul removendo, tum, quibus afficiebantur, benigne procurando, idque tam extraordinario modo, ut non nisi illius infinita potentia factum fuisse dici possit, sicut ex peculiari hoc casu patet, quo eas, quas in pœnam illorum immiserat locustas, non tantum arcebat, sed & extraordinaria ubertate, quod illis intulerant damnum, pensabat. Ad insolita mala, quibus obruendi erant Israelitæ rebelles ac fœdifragi, etiam hoc accedebat, quod essent dicturi: *Nonne obvenerunt nobis mala hæc, quod Deus noster non est in medio nostrum? Deuter. 13,17.* Hic vero contrario modo se res habet. Nimirum ex eo, quod DEus mirabiliter esset acturus cum populo resipiscente, eosque annos restauraturus, quos locustæ &c. comederant atque ingenti omnium rerum affluentia beaturus &c. cognoscere debebant, *DEum esse in medio eorum*, atque *Dominum DEum eorum & nullum alium.* Quando dicitur *DEum esse in medio illorum*, nihil aliud indicatur, quam eum esse paratum ad clamores eorum *m)* audiendum, atque omni occasione *n)* iis auxilium præbendum; additis autem verbis, *Dominum DEum illorum*, quod, cum omnium sit Dominus, peculiari ratione sibi eos vindicet ac respiciat tanquam peculiarem suum populum, cujus *o)* majorem velit curam habere, quam ullius alius in ordinandis rebus, quæ in illorum bonum cederent; Cum vero adjicitur *nullum alium*, quod nullus alius DEus sit inter eos, quos *p)* aliæ gentes, vel illi ipsi, cum abnegarent eum, colebant, *q)* qui tanta posset facere, quanta ipse nunc faciebat, & poterat & volebat in gratiam illorum continuare. Hinc experientia hujus rei certi redditi non possunt ullatenus confundi propter hunc cultum, vel in colendo eo aliquid invenire, quod iis dedecori esse queat, quasi fiduciam suam collocarent in quendam, qui nec velit nec possit ipsis auxilio esse, cum illis benefaceret quavis data occasione, potentem pariter ac benignum

---

m) Kimchi. *n)* Grot. in Matth. 18, 20. Psal. 90, 5. *o)* Psal. 14. 148. 20. *p)* Kimchi. *q)* Hos. 13, 4.

gnum sese iis tam infinita ratione exhibens, ut nullus alius ei par possit censeri. Atque hinc est, quod confirmationis atque summæ certitudinis causa hic repetat: *& populus meus nunquam confundetur. Populus meus*, qui perseverat in fide ac constans est in me colendo, *nunquam confundetur*, nunquam spe sua ac fiducia in DEum excidet; sed persuadeat sibi, fore, ut omnia promissa sua solvat, ad exoptatum deducat finem atque ex omnibus afflictionibus & malis, quæ ei accidere possent, liberet, quibus opprobrio posset exponi, & pudefieri, & confundi, nisi cum eo esset & in medio ejus, atque promtus paratusque ad eum liberandum. Hæc exponendi ratio verborum plana videtur ac literæ satis conveniens, juxta quam a nostratibus apte sunt versa. Verum sunt alii, qui alio modo ea vertunt atque inde etiam alio intelligunt לעולם *leolam*, a nostratibus & aliis reddita *unquam*, & cum adjuncta particula negativa *nonnunquam*, ab aliis vertitur *in sempiternum*, vel *r) perpetuo*, quasi diceret: licet interdum affligerentur, calamitateque afficerentur, attamen semper futurum exitum bonum, ut non haberent adversarii quod irriderent illos & dicerent: *ubi jam est illorum Deus?* quod optime congruit cum præcedentibus & ad ea rite intelligenda multum conducit, quippe quo prohibemur, ne semper feramus judicium de conditione filiorum Dei ex præsenti illorum statu vel calamitatibus, sed ex fine & exitu, quem DEus illis dare constituit, qui certe talis erit, quo pudore non suffundentur, sed in gaudium & gloriam illorum cedet, si non hoc momentaneo tempore, attamen in *s)* vita futura, cum interea illos sustineat suo solatio & spe certa, quæ non finit eos *t) confundi*, sed potius efficit, ut *u) glorientur* de afflictionibus, quam ut languescant iisque succumbant, aut a DEO se relictos esse imaginentur; verum quod in iis paternum erga eos animum *w)* manifestet, curamque eorum gerat eos humiles reddendo & probando, *ut benefaciat illis ad finem usque*, *Deut. 8, 2.* & omnia *dirigat in bonum diligentibus eum, Rom. 8, 28.* Interea hic reperiunt, quid faciant, sive sint totæ nationes, sive quisque in specie, si nolint pudefieri vel confundi ullo tempore, vel ulla occasione, nimirum ut propius sese conferant ad Deum, eumque

r) Tig. *s)* Pet. a Fig. *t)* Rom. 5,5. *u)* Rom. 5,3. *w)* Heb. 12,5.

que ſolum & nullum alium pro Deo ſuo agnoſcant, ut ab eo recipiantur tanquam ejus peculium. Etenim talibus tantum promiſſio hic facta eſt; atque hi ſunt, qui eam ita probatam animadvertent, ut in ſalutem ipſorum quovis modo tendat, utque exinde agnoſcant & ſciant, DEum, ut hic deſcriptus eſt, *in medio eſſe illorum, Dominum illorum Deum*, & non eſſe *ullum alium præter eum* parem ordinandis rebus in illorum bonum.

Præter haſce ſignificationes vocis לעולם *leolam*, quibus reddi poteſt vel *unquam*, vel *perpetuo*, & cum particula negativa conjuncta, *nunquam, non in æternum, non perpetuo*, alia eſt notio vocis, qua nonnunquam uſurpatur pro longo temporis ſpatio, cujus tamen finis non ſumus ignari. Quo ſenſu hic eam accipit *Lyra* dicens, eam non *x)* importare perpetuitatem. Ut & *y) Grotius*, qui eam explicat, *per longum tempus, quamdiu vivet Ezechias*, cujus tempore ſtatus pacatus atque rerum felicitas erat promiſſus, *2. Reg. 20, 9. Eſa. 39, 8.* At quantumvis alibi eo ſenſu non infrequens ſit particulæ ſignificatio, juſto tamen arctius hic videtur reſtringi promiſſio Dei ad hunc populum, quem eo nomine ſibi vendicat, ac ſi tantum foret pro tam exiguo temporis ſpatio, non vero privilegium eorum perpetuum, quo unquã fruiti erant & ſemper ac certo erant fruituri. Certum eſt atq; indubium plane, verba a Propheta prolata ad Judæos in ſpecie eſſe directa reſpectu ſtatus ac conditionis diverſæ, quam ſubierant vel ſubituri erant (ſ. invaſione *Aſſyriorum*, ut cum aliis hoc ille accipit, ſive ut alii ad literam magis, fame per locuſtas cita, quæ omnes terræ fruges late devorabant) quamdiu in peccatis ac rebelli ſtatu perſeverarent, cui tamdiu juſtitia divina volebat eos ſubjici, donec ſeria reſipiſcentia reverterentur ad DEum: quod utrumque in præcedentibus verbis eſt deſcriptum, quorum prius exponebat illos ludibrio ac pudori coram cæteris nationibus, poſterius illud opprobrium removebat omnemque ejus occaſionem. Unde certitudo hujus immutationis, tanquam res per ſe plana & certa, his verbis ſubjicitur: *populus meus nunquam confundetur*. Ita ut ad eos in ſpecie videatur reſpicere idque

x) Alias Jubilæi tantum deſignat ſpatium. y) Et alii, vide ſis Pet. a Fig.

que pro exiguo temporis ſpatio; ad omnes vero in genere, qui ſe dignos reddunt titulo populi DEI, & quamdiu illum ſuſtinere ſatagunt. Quamvis enim ad hunc caſum in ſpecie applicatur, res tamen videtur axioma continere generale, quod ſemper locum habet in populo DEI, nimirum *omnia z) operari* in eorum *bonum*, qui conſtanter DEO adhærent, ut nunquam pudore ſint confundendi, ſed occaſionem nanciſcantur in ſtatu ſuo gaudendi ac gloriandi, utique habentes *a)* promiſſionem tam hujus quam futuræ vitæ. Proſpera eorum conditio etiam in hac vita non *b)* una vice in ſacris literis depicta eſt, tum hujus vel illius in ſpecie, tum quod totas concernit nationes. Quemadmodum vero illi, qui hanc promiſſionem nimis adſtringunt ad tempora *Ezechiæ*, multum magnitudini & gratiæ ejus detrahunt, dum intra illud tempus eam tantummodo coarctant; ita ex altera parte non minus ei detrahit *Abarbinel*, quando nimis protrahit illud tempus, quo implenda eſt hæc promiſſio. Statuit enim, ei non prius futurum eſſe locum, quam fuerint reſtaurati atque exſoluti ex ultimo ſuo exilio, ſub quo adhucdum gemunt, & Meſſiæ dies, quem jam veniſſe negant, venerint; in quo certo certius falluntur, ac ſe ipſos miſerrime fruſtrantur beneficio hujus factæ promiſſionis, quod pertinaciter incredulitati ſuæ inhæreant, qua ſe ipſos eo privaverunt jure, ut jam non amplius ejus ſint populus, cum tamen beneficia non niſi ad ejus populum pertineant. At ut rejicienda eſt plane hujus de ea re ſententia, ita nec aſſentiri poſſumus illis ex Chriſtianis interpretibus, qui cum præcedentia verba allegorico ſenſu acceperunt, ut vidimus, etiam hic arbitrantur tantum eſſe promiſſionem talium ſpiritualium bonorum, qualia conferenda erant in *c)* Chriſtum, per quem corrupta noſtra natura eſt reſtituta, atque pudor & confuſio legis & peccati per ſalutarem Evangelii doctrinam ſunt ſublati.

Verum enim vero quo denique modo hæc verba applicueris, vel ad quoscunque ea referre complacitum fuerit, ſi literæ habenda ſit aliquatenus ratio, quam nos inprimis ſequi conſtituimus, in ſpecie videntur ad illius temporis Judæos reſpicere, quos hic allocutus eſt

Ff Prophe-

z) Rom. 8, 28. a) 1. Tim. 4, 8. b) Deuteron. 11. v. 13. 14. & Cap. 28, 1. &c. Pſalm. 91. c) Mercer.

Propheta, conditionisque illorum, ut antea vidimus & diximus, sortem innuere, quam aut olim subierant, aut jamjam subibant, aut in posterum erant subituri. Non admodum autem refert, quo tempore ea sumas, quippe lingua prophetica, quæ sunt apud DEum præsentia, non secus sunt censenda, quam quæ præterierunt, ac jamjam sunt confecta. Dicitur de illis, quod gravibus peccatorum suorum irritamentis tam miseram in se derivaverant calamitatem & plagam *d)* annonæ caritatis atque famis, quam illis inferebant locustæ & aliæ noxiæ bestiolæ terræ fructus penitus destruentes, ut coram cæteris nationibus essent opprobrio, ignominiæ atque risui. Quocirca admonebantur, ut seria pœnitudine ad DEum sese converterēt ad hæc mala evitanda, promissione adjecta, fore, ut ita faciendo gratiam apud DEum invenirent, qua in pristinum favorem rursum eos reciperet, vindicans sibi eos pro suo populo ac perpetrans pro iis tanta, ut, quamdiu in eo statu essent permansuri, non diutius, imo non amplius pudore suffundendi forent. Quæ promissio hujusmodi concepta est verbis ut in genere ad omnes, quamvis in specie ad præsentem eorum conditionem hic respiciat, omnique tempore applicari possit; *populus meus nunquam confundetur.* Quando enim absolute accipiuntur, omnibus æque, qui ita DEO adhærent, ut populus ejus vocari mereantur, promittunt futurum, ut nulla re unquam egeant, quæ saluti illorum conducat, sive ad spiritualem, sive ad temporalem hanc vitam pertineat.: deo ut spe ac fiducia in eum collocata nunquam excidant, neque in cultu, quem ei præstant, confundantur. Verum, ut diximus, magis videtur hic in specie ad eos spectare atque innui, se esse eorum regionem redacturum in alium florentem statum, quo omnibus temporalibus bonis magna abundantia & ubertate iterum affluerent, quibus propter peccata admissa ac rebellionem in DEum factam hactenus erant privati.

Quod autem ad spiritualia attinet, expresse ea satis continentur in verbis sequentibus.

28. Et

d) Id. Merc. *Ad literam, ad probrum famis hoc pertinet, quo inter gentes laborabant.*

28. *Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, & filii vestri & filiæ vestræ prophetabunt, senes vestri somnia somniabunt & juvenes vestri visiones videbunt.*

29. *Atque etiam super servos & super ancillas diebus illis effundam spiritum meum.*

Pergit hic in promissis gratiam spirantibus faciendis. At alius plane generis ac naturæ sunt hæc, quam quæ fecerat in præcedentibus. Unde fortean occasionem nactus est *Abarbinel*, ut hunc librum *Joelis* in duas prophetias vel duos sermones propheticos divideret, quarum altera his verbis initium sumeret: Quo cum facere videntur, qui eandem ob rationem novum ab his verbis incipiunt caput. Magna erant certe promissa præcedentia; at multo sunt majora hæc, altiorisque ac sublimioris naturæ. Illa temporalia erant, si exprimendi formas respexeris, (quamvis ulterius ea extendant nonnulli) hæc plane spiritualia, quæ, quo tempore essent conferenda & in quos eroganda his declaratur verbis: (1.) Tempus exprimitur, והיה אחרי כן *vehayah achare chen, & erit post hæc*, post ea promissa antea præstita. Spiritualia, quæ hic promittuntur, ut dignitate longe excedunt & naturæ excellentioris sunt, quam temporalia ante promissa, ita & ante & præ illis sunt appetenda juxta monitum Salvatoris nostri *Matth. 6, 33.* ut regnum cœlorum quæramus primo, non dubii, quin cætera quoq; hujus vitæ, ut alimēta & vestitus, adjiciantur nobis. At complacitum fuit hic benignissimo DEO spem facere prius minus necessariorum, ut *e)* imbecillitati eorum indulgeret, cui hæc magis erant obvia, & quia præsens necessitas ea inprimis exigere videbatur, ut hac ratione magis magisque perducerentur ad cognitionem ejus, omnium donorum bonorum largitoris, propiusque indies ad eum appropinquantes ac in ejus populum adoptati desiderio etiam tangerentur cæterorum meliorum bonorum, quæ hoc loco se esse largiturum pollicetur. At quodnam est illud tempus constitutum, quod

e) Calvin.

exprimitur his verbis אחרי כן *posthæc*, nimirum post ea prædicta facta & præstita, vel eo tempore, quod ea sequetur? Non est, quod hic anxie inquiramus rationes, quibus alii nituntur, qui id referunt vel ad tempora *f) Jehosophatis* (cujus vallis postea memoratur *c. 3, 12.*) quo tempore multos fuisse Prophetas ex eo apparet, quod multi dicuntur venisse ad *Elisæum g) 2. Reg. 2, 15.* vel ad tempora, quibus floruit *Esaias*, ut *h) Grotius* videtur statuere, quando verba sequentia (*super omnem carnem*) ita exponit, i. e. *super multos, non super Esaiam solum;* vel nescio quæ alia hoc genus *i)* conjectant. *S. Petrus* omnium auctoritate sua nos reddit certissimos de complendo promissorum hoc tempore *Act. 2, 17.* ubi hunc locum citans non obscure docet, eo tempore præstita esse ac completa, quæ hic dicuntur, atque ita tempus expressum est per אחרי כן *Achare chen, post hæc.* *Hoc est*, inquit, populo attonito, cum tam miranda, quæ antea nunquam viderat nec fundo usquam audiverat, Spiritus Sancti videret dona in Apostolos collata, nec, unde descenderent, cognoscere posset, *hoc est, quod dictum est per Prophetam Joelem: Et erit ultimis temporibus* &c. Ait hanc prophetiam tunc temporis esse expletam, quo dilucide arguit, antea nullum fuisse tempus, quo id præstitum ac factum esse dici possit; atque pariter opus haud esse, ut posthac aliud ejus implendi tempus expectetur, ac si omni ex parte nondum esset factum, quod hic prædictum est, sed tum aliqua hujus prophetiæ pars, quæ isti tempori esset propria, tunc completa. Atqui hoc tempus non erat aliud, quam illorum dierum spatium post Christi adventum & ascensionem in cœlos elapsum, quo, *captivis abductis in captivitatem, dedit hominibus dona Ephes. 4, 8.* eadem etiam, quæ hic sunt, promissa, ita ut planam nobis sternat viam ad τὸ אחרי כן *Achare chen, post hæc*, intelligendum de tempore post Christum, quod communiter appellatur, *Messiæ dies.* Quod hic cumprimis observandum est, eo redit, quod Propheta hic dicat *Achare chen, post hæc*, cum S. Petrus habeat ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, *ultimis diebus.* At hanc diversitatem tantummodo sitam esse in verbis, nequaquam autem ingredi eorum sensum, sed idem utramque expressionem complecti, quidam etiam

f) Vide Aben-Ezra a quodam R. Mose. *g)* Et cap. 4, 38. *h)* Quem vide in h. l. & in Act. 2. *i)* vide Russin.

etiam doctiſſimorum Judæorum fateri non detrectant. Ita *R. David Kimchi:* אחרי כן *Acbare chen* idem ſenſu eſt quod באחרית הימים *Beacharith bayamim, in noviſſimis diebus Iſa. 23.* ubi Chriſti adventus deſcribitur, ad cujus tempora cum non paucis aliis ſuæ gentis confitetur hæc verba pertinere, licet promiſſorum præſtitorum adeo non curam habeat, ut iisdem convictus fateatur eum jam veniſſe, quippe cujus adventum cum cæteris ſuæ nationis pertinaci mente pernegat. Dies itaque Meſſiæ omni dubio procul nobis hic intelligendi ſunt hac Prophetæ expreſſione, *poſt hæc,* quam exponit *S. Petrus ultimis diebus,* quibus DEus, ſecundum illum, tam extraordinaria dona volebat in homines collocare, eaque tam extraordinaria ratione, menſura & gradu atque in tot ac tales perſonas, ut in ſequentibus verbis eſt expreſſum. Evincit enim id præclare & auctoritas Apoſtoli divino ſpiritu afflati, & evidentia operum factorum & verborum proprietas uſusque cognitus. Atqui hi dies non niſi Evangelii tempus erant, quo verbum confirmatum eſt *ſubſequentibus ſignis, Marc. 16,20. Deo atteſtante* primis ejus prædicatoribus *ſignis & variis miraculis & Spiritus Sancti donationibus ſuo arbitratu, Hebr. 2,4.* Nam extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, hanc prophetiam non poſſe dici ullo priori tempore rite completam. Quid? quod nec hoc inficias iri queat, hæc eo tempore fuiſſe eo modo viſa, quo hic ſunt prædicta, ut pluribus hoc evincemus, expoſituri & bona dona his verbis deſcripta, quæ conferenda erant, & perſonas, in quas erant collocanda. 1. *Dona*] i. e. copioſa menſura Spiritus Dei, copioſa, inquam, menſura; id enim ſignificat verbum hoc loco adhibitum אשפך atque redditum *effundam,* non ſimpliciter conferre, ſed magna abundantia conferre, ampliore ſignificatione. Quod dicit, *k) effundam Spiritum meum,* qui eſt fons & auctor, in prædictas perſonas, neceſſario denotat ſe impleturum eſſe eos omnibus donis & beneficiis, quæ ſunt ejuſdē Spiritus S. *l)* effectus, & ubi ejus dona & operationes apparent, ibi dicitur datus, vel receptus ab hominibus, quotquot illorum

k] Confer cum hac expreſſione Eſa. 44,3. diverſa licet hebræa voce ibi extante, Act. 2,17. Rom. 5,5. Tit. 3,6. *l*] 1. Cor. 12,11. *gratia ſpiritualis in nobis eſt, quæ ſunt effectus Spiritus Sancti.* Druſ. Danæus. Sp. Piſcat.

rum sunt, ac quantum etiam differant cum cuique adsit, & de eo, hoc loco, quisque certus reddatur, ut infra id dicturi sumus. Quæ porro hic sunt in textu Hebraico, nostrates & alii interpretes reddunt את רוחי *Eth Ruchi, meum spiritum*, LXX. atque Apostolus Petrus eam citans, *ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου, ex Spiritu meo*. Quam τῶν LXX. vitiosam quidam advertunt, ac minus exactam; imo quod *m) perperam verterint*, diminuentes gratiosam DEI promissionem, *ac si particulam aliquam Spiritus sui Deus promitteret*. Quod tamen dicere nobis religio est, cum eo modo videamus S. Petrum agere hunc locum citantem, qui certe non secutus esset pravum τῶν LXX vel alicujus alius sensum, sed genuinam verborum mentem expressisset. Manifestum est ex diversa interpretatione verborum præcedentium, Apostolum sese non alligare auctoritati illorum, sed exprimere tantum genuinam sententiam verborum Prophetæ, quæ ipsi suggerebantur atque ab eodem Spiritu docebantur, quo agitatus erat Propheta. Nec est revera, quod aliqua ratione differat expressio Græca ab hebraica, vel majus quid hæc innuat, quam illa. In propatulo enim est, illam omnino notare 1. inexhaustam abundantiam hujus Spiritus, quæ omnibus implendis sufficiens est. 2. Donationes Spiritus esse multas ac diversas idoneos reddentes homines diversis illis muniis obeundis, quæ gloria Dei & ecclesiæ vel populi salus requirat, omniaque hæc prædicta bona dona, licet plurima ac varia, ab eodem descendere Spiritu. Et quid amplius literalis hebraici Textus interpretatio, *effundam spiritum meum*, suggerere potest? Equidem id non potest dici innui, totum Spiritum cuique personæ æquali ratione ac mensura conferendum esse, cum id vim inferat citato loco *Hebr. 2, 4. & 1. Corinth. 12, 4.* &c. nec leve indicium hujus rei hoc loco est, quando enumerantur diversæ donationes in sequentibus in diversas personas collocandæ, ita ut interpretatio græca utroque in testamento nullo modo, quod in textu hebraico est, extenuet, sed insigniter enucleet, has diversas donationes (ut diximus) pandens, quæ generali nomine *Spiritus* sunt comprehensæ atque distincte postea traditæ; nec non eas personas, in quas erant conferendæ. Antequam vero alte-

m) Calvin.

alterutrum horum examini subjiciamus, considerandum venit nobis verborum vestigiis insistentibus nomen quoddam generalius, quo personæ comprehenduntur, quod est כל בשר *Col Basar, omnis caro*; כל *Col, omnis*, est nota, quod scimus, universalitatis, & בשר *basar, caro*, vox ampla, quæ & cæteras omnes creaturas & homines denotat. At cognitum habemus, vocem כל *omnis* tum hoc loco, tum alibi restrictiori accipi sensu, adeo ut non quemvis omnis generis notet, sed omnia genera vel quosdam omniũ generum & cujusvis conditionis; atque vocem בשר *caro* denotare cumprimis homines, non alias creaturas. Hac ratione כל *omnis*, usurpatur *2. Reg. 8, 9.* ubi *Hazael* dicitur duxisse secum muneris loco *Elisæ* כל טוב דמשק *omne bonum Damasci*, i. e. ut nostrates optime interpretati sunt, *ex omni bona re Damasci*, ex quovis genere bonorum aliquid. Quod autem attinet ad בשר *basar caro*, quod non denotet, ut diximus, omnes vivas creaturas, sed בני אדם לבדם *n) in specie homines*, ita usurpatur *Psal. 145, 20. Omnis caro*, (i. e. omnis generis homines) *benedicat nomini sancto*, & *Esa. 66, 23. omnis caro veniet ad serviendum coram me, ait Dominus*; atque hac tantum notione eadem vox بشر *Bashar* in usu est Arabibus, ut in specie tribuatur inter creaturas cæteras hominibus, unde *Adam* vocatur illis أبو بشر *Abu Bashar, pater hominum*, vel humani generis. Huc usque tam Christiani quam Judæi insigniter conveniunt, generalem vocis significationem limitibus certis esse coercendam; verum ulterius procedunt Judæi, in quo adstipulari illis nequaquam possumus, cum ad solos Israelitas hæc adstringant, omnesque alias hominum nationes juxta ac alias creaturas excludant; quid? quod ne ad illos quidem Israelitas pertinere putent, qui non in terra Israelis habitant. Ita *Aben-Ezra*, super omnem carnem בארץ ישראל i. e. in terra Israel, qui est מקום ראוי להנבא *locus accommodatus ad vaticinandum*. Ut & *Kimchi*, *super omnem carnem*, i. e. de Israelitis (intelligendum) *dignis in quibus sit Spiritus Sanctus*, qui & voce כל *omnis* intelligi putat הגדולים והקטנים *magnos & parvos inter eos*. His arctius hanc prophetiam adhuc constringit *Grotius*, cum *super omnem carnem* idem vult valere quod *super multos*,

n). Vide Kimchi & Ainsio.

multos, non super Esaiam solum, ac si ne quidem ad Israelitas pertineret extra illud Prophetæ tempus. Idem facit *o) R. Joseph Albo*, qui ad exiguam totius *Israelis* partem eam refert, non ad omnes, neque ad alias nationes, ita ut juxta illum sensus esset, super quendam ex omni carne (ex illis) quamvis non idoneus foret vel pararetur ad vaticinandum (vel muneri prophetico initiatus & in eo educatus.) Verum enim vero quod laxiori significatu hæc verba sumenda sint, eventus atque complementum eorum dilucide evincit, qui prophetiarum optimus est interpres, illarumque sensum maxime reddit obvium & clarum.

Non admodum a vero abhorret, Judæos olim, cum Evangeliũ primo prædicaretur, (imo & ipsum *Petrum*) eandem fovisse sententiam cum illis, qui recentioris ævi sunt a nobis citati, promissa scilicet dona Spiritus S. non nisi ad suam nationem pertinere atque in eam tantum effusum iri. Verum secus sunt docti ex eo, quod *Cornelio* & ejus familiæ contigerat, quod argumenti loco erat, in gentiles quoque effusa esse Spiritus S. dona, *Act. 10, 45.* Eadem ibi vox est *effundendi* in descriptione eventus, quæ hoc loco in promissione, (quam, uti diximus, ille citat *Act. 2, 17.* eundem in finem) quod indicio est id hic fuisse præstitum, quod vi hujus prophetiæ erat expectandum, atque factum, ut id rite confieret, adeo ut per *omnem carnem* necessario intelligendi sint quidam ex omnibus, vel quædam hominum genera, nullo respectu habito, cujusnam sint regionis, sexus, ætatis vel conditionis. Quippe in Christo, quoad ordinaria beneficia & privilegia, quorum tempora, ut vidimus, hæc prophetia spectat, *neque p) Judæus est neque Græcus, neque servus neque liber, neque mas neque fœmina, Gal. 3, 28.* sed omnes sumus idem in Christo Jesu, ad omnes pari jure spectant promissa Spiritus DEI, omnesque iis tali modo atque tanta mensura instruentur, prout ejus gloriæ atque ecclesiæ incremento propriæque saluti optime conducet. Id quod non obscure ex sequentibus liquet, ubi in specie magis docet, tum quænam sint inprimis illæ personæ, tum quæ spiritualia ad eas spectantia bona, quæ hisce terminis tam generalibus comprehenduntur. Verum priusquam

o) Ihkarim l. 2. c. 20. p) Rom. 10, 12.

quam his considerandis operam nostram collocemus, opus erit diversam quorundam sententiam inspicere, quam fovent de voce *caro*, quæque nimium quantum abest ab ea, quam memoravimus. Eam autem nobis suggerit *R. Salomon Jarchi*, qui per כל בשר *Col basar* intelligi voluit מי שנעשה לבו רך כבשר *eum cujus factum est cor tenerum more carnis*, allegatis argumenti loco pro hac vocis notione his verbis *q) Ezech. 2,19. Ponam inter eos spiritum novum, & amovebo cor lapideum a carne eorum, & indam ei cor carneum.* Quo videtur probare vocem *caro* accipi posse pro tenero carneo corde; verum non multum promovebit hac duorum locorum collatione, quandoquidem *cor* carneum ibi promittitur, tanquam donū atq; effectus Spiritus Dei; cum hoc loco habeatur pro corde, quod præparari debebat ad spiritum recipiendum. Interim sunt, *r)* quibus hæc sententia *R. Salomonis* non videtur displicere; de qua autem *Mercerus* ita suum judicium interponit: Non est, inquit, *ex phrasi hebræi sermonis*, quo *col basar* denotare debet *omnes mortales*, i. e. omnes homines; Pariter omnino ut *Abarbinel* censet, qui eam non nisi ratione דרש vel ut expositionem allegoricam approbat, non autem pro interpretatione propria recipit. Ipse vero sentit, *col bashar, omnem carnem* היא באמת כוללת לכל בני אדם מאיזו אומה שתהיה *revera comprehendere omnia hominum genera, cujuscunque nationis sint*, quare neque *Aben-Ezræ* assentitur, neque his aliis interpretibus, qui Spiritus promissionem hic factam ad solos *Israelitas* restringunt, cum indubiæ sit veritatis, vocem בשר *basar*, quando cui tribuitur, laxioris esse significationis. Præterea & in rebus promissis ab illis differt, quando vocem רוח *spiritus*, non accipit cum illis pro peculiari Prophetiæ spiritu, sed pro eo, qui communior est, spiritu *notitiæ*, aut qui in cognitione DEI eos instruet. Dona enim prophetiæ, quorum in sequentibus fit mentio, etiam Israelitis vindicat, iisque inter eos, qui eorum recipiendorum forent capaces. Quod cum ita sit verbaque necessario ulterius extendi debeant, mente concipere non possum, cur adeo restricte *s)* quidam ea accipiant, ut ad Judæos magis spectasse hæc promis-

q) Ut & cap. 36,26. r) Lyra, (quamvis ad Judæos pariter & Gentiles etiam trahi posse arbitretur) & Tarnov. s) Chr. a Castro.

ſa pronuntient,gentesque admiſſas ad harum rerum participationem non ex debito promiſſionis illis factæ,ſed ex gratia,qua poſtea earundem participes factæ ſunt. Erat certe,quod & initio notavimus,tam laxis terminis hæc prophetia concepta,ut & eas includeret,imo non eſſet,nec poſſet unquam dici completa, niſi præſtita eſſent hæc promiſſa etiam gentibus, atque in eas non minus quam in Judæos effuſa & collata eſſent hæc dona. Facto jam initio de promiſſis ſuis,generalibus his terminis incluſis,quod effuſurus ſit Spiritum ſuum (quo omnia ejus dona comprehendi poſſent) in omnem carnem (quo omnes filios hominum complectitur) in ſpecie nunc it declaratum, quænam Spiritus dona inprimis hic intelligat,& in quos homines & quomodo ea ſint conferenda. Bona, quorum hic facit mentionem, non videntur ſolum illis hominibus conferri in ipſorum proprium ac privatum uſum, ſed ut aliis etiam iis prodeſſent & in illorum bonum operarentur, voluntatem DEI illis patefaciendo,viam ad eum perveniendi ſternendo, doctrinam ejus propagando, atque eos pro virili ædificando. Primum quod promittitur,eſt *prophetia*, ſecundum *ſomnia*,tertium *viſiones*. Perſonæ,in quas primum dicitur conferendum,ſunt *eorum filii & filiæ*,ſecundum *ſenes*, tertium *juvenes*.

Quod ad primum donum Prophetiæ attinet,id proprie atque peculiari modo ſpectare arbitratur *Abarbinel* ad *Iſraelem*, vel in illis completum iri ea rerum reſtauratione,quam expectant (בזמן הגאולה) Licet enim prius Spiritus vocabulum ad alias nationes æque ac ad eos pertinere concedat,hoc loco tamen id *Iſraelitis* ſolis *aſſerit* & מוכנים מהם *hujusmodi inter eos qui ſe rite ad illud præparaverint*; nec id unquam ad alias nationes pertinuiſſe, nec illis præſtitum iri ullo tempore ſtatuit,ut habent ejus verba מה שלא היה ולא יהיה בשאר הגוים. At cum certo conſtet, hoc donum una cum cæteris hic tantum in ſpecie recenſeri (uti jam diximus) cum ſub generali *Spiritus* nomine comprehenderetur, idque ejusdem naturæ eſſe cum cæteris, quæ in eo comprehenduntur,neceſſario ſequitur, & illud ad omnes pertinere,qui nomine *omnis carnis* innuuntur, i. e. ad omnes hominum nationes,cujuscunque ſint conditionis & ſexus, ut denominatio *filiorum & filiarum* exhibet.

Quan-

Quantûmvis etiam affixum כם *chem, vestri*, hoc promissum illis solis videatur vindicare, ad quos Propheta locutus est, nimirum Judæis istius temporis; attamen absit procul, ut ad eorum filios tantum illud restringamus, quasi illorum tantum filii ac filiæ cæteris omnibus posthabitis respicerentur, cum potius cæterorum omnium filii ac filiæ non minus ac illi sub generali nomine *omnis carnis* comprehendantur. Etenim cum promissio tam late pateat, ut vox infert, non est cur arctioribus vinculis eam hic esse limitatam arbitremur; sed persuasi simus ad omnes æque indiscriminatim pertinere, etiam ad filios ethnicorum fidelium, quoscunque *t) Deus advocaverit;* quippe qui æque ac *Israel* secundum carnem essent capaces donorum Spiritus DEI recipiendorum. *Filii vestri & filiæ prophetabunt.* Annorum hic rationem haberi sub nomine filiorum & filiarum autumat *Kimchi*, qui forent adhuc בנערותם in pueritia sua, puelli & puellulæ, ut ita dicam כמו שמואל הנביא uti Samuel propheta, *1. Sam. 3.* qui Domini erat constitutus Propheta ab, imo in ipsis teneris annis. Quod si ita sit sumendum, omnes hic habentur ætates; senes quippe sequuntur & juvenes, quod argumento est, nullam esse *u)* ætatem, quæ non sit capax donorum spiritus DEI recipiendorum. Quid? quod nec sexus sit ulla exceptio, cum ex denominatione *filiorum* & *filiarum* patet, tum ex serie exemplorum, quam nobis exhibent S. literæ de fœminis vatibus. *Act. 21, 9.* dicitur *Philippus* habuisse quatuor filias, quæ vaticinabantur. Idem videre est ex eo, quod *Paulus* prohibeat, ne mulier vaticinetur detecto capite, *1. Cor. 11, 5.* Tandem & id illorum *w)* denominatione docemur, promissa divina non tantum pertinere ad patres, verum ad liberos quoque; *Ad vos pertinet promissio, & ad vestros filios, & ad omnes remotiores* &c. *Act. 2, 39.*

Proximo loco sub nomine *omnis carnis* jam notati sequuntur *x)* senes, in quos illud Spiritus S. donum conferendum est, *ut somnia somniaturi sint*, quos excipiunt *eorum juvenes*, in quibus se ita manife-

t) Act. 2, 39. *u)* Ex ore infantum & lactentium potest sibi laudem conficere, quippe & hi ad opera ejus obeunda idonei sunt, Psal. 8, 2. Matth. 21, 16. *w)* Merc. *x)* Act. 2, 17. ordinem invertit horum verborum Petrus, ubi primo loco ponit adolescentes vestri, i. e. filii vestri, eodem autem redit sensus.

ſtabit Spiritus, *ut viſiones viſuri ſint. y)* Maimonides diſtributioni huic perſonarum attendens eamque indefinite referri animadvertens ad quamvis hominum ætatem, quæ ipſi non videbatur par ulli veræ prophetiæ gradui, accipienda hæc verba non ſolum cenſet de illis, qui propheticis quibusdam donis veris erant inſtructi, verum etiam de iis, qui quædam prædicere aut docere audebant augurando vel divinando, quatenus & hi prophetarum nomine gaudebant, ut prophetæ *Baal* & lucus; atque ſcriptum extat *Deut. 13,1.* Si inter vos ſurrexerit Propheta vel ſomniator ſomniorum.

Ad hanc expoſitionem, ut aures obturet lector, petit *Abarbinel* optans ardentiſſime, nunquam in chartam conjecta fuiſſe hæc verba manifeſto falſa, ut quivis ratione præditus facile capere poteſt. Nam qua ratione in mentem alicui venire poteſt, cum extraordinariam benedictionem a DEO hic promittat Propheta, eum nominare atque intelligere hujusmodi affectatas prophetias, quæ DEO omnino diſplicent, atque in lege ejus ſevere ſunt prohibitæ; & quomodo poſſit eas vocare *ſuum ſpiritum*, i. e. ut exponit hoc Chaldæus רוח קודשי *meum ſanctum Spiritum*, quem in eos effuſurus eſt? Unde neceſſario ſequitur, non alia hic innui ſomnia ac viſiones, quam quæ DEum habent auctorem, quæque ipſe in lege pollicetur, & veræ prophetiæ revelationisque divinæ non infimi gradus ſunt. *Si eſt propheta ex vobis, per viſionem me ipſum notum faciam ei, & alloquar illum per ſomnium, ait Dominus Num. 12, 6.*

Senes veſtri ſomnia ſomniabunt &c.) Obſervat hic *Kimchi* & poſt eum *Abarbinel*, non addidiſſe hic Prophetam univerſalitatis notam, *omnis*, uti in præcedentibus fecerat, ſed indefinite tantum dixiſſe, *veſtri ſenes & omnes veſtri juvenes;* non autem, *omnes ſenes veſtri & juvenes veſtri*, quod hanc ob cauſam factum dicunt, ut de iis tantum intelligatur, qui ex illis ſunt מוכנים *Mucanim*, apti aut rite præparati ad dona recipienda, imo ab ipſa eorum conceptione, ut *Maimonides* a *Kimchi* citatus habet. Idem etiam locum habet in verbis præcedentibus, *filii veſtri & filiæ veſtræ*, quod tamen notare inſuper habuerunt. Perquam facile autem intellectu eſt lectori, ut non eſt expreſſa

y) Morch. Neb. l. 2. c. 32.

expressa universalitatis nota, *omnis*, ita nec subintelligendam esse, nec ullum habere posse locum. Etenim non erant instructi universi iisdem donis, ut illi omnes, in quos effusus erat Spiritus, potuissent prophetare, vel divinas haberent revelationes per somnia aut visiones; nunquam hoc tali modo erat factum, atque exinde etiam non promissum, quippe DEus revera in effectum deduxit quicquid promiserat. Stetit enim promissis suis, quæ in hac prophetia fecerat DEus, Christo in cœlum sublato, cum miranda Spiritus S. dona in fideles conferret, ita ut multi iis essent præditi in omnibus ecclesiis, tum Gentilium, tum Judæorum. Exempli loco potest esse Ecclesia *Corinthi*, ubi tanta eorum frequentia erat, ut consultum duceret z) *S. Paulus*, vices eorum loquendi circumscribere limitibus, ne alius alium interturbaret. Attamen non omnes erant Prophetæ, neque omnes eadem Spiritus dona recipiebant, neque eadem mensura omnes. Numquid omnes (inquit, Ecclesiæ illius membra alloquens,) sunt Apostoli? a) numquid omnes Prophetæ? numquid omnes doctores? numquid miraculorum editores? &c. minime gentium. Sed postquam mentionem injecerat diversorum modorum, quibus Deus effundit suum spiritum in eos, qui Evangelium Christi amplectebantur, eodem capite v. 11. ait, *hæc omnia efficere unum eundemque Spiritum, dispertientem cuique, ut vellet*, sive sint *Judæi sive gentes, servi aut liberi*, v. 13. vel ut Prophetiæ hujus verbis utamur, *filii & filiæ, senes vel juvenes, liberi vel servi & ancillæ*: tribuens differentiam horum diversorum donorum uni beneplacito DEI, uti & *Heb. 2, 4.* Hinc beneplacitum ejus est potius, quod illos debet מוכנים *Mucanim*, *aptos* reddere, (ut Judæi requirunt) quam ulla naturalis eorum constitutio, vel, ut volunt, propria industria. Donum est ejus, & quod illos aptos facit ad id recipiendum, quod recipiunt, & quod datur. b) *Potest DEus quocunque tempore non solum munera sua conferre, sed etiam suscipientes ad id aptos efficere.*

Eadem verba Apostoli responsum nobis suppeditant ad aliam quæstionem dirimendam, quam hic facit *Abarbinel*, cur hic somnia tribuantur senibus, visiones juvenibus? Posset equidem hæc quæstio

 facillimo

z) 1. Cor. 14, 29. a) 1. Cor. 12, 29. b) Pet. a Fig. Tho. Aq.

facillimo negotio expedire, si ex DEI arbitrio hæc pendere dicerentur, nihilq; eum velle aut facere sine gravissima ratione, quamvis, cur ita velit ac faciat, ratiocinii nostri imbecillitatem longe superet; attamen in eo hic totus est *Abarbinel*, ut rationem assignet, cur voluntatem suam DEus revelet ac cognitum faciat, quid fieri velit, senibus per somnia & juvenibus per visiones. Eam autem non nisi in diversa temperamenti harum ætatum constitutione sitam esse censet, qua altera huic, altera alii generi longe est aptior. Cum igitur hæc Prophetiæ genera nimium quantum differant, senes, inquit, aptiores sunt Spiritus influxum recipiendi per somnia, idque לרוב לחותם המקריי propter abundantem humorem, quo hæc ætas plerumque redundat, atque propter imaginariæ facultatis vel phantasiæ operationes augmentum indies capientes ex tot hominibus eorumque operibus visis & cognitis; juniores vero, quibuscum aliter se res habet, qui tanto humore non scatent quorumque tot phantasiis facultas imaginatrix haud occupatur, aptiores sunt visionibus. *c)* Alii alias hujus rei rationes adducunt, quas inter non est postrema, quod sublimior nobiliorque prophetiæ gradus sit somnia somniare, quam visiones videre; eaque de causa primum sit promissum senibus, qui ætatis ratione majori sunt digni reverentia & honore, cum alterum gradus inferioris etiam inferioribus ætate sit dicatum; Atqui hæc est ratio quam *Ribera* tuetur. Non desunt tamen *d)* alii, qui contrarium probare contendunt, nimirum visiones sublimioris esse naturæ, quam somnia; quia majoris momenti res est homines vigilantes detrahere a contemplatione rerum sensibilium, quibus occupati sunt, atque ad rerum supernaturalium contemplationem elevare, quam tales effectus operari in anima, quæ jam somnio est sopita & a rebus sensibilibus abstracta. Etenim tunc demum excellere censet somnia, quando DEus immediate illis in somnio loquitur juxta illud quod ante citatum est, *Num. 12,6. alloquar illum per somnium;* quando autem dormientibus eædem visiones præsentantur, quæ vigilantibus, dormientis somnia inferioris arbitratur gradus, quam vigilantis visiones.

Cæte-

c) Ribera. *d)* Thom. Aqu. ab eo citatus.

Cæterum hanc quæstionem, cur somnia tribuantur senibus, visiones juvenibus, ex his verbis & necessario nasci, & hac ratione solvi posse autumat. Verum non video cur ei solvendæ tam anxie inhæreant, cum intellexisse sufficiat, mentem horum verborum non esse aliam, quamDeum Spiritus sui ingentē promittere mensuram, quam constituto tempore, nullâ a donis ejus recipiendis ætate exclusa, conferre velit, ne ipso quidē excellentissimo prophetiæ dono excepto, in senes æque ac juvenes, prout e re ecclesiæ suæ censebit commodum, quibus voluntatem suam revelet per somnia & visiones, revelationum propheticarum tritas vias. *Kimchi* inter somnia & visiones talem non statuit differentiam, qualis cæteroquin grammatica quadam distinctione ex stricta verborum significatione posset erui, cum propius spectet dormientes alterum, alterum vigilantes, quamvis minus probabile sit, somnia huic, visiones alteri ætati peculiares esse. Verba enim sic explanat והנבואה תהיה להם במראה החלום *Et erit illis prophetia in visione somnii*, quasi non essent distincta somnia & visiones, sed qui uno instrueretur, alterius etiam esset particeps, visionesque etiam locum haberent in somniis, ita ut quodvis nomen quibusvis revelationibus imponi posset, cuicunque etiam fieret ætati. Nec desunt visionum exempla, quas senes pariter atque juvenes videre. Eminet inter cæteros eo revelationis genere *Cornelius Act. 10, 3.* & *Petrus* eodem capite *v. 17.* &c. *11, 5.* De *Anania* quoque extat, Dominum eum allocutum esse per visionem, *Act. 9, 10.* Sic & *Paulo* legimus obvenisse visionem *cap. 16, 9.* Vir quidam *Macedo* apparebat ei noctu orans, ut ad se veniret in *Macedoniam*. Atqui hi omnes in senibus sunt habendi; attamen non dicitur eos *somnia somniasse*, sed *visiones vidisse*. Quod de Paulo scriptum extat, quod aliquis noctu ei apparuerit, somnii speciem præ se ferre haud improbabile est, nec alio venit nomine *S. Hieronymo* hæc in verba scribenti: *senes quoque viderunt somnia, quando Paulus jam senex audivit virum Macedonem* &c. id quod cum cæteris hujus generis exemplis liquido confirmat, visiones juvenibus solis non esse peculiares, & idem revelationis genus nonnunquam denotari visionum & somniorum denominatione, ut hæc verba, *senes somniabunt somnia & juvenes videbunt visiones*,

ſiones, non argutam ſuppeditent diſtinctionem inter hæc duo revelationis divinæ genera, ſed utriq; ætati certo affirment, Deum cum illis eſſe communicaturum hæc Spiritus prophetici dona, jam hac, jam illa ratione pro arbitratu ſuo; quamvis non deſit *e)*, cui pro Synonymis ea accipere placet, ut omnem ita præcidat occaſionem diſputandi, quæ cui ſit præferenda donatio, etſi magis in viſiones inclinet, ſi inter ea collatio inſtituenda ſit. Verum non operæ pretium eſt huic rei diutius hic inſiſtere, quocirca altera diviſionis noſtræ pars jam eſt rimanda, qua Deus dicitur tam liberaliter eſſe effuſurus Spiritum ſuum ſuper omnem carnem, ut omnis ætatis non ſecus ac utriusque ſexus perſonæ ſint recepturæ ex gratia & benignitate ejus. Quod ut pluribus in ſequentibus verbis indicaret, magisque innoteſceret, nullam conditionem hominum ab hoc privilegio eſſe excluſam, ita progreditur.

29. *Atque etiam ſuper ſervos & ancillas* &c.] *atque etiam*; qua horum cum præcedentibus verbis connexione docetur, alio reſpectu hæc eſſe dicta, quam præcedentia, non quidem de illorum ſexu vel ætate, ſed de conditione, cui erant adſtricti; adeo ut, alienæ licet ſubjecti eſſent poteſtati ſervileque munus obirent, non minus, ac qui ſui juris eſſent, nec dominatum agnoſcerent, capaces forent reddendi donorum Spiritus S. recipiendorum.

In his diebus] Dies, de quibus hic ſermo eſt, non ſunt alii, quam regnum Chriſti, in quo nulla rerum differentia eſt, quæ ad reditum eorum ad DEum atque ad poteſtatem privilegiis hujus regni fruendi pertinent, nulla hic eſt differentia inter *ſervum & liberum, Gal. 3, 28. Ille qui vocatus eſt in Domino, cum ſervus eſſet, is Domini libertus eſt. Itidem qui liber vocatus eſt, is Chriſti ſervus eſt, 1. Cor. 7, 22.* Verba hebraica ita plane ſonant, uti a noſtratibus ad literam ſunt expreſſa, eorumque ſenſus non alius certe videtur, quam a nobis eſt ſuppeditatus. At paulo aliter ea citantur a *S. Petro Act. 2, 18.* Primo enim non indefinite dicit, *ſuper ſervos & ancillas*, qua ratione hebraice habent על העבדים ועל השפחות *al haabadim veal hashphacoth*, ſed cum

e) Petr. a Fig. Magis placet ut ſomnia & viſiones pro eodem accipiantur. Poſſunt etiam intelligi omnia viſa prophetica, quæ fiunt ſive in ſomno ſive vigilia, &c.

cum affixo ſubjuncto: ἐπὶ τὰς δούλους μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου, *ſuper meos ſervos & meas ancillas*, uti & Vulgata hic habet: *ſed & ſuper ſervos meos & ancillas*, quod aliquatenus videtur ſenſum immutare atque verborum ſignificationem, quaſi non proprie notarentur illi, qui nutus heriles obſervabant, aliisque hominibus ſubjecti erant, ſed ad omnes omnium hominum ordines ac conditiones verba hæc ſpectarent, ne ſummatibus quidem exceptis, cum & magnatibus laudi ducendum titulo filiorum DEI appellari; atqui ea ratione ad eosdem omnis generis homines reſpicerent, qui ante denotati ſunt.

At quod eo ſenſu non ſint accipienda, ſed ad ſervilem ac communem hominum ſortem referenda, haud incongrue *f*) quibusdam obſervatum eſt una nobiscum ſtatuentibus, *ſervos meos & ancillas meas* hic non denotare omnis generis homines, qui vere in DEum credunt eumque colunt, ſed eos cumprimis, qui ſervorum jugum ſubibant, adhuc inter homines. Quibus ſignificari in proclivi eſt, & eos ipſos, non obſtante illorum dejecta ſorte, a DEO dignos redditum iri omnibus his præclaris & extraordinariis Spiritus S. donis accipiendis, non ſecus ac illorum dominos vel aliquem eorum, qui maxime ſit ſui juris conditionisque inter homines valde inſignis & eximiæ. Quapropter in tales hunc locum quadrare arbitror perſonas, quæ ſunt hujus conditionis, cujuscunque demum ſint ſexus, licet hujusmodi hic innui cenſeat *Calvinus* per ſervos & ancillas, qui antea prophetiæ dono fuerant inſtructi; hisque verbis tam abundantem Spiritus Sancti effuſionem denotari, ut & illi, in quos antea erat elapſus, multo majori menſura eum eſſent accepturi. Quemadmodum *S. Petrus* hunc locum citans loco ejus, quod hebraice habet, *effundam ſpiritum meum*, dixerat *ex meo ſpiritu*, ita & hoc loco agit. Nam quæ Spiritus S. dona in eos eſſent conferenda, in textu hebraico, ut videmus, non eſt expreſſum. Ex eo autem, quod apud *S. Petrum* legimus, apparet, donum eſſe prophetandi; quippe addit, quod Textus hebraicus non agnoſcit, καὶ προφητεύσουσι, licet neque hoc loco, neque apud LXX ulla hujus rei vola aut veſtigium. At ſufficiens argumentum eſt nobis ejus auctoritas, quod ita accipi debeat.

Hh Acce-

f) Druſ. Veil.

Accedit huic interpretandi rationi etiam Arabica MS. versio, quæ habet ואיצא עלי אלעביד ועלי אלאמא אצב נבותי *atque etiam super servos & ancillas g) effundam prophetiam meam.* Quod e diametro contrariatur Judæorum axiomati pervulgato *h)* אין הנבואה שורה אלא על חכם גבור ועשיר *Prophetia non residet super aliquo, nisi sit sapiens, fortis & dives*, vel ut *Grotius* illud citat in *Act. 2, 18. Spiritus Sanctus non requiescit super animam pauperis.* Iidem dicunt prophetiam non residere *i)* מתוך עצבות *ubi homines in mœrore versantur.* Quibus rationibus impulsus *Abarbinel* proprie hæc accipit de *servis & ancillis*, uti verba sonant. Putat enim per Spiritum non posse hic intelligi donum prophetiæ, sed tantum על הידיעה וההכרה באלהיתו *notitiæ & cognitionis eorum muneris* אמנם העבדים והשפחות שמפני עבודתם יהיו תמיד בעצבון לא יוכלו להנבא אבל ישפוך השם את רוחו עליהם ר"ל רוח דעת ויראת השם Iterum ait: *at quod ad servos & ancillas, quia propter servilem eorum conditionem perpetuo versantur in mœrore vel calamitate, non possunt apti esse ad prophetizandum* (vel obtinere prophetiæ gradum) *sed Deus effundet super eos suum Spiritum, nimirum, Spiritum cognitionis & timoris Domini.*

Kimchi hic nullam quæstionem movet, nec quoad illos, qui vocantur servi & ancillæ, cujusnam scilicet illorum foret conditio, nec quoad dona Spiritus, quæ super eas dicuntur effundenda. At alio modo ille constringit verba, cum per hos dictos *servos & ancillas*, qui prædicto privilegio fruentur, non nisi eos putet innui, qui gentibus prognati in terra Israel adhuc essent victuri servientes Dominis Israelitis, quasi sic faciendo tantum horum Spiritus S. donorum participes reddendi essent, quorum servi alibi non forent capaces. Verum non latet talis limitatio in verbis, ulterius etiam ea allegata extendit *S. Petrus*, ad quosvis scilicet servos utriusque sexus, qui ad Deum in Christo essent conversi. *Aben-Ezra* inquit שבו יתורת השם *qui conversi sunt ad legem Dei*, haud dubie, ad legem *Mosis*, at nos ar- mitteri

g) Omissum est. *in his diebus.* *h)* Moreh. Neb. l. 2. c. 32. *i)* Moreh. Neb. 2 c. 36.

miori auctoritate *S. Petri,* dicimus ad legem Christi aut ad Evangelium, quod in eos dies erat promissum, qui per Christi adventum illustriores facti sunt diebus legis, utpote in quibus nulla amplius restat differentia inter sortem vel conditiones hominum, *Col. 3.* collat. cum *Esa. 56.* quibusque nullum est dubium, quin præstitum sit, quod DEus promiserat, quamvis omnium eorum tam particularia exempla non habeamus. Quod vero ad conditiones hominum, luculenter apparet, omnes indifferenter prophetiæ pariter ac aliis Spiritus Sancti donis fuisse instructos. Quid per prophetiam plerumque denotetur, quispiam simul ac eam vocem audiat, intelligere potest; attamen rursus cognitum est atque pervulgatum, eam laxiori interdum sensu sumi, quam proprie significat.

30. Et ostendam miracula in cœlis & in terra, sanguinem & ignem & columnas fumi.

31. Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam dies magnus & terribilis Domini veniat.

Expositis his extraordinariis Spiritus S. donis præcedentibus duobus versiculis, quæ temporibus Christi benigne conferre volebat in fideles, fidosque suos servos cujuscunque ætatis, sexus, conditionis, & nationis, non tantum in eorum solatium, verum & in ecclesiæ suæ ædificationem, progreditur hic enumerando ea terribilia ac horrenda, quæ etiam exhibere volebat, ut improbos terreret omnibusque sui timorem injiceret. Multa certe hæc verba laborant difficultate, cum neque liquido appareat, quid iis rebus innuatur, neque quorsum pertineant & quo tempore sint dicenda completa.

Miracula & signa prodigiosa, quæ hic exhibiturus est, erunt בשמים ובארץ *bashamaim ubaaretz, in cœlis & in terra.* *S. Petrus* ea citans explicandi forma ait, *miracula in cœlo supra, & signa in terra infra,* τέρατα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ σημεῖα ἐπὶ τῆς γῆς κάτω. Licet LXX simpliciter habeant, uti hebraice est: τέρατα ἐν οὐρανῷ,

καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, *miracula in cœlo & super terra*; quod argumento eſt eum in citandis verbis ex veteri Teſtamento ſe non conſtrinxiſſe verſioni LXXrali, ſed expreſſiſſe tantum eorum ſenſum eo modo, quo optime ſciebat planiſſime eum conſtare. Inter miracula, quæ dicit ſe eſſe exhibiturum, primo loco recenſetur *ſanguis*, quod ad ea pertinere videtur, quæ futura erant in terra. Quamvis enim poſt cœlos nominetur, relata tamen locantur ante ea, quo referuntur. Quæ collocandi ratio, notante *Aben-Eſra*, non infrequens eſt ſacris literis, nimirum, ubi duæ res memorantur, ut incipiant initio exponere, quæ ad ſecundam pertinent, poſtea vero tandem ad primam redeant. *Sanguis*] Sanguinis prodigioſi & portentoſi quædam exempla ex Autoribus ethnicis citantur a doctiſſimo *D. Livel.* veluti ſanguineæ pluviæ ſanguineorum puteorum, ac ſcaturiginum, cruentique maris, quæ miſeræ cladis triſte præſagium habebantur. In Sacris literis legimus aquas & rivorum & ſcaturiginum in *Ægypto* in extraordinarium vindictæ divinæ ſignum converſas eſſe in ſanguinem, ut in terrorem conjiceretur cor durum *Pharaonis*. Quod hic calamitatis ingentis futuræ ſit præſagium, ex eo apparet quod ſequitur: *antequam dies magnus & terribilis Domini veniat. k)* Quidam interpretum hoc explicant de inſolita effuſione ſanguinis in bellorum tumultibus hinc inde exortis; alii intelligunt *l) imbres & colores ſanguineos; m)* alii idem hic innui cenſent, quod poſtea his verbis innuitur: *Luna in ſanguinem convertetur.* At certum eſt, hic conſtitui ſignum ab illo plane diverſum, ſimileque magis eſt vero, bella portendi ſanguinea, quam ſanguinem in eis effuſum, etſi non ſit expreſſum, qua ratione hic ſanguis prodigii loco futurus ſit. Attamen ipſe Salvator etiam bella ſanguinea ſtatuit ſigna inſtantium magnorum malorum, *Matth. 24, 6. 7.* Præ ſe ferunt certe hæc verba quandam extraordinariam ſanguinis profuſionem futuram in portentum ac ingentem populi conſternationem; quo modo autem ea ſit futura, non definiunt, & fortean alia etiam poſſet eſſe ſanguinis profu-

k) Pet. a Fig. Ribera. Tar. Sa. Menoch. Grot. Act. 2. *l)* Anon. Bibliotheca J[illegible] *m)* Menoch. Tirin. licet in aliis etiam ita accipiat, uti Ap. 8, 8. ubi mare [illegible] ſanguis, quem majori copia putat fuſum iri ſub Antichriſto.

profusio, quam in bellorum cladibus. Proximo loco sequitur *ignis*. Extant diversa exempla ignis, quo DEus mirando ac extraordinario modo usus est ad supplicia sumenda de peccatoribus atque terrorem incutiendum animis hominum, idque diversa plane ratione. Super *Sodomam & Gomorrham* prodigiosa ratione dimisit pluviam sulphuris & ignis a Domino e cœlis, *Gen. 19, 24.* Inter plagas portentosas Ægyptiacas & hanc legimus, quod grando deciderit, cui erat ignis permistus, *Exod. 9, 23. 24.* Cum accensus esset ira Dominus propter populum querulum ibundum, ignis Domini in eos exarsit eo loco, quem postea in ejus rei memoriam appellarunt thablieram, *Num. 11, 3.* & *Num. 16, 35.* egressus est ignis a Domino & absumsit ducentos quinquaginta illos viros, qui offerebant suffitum. Ad preces *Eliæ 2. Reg. 1, 10.* ignis descendebat e cœlo & consumebat præfectum & quinquaginta, qui veniebant comprehensum eum. In quibus omnibus historiis miraculi vicem subit, quia eorum nulla ordinaria ratio dari potest. Qua ratione & hoc loco esse debet, licet non sit definitum quo pacto id futurum sit, id quod variis conjecturis & opinionibus locum fecit. *Abarbinel* in iis hoc habet miraculis, quæ exhibiturus erat in cœlis, quo significari censet שימטיר השמים עליהם ברד ואבני אלגביש אשר בתוכם האש *DEum immissurum esse super eos grandinem ingentesque grandinis lapides, quibus immistus erit ignis*, referens illud, ni fallor, vel ad id, quod acciderat in Ægypto, vel ad dictum Psalmistæ: *grando & prunæ ignes Psal. 18, 12. 13.* vel quod est *Ezech. 38, 22.* ubi DEus minatur se pluviam esse missurum super *Gog & Magog* (quos hic cum cæteris Judæis putat respici) lapidum *ingentis grandinis, ignis & sulphuris. n)* Alii hoc intelligunt de horrendis fulguribus vel insolitis igneis meteoris *o)* in cœlis, sive *p)* aere (quæ & inter ethnicos putabantur magnam stragem portendere). Sunt & qui de *q)* igneis linguis, quibus Spiritus S. descendebat super discipulos, hic prophetiam edi autumant *Act. 2, 3. r)* Alii autem exponunt de insolitis in-

 genti-

n) Kimchi, Drus. Rib. &c. *o)* التي تنسب الى السما لعلو مكانها quæ cœlis tribuuntur ob altitudinem loci, quem occupant. R. Tanchum. *p)* Livel. *q)* Hieronym. Mercer. *r)* Grot. Ribera.

gentibus incendiis, quibus delendæ forent civitates & urbes eo, quod tempore hic notato gerendum esset, bello. *s)* Alii generalem illam hic prodi arbitrantur conflagrationem, qua totus mundus igne periturus est ultimo die. Quænam harum opinionum maxime sit probabilis, rectius judicari poterit, quando scrutati fuerimus, cui tempori hæc inprimis sint vindicanda, quidve per proximum signum sit intelligendum, quod cæteris subjungitur nomine *columnarum fumi.* *t)* Quidam, juxta sensum præcedentibus verbis affictum, intelligunt fumum, qui ex illis rebus ascendet, quæ fulguribus sunt tactæ & accensæ, de quibus acceperant vocem *ignis.* *u)* Alii rationem suam explicandi sequentes, sumunt de fumo, qui ascenderet ex civitatibus hostium opera accensis. *w)* Alii de fumo qui oriturus est ex concrematione totius mundi. *x)* Alii ad eum respici volunt, qui simul descendebat in igneis linguis, *Act. 2.* *Columnæ fumi*] Ita videntur appellari propter figuram, qua recta linea ascendunt columnæ instar. Vox lingua originali est תמרות *Timroth* a תמר denotans *palmam*, unde transfertur ad proceram & rectam columnam, & hoc loco ad fumum, quatenus ascendendo se contorquet ea figura. *y)* Sensu non differt ab eo quod dicitur עמיר עשן *Jud. 2, 40.* utraque enim vox & columnam & palmam significat, apteque convenit fumo ascendenti כרה לשבכרה sicuti illæ sunt figura. LXX magis attendentes materiæ quam formæ ejus, reddunt *ἀτμίδα καπνοῦ*, ut & Syrus ܕܬܢܢܐ ܠܡܛܐ; & Vulgat. Lat. *vaporem fumi.* Arab. impress. quoque بخار الدخان; omnes *de vapore fumi*; At MS. Arab. ex Hebræo concinnatum עראלארת אלרחאן; عدالاين الدخان *z)* quæ verba, si recto sunt scripta, necessario inferunt rectas & æquales fumi ascensiones. *R. Tanchum* vero verbis, quæ ultatiora

s) Lyra. Sa. Men. Tirin. Pet. a Figuero, qui id etiam referri posse censet ad novum illud & infernale tormentorum inventum. *t)* Kimchi. Drus. *u)* Grot. *ww)* Tirin *x)* Merc. *y)* R. Tanch. Kimchi propterea quod palma arbor est sublimis & recta & æqualis, rem sublimem & rectam ei assimilant. *z)* عدولي ab eadem radice notat proceram veterem arborem, ut forsan debet esse نخلالان a نخلة palma, qua ratione ad literam respondet hebraico תמרות.

tatiora ſunt, inquit اعمدة الدخان المرتفعة *columnæ fumi altum aſcendentes* الذي يشبه العمود لتكاثفه وامتداده *qui refert columnæ formam propter ſpiſſitudinem ſuam & extenſionem.* Chaldæus habet יטורין *yiturin, columnas.* Quidam intelligi volunt *a) denſas & obſcuras nubes:* Verum quicquid intelligatur hoc loco, neceſſe eſt, ut ſit hujus generis, quod non eſt uſitatum vel ordinarium, ſed miri quid ac inſoliti in ſe contineat veluti ſigna ſequentia. v. g.

v. 31. Sol convertetur in tenebras & luna in ſanguinem) Haud abſimilis exprimendi ratio fuit *v. 10. Sol & luna obtenebrabuntur*, ubi etiam expoſitum eſt, quid hoc ſignificare velint. Quod ad hunc locum attinet, magnopere hic iterum diſcrepant interpretes, *b)* multis horum luminarium eclipſin intelligentibus, qua & lumen ſuum amiſſura ſunt, & colorem commutatura. Eclipſes enim eorum plerumque incutiunt hominibus metum, & ſolent *c)* prænuntiæ eſſe calamitatum venientium etiam *ſecundum naturam ſuam* (ut ait *Arias Montanus*) i. e. quando ex cognitis & naturalibus oriuntur cauſis, *nedum ſi præter naturæ ordinem hujuſmodi accidant.* Et ſi quid prodigioſi ac inſoliti in illis accidere debeat, ut hic prædictum eſt, id in illorum eclipſibus eſſe haud temerarie dixeris, ſi de illis hæc verba exponas. *Et luna in ſanguinem*] quibus *Kimchi* innui cenſet ejus ſanguineum aſpectum, ſi eclipſis ſit non perfecta; quando autem perfecta eſt, eam apparere nigram. Ejus verba ſunt hæc כשיהיה הקדרות שלם יהיה הירח שחור ובשלא יהיה הקדרות שלם יהיה אדום כדם i. e. *Quando eclipſis eſt perfecta, luna eſt nigra; quando autem non eſt eclipſis perfecta, eſt rubra inſtar ſanguinis.* Id quod fieri *Aben-Ezra* notat, cum fuerit procul *a capite Draconis*, & caudæ ejus ſex gradibus propinquior, quod ſemper putat portendere bella. *d)* Alii per ſolis converſionem in tenebras, ejus intelligunt obſcurationem propter illum fumum undique ſurgentem, de quo dictum; & per

a) Columnas nubis. Munſt. Tig. i. e. Calvino exponente, *obſcuras nubes.* *b)* Aben Ezra. Kimchi. Livel. Ar. Mont. Merc. *c) Præ Eclipſi, quæ calamitatum ſervientium prænuntia eſſe ſolet, ejus lumen deficit* &c. Livel. *d)* Grot.

& per lunæ conversionem in sanguinem, ejus sanguinolentum colorem, quo apparebit propter multum sanguinem infra fusum ex solo in aerem attractum.

Atque hi omnes literali sensu hæc verba accipiunt, eaque omnia signa prodigiosa revera esse apparitura autumant, quæ quoque sententia est quorundam interpretum inter Judæos, ut observatum est Kimchi, qui etiam adjicit de *Aben-Ezra*, eum hæc verba exponere כמשמעו *ad literam*, quasi tempore hic assignato futura sint hæc prodigia; at alia mente esse *Mosen Maimonid.* qui hæc & huic similia exponat על דרך משל *sensu parabolico* vel figurato de afflictionibus, quæ populis evenient: Portenta ejus opinione significare ingentes afflictiones & bella allegorice & figurate, non ad literam intelligenda, uti & quod ante dictum est de locustarum denso agmine ꝟ. *10.* *Sol & luna obtenebrabuntur* &c. omniaque quæ infra dicuntur *cap. 3,15.* ad cladem *Gog* & *Magog* esse referenda. At non unus est nec ejus sententiæ primus auctor hic Rabbi; sunt & inter Christianos, qui eandem fovent sententiam iique multo antiquiores eo. *Ruffinus* enim statuit non esse futuram tantam rerum perturbationem, vel insolita ac portentosa signa revera in cœlo & in terra, sed tantummodo in animis populi attoniti, qui tanto terrore esset afficiendus, ut tota rerum facies ipsi videretur immutata, sol conversus in tenebras, luna in sanguinem, cunctaque igne & fumo correpta atque impleta. Idem & e) recentiores nonnulli sentiunt, cum non ad literam, sed metaphorice hæc verba sumant, phrasibusque, *sol convertetur in tenebras, luna in sanguinem*, ejusmodi innui calamitates velint, quæ omni eos solatio prorsus essent privaturæ.

Observat h. l. *R. Tanchum* بالاستعارة per *metaphoram* vel figuram hic reges & regna conferri cum stellis, id quod recentiores opinantur fieri cum sole & luna, atque his horrendis signis, quæ illis dicuntur futura, eas denotari calamitates, quibus obruendi sunt. *Personæ quæ affligentur hic summæ auctoritatis fore procul dubio significantur*, inquit *Drusius*. *Nam eos solis & lunæ nomine designat Propheta.*

F 2

e) Calvin. Dan. Tarnov.

Et in eandem mentem *Tarnovius: f) Sunt qui allegorice in hoc versu per solem & lunam personas summæ auctoritatis notari existimant*, in quos, cum aliorum in exemplum cultui divino incumbere strenue debuissent, propter defectionem suam acrius multo quam in cæteros animadvertetur talibus suppliciis, quæ omnem illorum gloriam & splendorem protinus obscurum reddent atque instar eclipsis obfuscabunt.

Abarbinel per solem & lunam *g)* hic intelligi vult אדום וישמעאל *Edom & Ismael* (i. e. sua lingua *Christianos* & *Mahumedanos*) eorumque bella, quæ circa terram sanctam gerent, & solis nomine (quo præfiguratur *Edom*) in tenebras conversi, atque lunæ (qua *Ismael* refertur) in sanguinem mutatæ innui נקמתם *vindictam*, quæ de illis est sumenda. At non est ulla ratio, cur hoc loco sit deflectendum a literali sensu verborum, cum potius apertissimum sit, tum *solem* tum *lunam* accipiendos esse propria significatione, illorumque aspectus mutatione hic descripta revera describi hujusmodi portenta, quæ tempore a Deo constituto futura sunt, quod in sequentibus exprimitur his verbis: *antequam magnus & terribilis* (sive ut *Act. 2, 20.* insignis) *dies Domini veniat*. Verum hic ingens enascitur difficultas, quæque non facile videtur expediri posse, quodnam scilicet his describatur tempus, & quando sint futura, quæ hic prædicuntur.

Verissima est, quam *h) Maimonides* tradidit, regula كل يوم تكون فيه نحرة عظيمة او فادحة عظيمة فانه يسمي יום יי הגדול והנורא *eum diem* (vel quemvis diem) *quo accidet aliquod ingens beneficium* (vel prosperitas) *aut aliquod magnum infortunium* aliquid magnopere proficuum *vel noxium, vocari terribilem diem Domini*. Qua ratione & supra *v. 11.* illum diem, quo locustæ venturæ erant super eas, vocat *diem DEI magnum & terribilem valde, quem nemo sustineret*. Etsi igitur indubium sit certum hic diem certumque tempus ejusmodi epithetis descriptum denotari, at-

f) Vide sis Pelican. qui in eandem mentem interpretatur prius de Imperio Romano & sapientia Domini; posterius de Judæis sanguinem Christi in capita sua derivantibus. *g)* Cætera enim loca, uti v. 10. & c. 3, 15. alia ratione intelligit, priorem de destructione Israelis, posteriorem de vindicta in alias gentes. *h)* Moreh. c. 29. *i)* Desunt hæc verba in hebraicis versionibus.

ri; attamen cum plures reperiantur dies, ad quos possit commode satis referri, factum est ut in varias interpretes sententias iverint scrutantes, quisnam eorum cumprimis sit, qui in specie hic denotetur. Prædictus *Maimonides* hoc respicere existimat diem ingentis *k)* cladis, qua affectus est *Sennacherib*, prope Hierosolymam. Quæ eadem est opinio *Ruffini*, quem non longe ante citavimus, ex Christianis. Atque ne illis objiceretur talia, quæ hic describuntur non esse facta eo die vel ante hunc diem, ad figuratum sermonem se recipiunt, quo intelligunt hæc de illis calamitatibus & ingenti consternatione qua Judæi erant correpti propter ejus instantem invasionem, *l)* donec DEus illucescere juberet illum magnum & terribilem diem, quo in caput ejus referebatur clades, qua Judæos volebat delere. Quodsi autem minus se probaret hæc expositio, inquit Maimonides יכון נצף חלאך גוג עלי ירושלם בימי המלך המשיח *erit destructio destructionis Gog prope Hierosolymam diebus Regis Messiæ*, quam sententiam alii etiam Judæorum in exponenda hac prophetia sequuntur: כאנה, inquit *R. Tanchum*, ישיר בהדה אלנבוה אלי מלחמת גוג ומגוג *videtur hac prophetia indicare bellum Gog & Magog*, quatenus magna est convenientia inter hoc & illud quod describitur *Ezech. 38, 22.* &c. Ita & *Kimchi* ad illud refert tempus ruinæ *Gog* & *Magog*, & populi quem facient ascendere secum, quo tempore hujusmodi erunt luminarium eclipses, ut hic sunt descripta ejus rei signa & præsagia. Pari ratione procedit *Abarbinel* verba faciens de his prodigiosis ac mirandis signis אין ספק כי הוא מה שביאר יחזקאל במלחמת גוג ומגוג שיהיה שם דם הרג העצום בארץ &c. i.e. *non est dubium quin idem hic describatur, quod Ezechiel describit, nimirum bellum* Gog & Magog: *præterquam enim quod sanguis ingentis cladis fuerit in terra & ignis, & columnæ fumi, DEus pluet super eos ex cœlis ignem & sulphur, & horrendam tempestatem* &c. quapropter diem, qui hic vocatur *magnus & terribilis dies Domini*, exponit יום גאולת עמו *diem redemtionis* (vel restaurationis) *populi*

---

k) 2. Reg. 19, 35. &c. *l)* Ruff.

populi sui, in cujus conspectu & prope quem hoc erit bellum. Dies autem Domini erit *magnus* propter populi sui redemtionem,& *terribilis* propter sumtam de hostibus ejus vindictam.

Ut autem rite hac de expositione verborum feramus sententiam, necesse est, ut paululum hinc digrediamur quam potest fieri, brevissime scrutaturi, quosnam per *Gog* & *Magog* intelligant,& quo tempore existiment illud funestum bellum eorumq; exitium esse futurum,quod ipsum habent magnum & terribilem diem Domini. Atque in eo nemo nos, quod sciam, magis & melius erudire potest quam *R. Tanchum* in suis notis,quas fecit in *Ezech. 38,2.* ubi frequentior est τȣ̃ *Gog* & *Magog* mentio,quam ullibi alias in V. Testamento. Hic autem expresse habet הרא בלא שך קבאיל אלתרך ואלתתר ובלארהם *m) Hi sine ullo dubio sunt tribus Turcarum & Tartarorum eorumque regiones;* atque eorum originem arcessit ex *Gen. 10,2.* ubi recensentur inter filios *Japhet Gomer* & *Magog* &c. Hos, inquit, multi alii sequentur in bello,quod memoratur apud *Ezech.* quamvis præcipuus hic nominetur *Gog* omnium illorum rex. Hactenus de personis. Quod ad tempus attinet & quidnam eo tempore illis sit futurum,de eo iterum sic infit הדה אלקצה בלא שך מן אלמיאעיד אלמנתטרה *Hæc descriptio dubio procul inter promissa est, quorum completio adhuc expectatur*, eo scilicet modo, quo ibi est descripta לם יכן אלי אלאן מתלהא ולא קריב להא *tale quid nullo unquam tempore ante fuit, nec aliquid propius illi* (accedit) *præterquam hoc* אנהא מבצרה בבונהא תכון קקיב אנתמאע ישראל אלי בלאדהם וקבל התצין אלבלאר ותעמירהא *quod in serie ejus adventui est designatum postea futurum, quam* Israel *in proprium suum regnum restitutus sit, & antequam muniverint atque incoluerint suas civitates*, id quod ex *v. 8. & 11.* &c. liquere dicit. Idem etiam probabile putat hoc esse bellum cum eo, quod describitur *Zachar. 14.* quamvis in circumstantiis & expressionibus non nihil differat,cum

 idem

---

m) Confer cum his, quæ ab Arabib. perhibentur de يأجوج & مأجوج *Jagog* & *Magog*,de quibus consule Geogr. Arab. Clim. 5. part. 9. 10. & Maginum.

idem tempus interim respiciat prophetia utraque, quod, inquit, futurum est ואנתנא תכון דלך בעד אנתמאע ישראל אלי בלאדהם *postquam Israel in proprium regnum suum restitutus erit, idque* בעד טהור אדנינו המלך המשיח *post adventum nostri Domini Regis Messiæ*, quem optat מהרה יגלה *ut celerrime manifestetur.* Atque hæc sunt ejus verba, quæ late hic recensere e re nostra duximus, quia codex ille non est impressus, ex quibus jam sat superque constat, quid per *Gog* & *Magog* existimet intelligi, ad quorum exitium *magnum & terribilem diem Domini* referunt, qui, cum juxta eum aliosque Judæos adhuc expectandus sit, eamque solam explicationem horum verborum selegit Maimonides, ad alteram cladem scilicet *Sennacheribi* referri non potest. At Christiani, qui firme credunt & confitentur Messiam diu venisse, huic assentiri non possunt, licet nec alteri opinioni assensum præbeant, quocirca alio modo ea exponere annisi sunt, quem multo putant probabiliorem, quam alterutram horum expositionem. Attamen in eo iterum non omnes eadem statuunt. Sunt qui hic ad destructionem Hierosolymæ & templi respici opinantur, quæ a Chaldæis sub *Nebuchadnosore* vastata sunt. Alii ad eorundem, cum rursus essent ædificata, destructionem a Romanis, quam antecedebant horrenda ejus generis signa, ut hic memorata sunt, quemadmodum memoriæ prodidit *Josephus* libro septimo *de Bello Judaico*, quo tempore apparebat gladius igneus, & horrendus Cometa, quorsum *n)* nonnulli etiam referunt, quæ a Salvatore prædicuntur prodigia *o) Matth. 24,29.* &c. Ita & *p) Grotius* sentit, nimirum quatenus a *Joele* sunt prolata verba, spectare destructionem, quam judaicæ nationi intulere Chaldæi; quatenus a *S. Petro*, quæ postea illis illata est a *Romanis*, quorum temporum quodvis jure merito appellari potest *magnus & terribilis dies Domini.* Alii hunc diem temporibus Christi circumscribunt, ad hoc alii, alii ad illud referentes. Quidam *q)* passionis & resurrectionis diem, quo tempore magna portenta dicuntur edita ab his dictis non abhorrentia, inter quæ etiam referunt Solem

n) Hammond. *o)* Et Marc. 13,24. & Luc. 21,11. *p)* In Act. 2. *q)* Vide Ch. a Castro & Mercer. de Hieronym.

Solem *r)* obscuratum, cum hoc loco fertur in tenebras conversus, quod & *s)* lunæ accidisse quibusdam non improbabile est, quantumvis in Evangelio nulla hujus rei mentio, Evangelistis quippe, *S. Johanne* testante, omnium rerum in specie accuratam curam non habentibus. Sub eo quoque *t)* concludunt *Pentecostes* diem, quo tam miranda ratione effusus est Spiritus Sanctus, ut *S. Petrus* dicat, id ipsum jam esse completum, quod a Propheta hic dictum est. At cum arduum nimis sit omnia hæc signa vindicare uni eidemque tempori jamjam elapso, *ipseque dicat*, se hæc esse ostensurum ante hunc diem, non in eo, vel post eum, alii rectius putant hunc diem accipere de ultimo die judicii, secundo Christi adventu & fine mundi, qui dies omnium suffragio meretur κατ' ἐξοχὴν vocari *magnus & terribilis dies Domini*, cujus ante adventum omnia portenta, tum quæ hoc loco sunt descripta, tum quæ etiam ab Evangelistis recensentur, certo sunt futura. Hinc certissima multis habetur expositio de eo die hoc exponere, licet hæc etiam *u)* reliquo tempore, quod intercurrit inter Christi adventum primum & secundum, locum habere posse quibusdam ita persuasum sit, ut quicquid horum prodigiorum apparuit, vel ulla illustri hujus intervalli periodo apparebit, jure merito ad complementum hujus prophetiæ pertineat, adeo ut nequaquam necessarium sit, ut omnia uno eodemque tempore fiant, vel ad illum ultimum omnium dierum diem reserventur. *Cœperunt hæc in passione Christi*, (atque postea die *pentecostes*, ut *S. Petrus* in prædicto loco *Act. 2.* testatur) *creverunt in excidio Hierosolymitano per Titum* (quo a quibusdam hic locus refertur) *sed perfecte complebuntur sub finem mundi ante extremum judicium & excidium universi*, (quod tempus proprie hic respici non paucis persuasum est) ait doctus *x)* quidam interpres. Atque certum habeo, quicquid opponi possit, si ad alia tempora referatur, quando de hoc sumitur, insigniter ei epitheta hic data congruere. Etenim hoc summo jure meretur *dies Domini* vocari ac *magnus dies* propter magna quæ in eo sunt futura, & *terribilis dies* propter judicia, quæ exercebuntur in omnes, qui un-

r) Luc. 23.45. *s)* Mercer. *t)* Consule Christ. a Castro. *u)* Gvalter. & Jun. Tremel. *x)* Tirin.

quam in mundo vixerunt, *quo cœli magno fragore interibunt, elementa fervente ardore dissolventur, & terra, & quæ sunt in ea res, conflagrabunt*, 2. Pet. 3, 10. ἐπιφανὴς, *insignis* certe & illustris erit hic dies propter ejus magnitudinem, metum ac terrorem, quibus erit conjunctus; qua explicatione mea quidem ipsius opinione necessitas tollitur statuendi, quod quidam faciunt, aliter legisse olim hebræa apographa quam quæ hodie legimus. Cui opinioni occasionem fecit epithetorum ultimum diei Domini datum, quod apographa nostra legunt הנורא *Hannora*, quod denotat *terribilis* vel *horrendus*, eoque sensu ab omnibus interpretibus redditur ac derivatur a ירא *timuit*. Hinc opinantur, LXX & *S. Petrum*, qui cum illis concordat, olim in apographis suis, quibus usi sunt, secus legisse, nimirum *y)* הנראה *hannirceh, apparens*, a radice ראה *raah vidit, percepit*, eoque reddidisse ἐπιφανὴς, quam vocem nostrates *Act. 2, 20.* (ubi a *S. Petro* diximus ea esse citata) expresserunt per *insignis*. Interpres Latin. τῶν LXX *illustris*. Verum illorum hypothesis mihi videtur nec necessaria, nec probabilis: (1.) quia LXX diversis aliis locis, ubi eadem vox occurrit, atque hebraice non secus habet, atque hic נורא *Nora*, eodem modo eam exprimunt, sicuti hic per ἐπιφανὴς, ita ut, si propter illorum versionem lectio hebraica est mutanda, necessario in omnibus illis locis mutanda sit, at probabile non est in probato quodam hebraico apographo tam sæpe esse aberratum totque differentias occurrere altero pro altero sumto. (2.) Quia vox נראה *Nireah* eam emphasin non videtur habere, quam materia subjecta, juxta ac græca vox ἐπιφανὴς, exigit. Nimirum aliquid extraordinarium, insigne & illustre, nec non præ aliis eminens denotare debet; cum ea simpliciter dicat id quod visum est vel apparens, nec quod sciam ullibi majori emphasi prædita in S. literis extet, id quod argumento esse arbitror, hic non adeo aptam esse ad circumstantias hujus diei exprimendas, præcipue cum antecedenti voci הגדול *magnus* subjungatur, ut ei ponderis quid addat atque illustret; sicuti fieri assolet, ubi epitheto

y) Capel. ut & Schindl. putant eosdem ea ratione legisse Deut. 1, 19. verum cum nostri codices ibi quoque non habeant ἐπιφανῆ sed φοβερὰν, parum auctoritatis habet.

epitheto epithetum subjungitur; cui ponderi addendo equidem vox *Nireeh rem* denotans, *quæ est visa*, non par esse videtur, quamvis silentio prætereundum non sit vocem græcam ἐπιφανὴς non tantum significationem ferre magni, sed etiam insignis propter aliquid, quod apparens hunc diem super alios dies magnos extollet. Unde colligi posset prædictos interpretes haudquaquam legisse aliter quam נורא *Nora*, nihilque aliud voluisse innuere, quam aliquid excessive magnum propter affectum, quem in spectatoribus ciebit, idemque indicare, quod faciunt, aliis locis eandem vocem reddentes per μέγας ingens, χαλεπὸς difficilis, θαυμάσιος vel θαυμαστὸς mirabilis, vel κραταιὸς fortis, vel φοβερὸς terribilis, quibus locis eodem sensu vox nostratibus & aliis reddita est, atque hoc loco, scil. *terribilis, horrendus*, quo sensu nunquam, quod quidem pateat, Græcos invenio ea reddidisse, quæ descendunt a radice ראה *raah, vidit*, præterquam מוראה *moreah, Zephan. 3, 1.* ubi nostrates habent *sordidus*, vel (uti in margine) *gulosus* sive *abdomini serviens*, sicuti quibusdam in deteriorem partem tunc accipitur; Græci autem ἐπιφανὴς *illustris*, sive *conspicua*, fortean propter deperditum statum, ob quem civitas ibi corripitur. Cum igitur apertissimum sit, eandem vocem apud Græcos sæpe extare, ubi hebraice est נורא *Nora*, quæ hoc loco habetur, atque e contrario vocem נראה *nireah* nullibi ab illis ita esse versam, qua ratione audebimus textum mutare hebræum, propter illorum versionem, & non potius legemus, ut habet hodie Hebræus codex, *nora*, vocemque significatione, quæ insigniter huc quadrat, exprimemus per ἐπιφανὴς? Hæc certe conciliandi ratio multo tutior est, quam violentiam inferre textui diversa lectione, cujus antea nemo rationem habuisset. Ea enim, quam sequimur, confirmatur unanimi suffragio non tantum recentiorum, sed & antiquiorum interpretum, qui typographia nondum inventa vixerunt, locis diversis ac tempore diverso, ita ut nequaquam dici possit, omnes idem secutos esse apographum, qui eodem sensu eam reddidere vocem, quem hodie ex Hebræa lectione adhuc elicimus. Ita Chaldæus vertit דחילא *Dechila*, ut & Syrus: vetus Latinus *terribilis*. MS. Arab. المخوف *almochawaph*, omnes in eandem mentem *terribilis* sive *hor-*

horrendus; Hinc in eam adducimur ſententiam, nec LXX alio modo eam exprimere voluiſſe ſua interpretatione, quam ut ſignificaret inſignem & illuſtrem diem, ad injiciendum terrorem, quippe denotatur dies *ſupra apparens, qui apparet ſupra alios & conſpicuus eſt*, qui, uti ex præcedentibus apparet, neceſſario magnum debebat inferre terrorem, licet hoc non expreſſe addant, ſed ſubintelligendum relinquant.

Evicto vero ita vocem debere legi atque intelligi, quæſtio enaſcitur, quomodo verba hujus & præcedentis verſus, minas & terrorem præ ſe ferentia, cum præcedentibus congruant, qui ſunt bonis promiſſis atque ſolatio plena? Cui ſolvendæ cum primis habenda eſt ratio perſonarum diverſarum, ad quas ea referuntur, ſive de quibus ibi ſermo eſt. Erant inter eos, qui revera populi DEI nomen merebantur, quosque ſibi DEus etiam vindicat hoc nomine *v. 26. 27. meus populus*, qui non forent confundendi, qui ad eum ſeſe convertebant, totoque animo ei adhærebant. Ad eos inprimis ſpectabant promiſſa facta, qui etiam adhuc debent eſſe perſuaſi, fore, ut, quicquid periculorum ſive rerum horrendarum immineat, ab omnibus reddantur immunes. At ſunt præterea, qui ſe eo modo non gerunt, ſed contra DEum ſeſe efferunt atque in rebellione, qua ab eo defecerunt, pertinaciter perſeverant, & hi ſunt ſuper quos horrenda illa venient, quæ hic ſunt prædicta, magno cum horrore atque ſine ulla ſpe immunitatis ſive evadendi, ita ut promiſſa bonorum, ac minæ malorum egregie hic fiant & conjungantur ſine ulla rerum contradictione. Eadem ratione agit Salvator noſter tantum prædicens mœrorem atque nationum confuſionem, ut homines eorum metu & expectatione exanimarentur &c. attamen eodem commate jubet eos ſuſpicere, manusque attollere, quoniam illorum liberatio inſtaret, *Luc. 21, 26.* Quæ ratio, ut ex præcedentibus dilucide apparet, ita eam ſequentia quam evidentiſſime confirmant, quibus ita progreditur:

32. Et

32. *Et erit, quicunque invocaverit nomen Domini, liberabitur: quia in monte Sion & in Jerusalem erit liberatio, sicut Dominus dixit, & in residuis, quos Dominus vocabit.*

והיה *Vehajah*, imo, etsi tam magnus atque terribilis fuerit hic dies omnibus destructionem inferens, ut vix ac ne vix quidem ulli restiterit via effugiendi ejus mala; tamen hic a Domino declaratur, qua ratione ab iis immunes reddi possint, annexa asseveratione liberatum certo iri, quotquot huic viæ institerint, mediumque commendatum in usum suum adhibuerint, nimirum, qui nomen DEI invocaverint, *quicunque* (inquit) cujuscunque demum sit nationis, sexus, vel conditionis: ejusdem enim videntur hæc verba extensionis esse, atq; ea, quæ exposuimus *v. 28.* ita ut horum promissorum nil solis Judæis vindicari possit, quibus (non autem de quibus) tunc temporis in specie loquebatur, sed quicunque, sive Judæus, sive gentilis, cujuscunque etiam conditionis, fidem DEO rite habuerit, & in fide ejus nomen in auxilium invocaverit, eo ipso tempore, cum aliis nec spes nec locus auxilii fuerit, illud certo inveniet. Hinc Paulus eadem verba citans *Rom. 10, 13.* cum Græcorum sive gentilium, tum Judæorum statui applicat. *Invocare nomen Domini* equidem in specie notat ardentissimas fundere preces, ut auxilio velit esse DEus; attamen necessario etiã in eo concluditur sincera obedientia & vera ejus cognitio, & quod omnium primum est, firma in eum fides cum hujusmodi aliis attributis fidelissimi servi DEI. Quam vanum enim fuerit cæteroquin vocare, Domine, Domine, ex eo apparet, quod scriptum extat *Matth. 7, 21.* Eadem precandi via cum aliis, quæ preces gratas reddere possunt, conjuncta, a Salvatore nostro nobis ostenditur, ubi de eodem magno die, uti maxime probabile est, de quo Propheta loquitur, verba facit, eamque tanquam unicum medium horrenda ejus effugiendi commendat *Luc. 21, 36. Vigilate igitur, omni tempore orantes, ut digni censeamini hæc omnia eventura effugiendi & consistendi coram filio hominis. Chaldæus* Paraphrastes reddit hæc כל דיצלי

 בשמא

בשמא דיוי *omnis qui oraverit in z) nomine Domini*, ut interpres Lat. habet, vel *a) per nomen Domini;* qua versione, quamvis nihil aliud innuat, quam quod alii etiam eo exprimunt, *b) nomen Dei orabit;* attamen ut ad literam verba exprimit, ita docet quid in primis opus sit in invocatione nominis Domini, ut ea apud DEum sit accepta & grata, nimirum, ut invocatio hæc fiat in nomine Domini Jesu, in quo vera etiam in eum fide accedente adeo efficax semper erit, ut liberandi sint, quicunque ita preces suas fundere sategerint. Hoc, inquam, suggerit nobis versio *Chaldaica;* sed si verum fateri volumus, ipse hebraicus Textus est, qui ad literam a *c)* quibusdam hocce modo vertitur: *omnis qui invocaverit in nomine Domini.* *Mercerus* existimat præpositionem ב *in*, quando cum voce שם *shem nomen*, conjungitur, majorem inferre emphasin, quam si simpliciter dictum esset *invocaverit Dominum*, Dominum scilicet *in* vel *per* illud verbum invocare, quo ipse se nobis cognitum dedit, quod nomen ejus vocatur, cui rei illustrandæ lumen affundit ex verbis quæ citat ex *S. Johanne: DEum nemo vidit unquam; unigenitus filius, qui est in sinu Patris, is exposuit, Joh. 1, 18.* Ita ut *invocare in nomine, seu nomen Domini* sit, *Deum invocare fiducia promissionis*, quam Christus de cœlo ad nos attulit; unde & λόγος dicitur & imago DEI, quod in Christo DEus patefecit, quo in nos sit animo: Qua explicatione nihil nos aliud docet, quam quod a Chaldæo Paraphrasta (ut vidimus) suggestum est, eas scilicet, quæ hic requiruntur preces, efficaces tum fore ad eos liberandos ab illo magno & terribili die Domini, quando fiant in *nomine Domini*, i. e. Christi atque vera in eum fide sint conjunctæ. Non est quod hic erroris arguam nostratium aliorumque interpretationem, qui simpliciter habent, *invocaverit nomen Domini;* cum id tantum adjecerim, ut appareat, quid textus originalis & *Chaldæus* suggerant ad genuinam formam & constitutionem eorum, quibus invocantibus promissio hic facta est, ut illum obtineant finem quem hic dicuntur obtenturi, qui, qua in re consistat, in sequentibus pluribus declaratur. Quam habeant in genere vim preces rite constitutæ & omnia bona obti-

---

z) Bib. Polygl. a) Ita ex interpret. lat. Merceri. b) Merc. Pet. a Fig. c) Jun. Trem.

obtinendi, & quæcunque ſunt mala avertendi, non una vice in S. literis explicatur. *Quæcunque a Patre meo per meum nomen poſtulaveritis, dabit vobis, inquit Salvator noſter Joh. 16, 23.* Quod hic impetraturi ſunt, in eo conſiſtit, quod ſint liberandi a terrore magni Domini diei. *Quicunque invocaverit nomen Domini,* liberabitur ימלט *immalet.* Quo in verbo magnam *d)* quidam arbitratur latitare emphaſin multo quidem majorem, quam ſi verbo quodam uſus eſſet, quod ſimplicem haberet ſignificationem *ſervandi* quippe quo innuebat, quanquam omnium rerum conditio tam afflicta & deſperata foret, ut nemini ulla reliqua eſſet ſpes ingentia evadendi mala omnibus indiſcriminatim interitum ultimum minantia, ita ut ad incitas nihil non videretur redactum, fideles tamen ſervos DEI, qui ſemet ei offerendo & potentiæ ac gratiæ ejus maxime nitendo eum invocaverint, certo liberatum iri ab horrendis rebus eo magno & terribili die futuris, atque eum illis fore diem *e)* introeundi in lætitiam Domini ſui, ac eum aſſequendi ſtatum, quo immunes porro redderentur ab omni metu & malo. Quod ut perſuaſum habeant certo eſſe futurum, vel ratio conſtaret cur ita ſit futurum, ſubnectit verba quæ ſequuntur: *Quia in monte Sion & in Jerusalem erit liberatio, ſicut Dominus dixit.* Dies hic deſcriptus dicitur magnus & terribilis, unde omnium rerum interitus videatur dependere; attamen Domini dies eſt, ab eo ſunt ordinata, quæ tunc fient & peragentur, adeo ut non æque in omnes indiſcriminatim mala ſint ſævitura, ſed aſylum eo die habituri fideles ſervi DEI, & qui ei firme & mordicus adhæſerint, & *f)* invocarint eum in *monte Sion & Jeruſalem* (vera eccleſia DEI) illis, inquam, atque omnibus ejus veris membris erit ab iis omnibus liberatio. Hæc illis erit inſtar *Arcæ Noah*, quo uti ille ſeſe conferebat, cum DEus *g) diluvium toti mundo impiorum inveheret*, ita & illis in ea erit liberatio, cum interea ſint perituri, qui extra eam erunt.

Quod ſi mons *Sion* & *Jeruſalem* hic accipiatur ad literam de illis locis, qui hiſce nominibus proprie ſignificantur, ubi illo tempore erat templum DEI ſive domus precationum, quo *h) aſcendebant*

 tribus,

d) Calvin. *e)* Marc. 25, 13. *f)* Pſal. 145, 12. *g)* 1. Pet. 2, 5. *h)* Pſal. 122, 4.

tribus, tribus Domini ad testimonium Domini ut celebrarent nomen Domini & invocarent eum; illorum hoc expositioni faveret, qui magnum diem Domini de calamitatis die exponunt, qua essent obruendi, Sione & Hierosolyma & templo præcipuo & unico loco veri divini cultus destructo, vel ut erat factum antea tempore *Sennacheribi*, vel postea illis iterum ædificatis, ut ex antedictis diversis diversorum vidimus opinionibus, atque ita ad eos hoc spectaret, qui tunc temporis sunt liberati ac servati. At rectius videtur aliis hæc nomina non accipi proprie, sed figurate pro ecclesia DEI. Cum enim ibi esset primo *i)* sata, atque inde in totum mundum transplantata, idem nomen etiam una cum ea gerebat. Ita ut, quam late etiam esset sparsa doctrinaque evangelii prædicata, *mons Zion & Hierosolyma*, diceretur etiam in extremis terræ partibus. Atqui hac notione probata insigniter congruet ei expositioni, quam nos omnium pronunciavimus planissimam tutissimamque, qua scilicet per diem magnum & terribilem Domini intelligi putant ultimum DEI judicium, atque his verbis liberationem promitti eo ipso die omnibus veris ecclesiæ membris & asseclis, quos Dominus vocabit & qui invocabunt nomen Domini, i. e (ut *Mercerus* ait) *Christi*, idque vere ac demisso animo, quippe *non quilibet, qui dicit Domine, Domine, in regnum cœlorum intrabit, Matth. 7, 2.* Id quod omnino fore, ne quid dubii animis illorum inhæreret, verbum ac promissum Domini subjunctum habent, ita enim ait: *sicut Dominus dixit;* quod mea ipsius sententia nihil aliud respicit, quam *k)* quod vel ab eo ipso hoc loco, vel ab aliis Prophetis alibi dictum erat; cum minus probare possim ad quendam peculiarem hic spectari locum, ut quidam volunt, utque ex illis *R. Salomon* ad *Deut. 28, 30. l)* alii ad *Deut. 32, 43. Kimchi* ad *Esa. 4, 3.* qui eum ad tempus *Sennacherib* refert, quo (ut dictum ante) hunc diem Domini fuisse completum quidam asserunt. Ex his diversis locis a multis aliis allatis, quibus dicitur DEus dixisse, quod Propheta hic dicit, dilucide apparet, sufficientem esse rationem hoc ita intelligi, quod per Prophetas DEus id dixerit, præterquam quod in specie ad

---

i) Oportebat prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma, Luc. 24, 47. *k)* Merc. *l)* Fil. Tarnov.

ad hunc vel illum locum referatur, ubi id dictum extare videatur. Et si rejiciamus quod Propheta ipse *m)* dixerat a *v. 22.* ad hunc locum usque, satis superque liquet, DEum etiam per ipsum promisisse se illos liberaturum esse. Cæterum & hoc modo cum quibusdam hæc verba explicari possent, ut, *sicut Dominus dixit*, idem valeat quod, *sicut DEus decrevit & proposuit.* Eo nempe redit summa verborum, ut certiores reddat hujus liberationis tam sancte promissæ illos, qui se ad eam obtinendam reddiderint dignos. Mentio illorum erat injecta hisce verbis præcedentibus: *quicunque nomen Domini invocaverit*, quos in sequentibus porro ita describit: *& in residuis quos Dominus vocabit.* Verba hebraice habent ובשרידים אשר יהוה קרא *Ubasseridim ascher Jehovah kore*, quæ ad literam transtulit nostra Anglicana & cum plerisque aliis consentit. Verum alio modo ea posse reddi *Abarbinel* auctor est, videlicet, *& in residuis, qui invocabunt nomen Dei*; at præterquam quod præcedentium tum nonnisi repetitio esset, verbis ita translatis, verbum potius deberet esse plurali numero, ut nomen *sheridim*, quod tunc nominativum referret, cum jam singularis numeri ad Dominum magis proprie referri videatur. Verum quocunque modo id cæteroquin solvi possit, non est præter illum, qui hanc interpretandi viam sequitur. Omnes enim in universum vocem *Jehovah*, uti & nostrates nominativi loco habent, atque *sheridim* a verbo putant regi, eosque notari, quos Dominus vocaturus esset. Atque ea ratione porro declarare vult Propheta, ut diximus, quinam liberandi sint, prout commate primo habet, atque in *monte Sion & Jerusalem*, veluti in secundo, ubi earundem quidem personarum est descriptio, at diversa exprimendi ratione, respectu diversorum qualitatum, quibus alii *invocabunt nomen Domini*, alii *vocabuntur a Domino*, vel *quos Dominus vocabit*. Hinc a *o)* quibusdam observatum est, conjunctionem ו, *v*, & hic non habere, quod & alibi usu venit, vim copulandi atque conjungendi sequentia cum præcedentibus, sed exponendi atque declarandi, quorum antea mentio erat facta, idemque hoc loco valere ac *nempe*. *Nempe in residuis, quos vocavit Dominus.* Non quod alii sint residui ab illis, qui in *Sion* &

m) Rivet. *n)* Merc. Pet. a Fig. *o)* Luc. Grot.

Jerusalem invocaverint nomen Domini & auxilium invenerint, quos Dominus vocabit, iique Judæi æque ac gentes, quanquam in speciem id *p)* quidam accipere volunt de gentibus, quæ evangelio fidem habituræ essent, quod primo Judæis prædicatum erat; *q)* alii rursus de Judæis in Christo adunitis & cum gentibus in unum gregem & unum ovile coeuntibus. At optime reconciliari possunt, si de veris utriusque generis accipiatur fidelibus, quo sensu & illi accipiunt, licet ad hos proprie magis quam ad illos respicere existiment. Certum equidem est numerum eorum, si conjungantur, valde augeri, possunt tamen nihilominus non nisi *r)* residui vocari respectu ingentis eorum multitudinis, ad quos hæc verba non spectant, quique a Domino non sunt vocati.

Vox, quæ hic redditur *residui*, hebraice est שרידים *Sheridim*, quæ eos denotat, qui supersunt, cæteris direptis; vel qui pericula & destructionem, quæ aliis imminent, evadunt. Quod nomen una cum radice sive verbo, unde originem trahit, occurrit *Josu. 10. v. 20.* והשרידים שרדו מהם *vehasseridim saradu mehem*, quod reddunt nostrates, *reliqui qui supererant ex eis: Interlinearis, & superstites superfuerunt ex eis:* LXX *καὶ διασωζόμενοι διεσώθησαν, & superstites evaserunt.* Idem alibi conjungitur cum verbo cognatæ significationis שריד ופלט *sarid upalit, Jerem, 42, 17.* ubi nostrat. habent, (qui) *supererit sive evadet;* Græci autem idem utroque denotari rati, uno utrumque expresserunt *σωζόμενος salvandus.* Unde liquido constat LXX non minus, quam aliis cognitam fuisse ac familiarem notionem vocis *seridim*, qua eos notat, qui *supersunt* vel qui *salvantur* ab hujusmodi malis, quibus alii corripiuntur; quare merito in disquisitionem venit, cur hoc loco, cui hæc notio videtur aptissima, alia eam exprimant voce, quæ alienæ plane est significationis, eorum per *εὐαγγελιζόμενοι evangelizati*, quæ tam parum affinitatis cum altera cognita significatione videtur habere, ut in opinionem adduxerit non paucos legisse ipsos olim aliter in hebræo, quam hodie, vide-

p) Merc. Tarnov. *q)* Hieron. Jun. Tremel. Hallii Paraphr. *r)* Adhibetur ea [illegible] *residui* sive *reliquiarum* in N. T. ad eorum numerum exprimendum, qui [illegible] obtinebunt, Rom. 9, 27. & 11, 5.

videlicet המבשרים, quod passive sumtum atque *Mebussarim* lectum revera significat ac reddi potest εὐαγγελιζόμενοι, i. e. ut versio latina in Bibl. Polyglot. habet, *evangelizati*, qui accepere bona nuntia (nova vel promissa bonorum, vel evangelium) a בשר *Biser, nuntiavit*, (& in specie quidem, *s) rem bonam & lætam*, & in passivo si in usu esset, quippe in sacris literis non extat, denotaret *talia nuntia accipere*, ut εὐαγγελίζομαι in lingua græca, quamvis & in ea magis in usu est activum) quo modo etiam hic interpretatur *Hieronymus* ex græca versione, *annuncians*, prout in diversis græcis apographis legitur, nec non singulari numero εὐαγγελιζόμενος. Ita *Capellus* post diversos alios legerunt מבשרים. At tanta est certe inter *Mebussarim & Seridim* differentia in sono juxta ac in literis, ut vix ac ne vix quidem capi possit, quomodo librarius aliam pro alia substituerit. Quod vero a multo & antiquo tempore eodem modo lectum sit, sicuti hodie, *Seridim*, ex eo apparet, quod reperitur in fragmentis versionis *t) Theodationis*, qui hebraicam vocem haud vertendo legebat ἐν σαριδεὶν *in Saridin*, nec non ex eo, quod *Hieronymus* refert, hebraice legi שרידים *Seridim, quod Judæi loci nomen existimant*, quasi dictum esset, *in monte Sion & in Jerusalem & in Seridim* (quos notet Judæos non obvium est, Extat enim, quod sciam, in nullo illorum commentario, neque ejus alibi fit mentio præterquam in fragmentis *Theodationis*). At si ita non legissent LXX, ut illi supponunt, unde factum dixeris, illos vocem hanc ea notione transtulisse, quæ substantivæ propria est, non illi, quæ reperitur hodie in Hebraico Textu? Ipsam hujus rei rationem attingere, ut dicunt, mihi quidem non arrogem, quid? quod ne divinando quidem assequi id audeam; tamen modestiæ limites me non esse transgressurum mihi persuadeo, si huic nodo solvendo hanc non improbabilem subjiciam viam ac rationem. Eadem significatione evadendi, effugiendi ac libertate fruendi accepisse vocem שרידים *Seridim* dicendi sunt (prout fecisse constat *Jer. 42, 17.* ubi uno verbo expressisse propterea duo vidimus); verum ne eandem vocem repeterent, vel quandam

s) Schindl. *t)* Biblia Græc. Francof. 1597.

dam ejusdem radicis, (ut Syrus facit, primo quidem loco habet ܡܫܘܙܒܘܬܐ *Meshauzbutho* liberatio; secundo ܡܫܘܙܒܐ *Meshauzbe*, liberati) consultius ipsis visum fuit aliam supponere, quæ quidem ad literam non responderet hebrææ, huic loco tamen convenientem, præcedentibus ac sequentibus non refragantibus, præberet sensum hocce modo: *& in monte Sion & Jerusalem* ἔϛαι ἀνασωζόμενος *erit salvandus, sicut Dominus dixit*, καὶ εὐαγγελιζόμενοι οὓς κύριος προσκέκληται *& recepturi Evangelium* (sive bona nuntia, scilicet liberationem) *quos Dominus vocavit*. Cum hebraica voce magis respiciatur illorum numerus, quibus liberatio promissa est, illi ejus loco apponunt vocem, quæ potius exponit eorum qualitates, non quod existimem hanc illos putasse propriam vocis, quam interpretantur, significationem, sed quia ad omnes illos atque ad illos solos, quos Dominus vocaturus esset, hæc læta nuntia ac bona liberationis promissio pertineret.

Hæc vel hujus similis planior mihi videtur atque tutior via conciliandi Textum Hebraicum & versionem Græcam hujus vocis, quam Hebraicam mutare, ut conveniat cum versione Græcorum. Qua ratione simul supponimus ita olim auctores hujus versionis etiam scripsisse, prout hodie apud eos legimus. De eo enim *Drusius* videtur dubitare, quando allegans hanc vocem εὐαγγελιζόμενοι dicit: *si vera hæc lectio;* At hac quæstione extricanda nunc lubens supersedebo.

Ex sequentibus porro apparet, quomodo residui, quibus solis liberatio hic promissa est, digni habeantur selecti numeri nomine, scil. ex sola libera DEI gratia. Cujus ne ipsi essent ignari, adjicit, *quos Dominus vocabit* אשר יהוה קרא *asher Jehovah kore*. Vox *kore* est participium, quod simpliciter notat, *vocans*, qua ratione etiam vertitur in interlineari versione. Necesse igitur est, ut tali in constructione verbum substantivum subintelligatur ac cum eo conjungatur, ut ad aliquod restringatur tempus, sive sit præsens, præteritum vel futurum, quorum cuique participium rite factum inservit, quomodocunque subintellectum verbum collocetur, id quod vel præsenti, præterito aut futuro tempore fit; vel interdum tantum usurpatur

patur uno, *u)* nunc hoc, nunc illo, veluti ſenſus loci requirit. Quod ad participium hujus loci attinet, utuntur eo interpretes quovis tempore. Sunt *w)* qui reddunt *vocat*, tempore præſenti: *x)* alii *vocavit*, præterito, ut LXX *προσκέκληται*, Syrus ܩܪܐ *kero*, Arab. impreſſa دعا ut & Chaldæus in paraphraſi ſua, licet diverſa ſignificatione in eandem mentem: alii tempore futuro, ut Vulgatus cum quibusdam aliis, *vocaverit*, Caſtalio *vocabit*, quo cum faciunt *y)* noſtrates. Nec alieni quid infert materiæ ſubjectæ, quippe eadem erit Dei vocatio, quæ hic innuitur, quo demum cunque accipias tempore, cum omni tempore hæc ſit certa. Quare inquirendum eſt potius, quid ſibi velit hæc eorum *vocatio*. Vox *kore* in genere notat, *advocare* vel *vocare aliquem* ad aliquam rem ſive propoſitum, ſed nonnunquam in ſpecie magis adhibetur in peculiari quodam caſu. Hinc eſt quod *R. Salomon* dicat, eam notare vocatos לסעודה אולעבודה המלך ad convivium vel ad miniſterium Regis, idemque valere quod הזמנה hazmanah, *præparatio, deſtinatio, conſtitutio* ad aliquid, atque ideo invitatio; quare a Chaldæo redditur זמין, cujus verba *z)* quidam ita interpretantur: *quos Dominus deſtinat*; *a)* alii *prædeſtinavit*; *b)* alii *invitat*. *David Kimchi* hic intelligi vult tales, quos DEus אותם עבדי ואוהבי *vocabit meos ſervos & amicos*, vel alias קריאה הגדולה והכבוד *vocatione magnitudinis & gloriæ*, qua eliget ut magnifaciat eos & glorificet, qui alibi nominantur קרואים *Keruim*, noſtratibus *renovati*, ut *Num. 1,16.* & *Ezech. 23,23.* *Interlinearis* altero loco, *convocati*, altero *invitati*. *Aben-Ezra* exponit per גוזר *decernit* (ſive decrevit ſive decernet). Qua expoſitione innuunt DEum hic dici eos *vocare*, qui erunt *reſidui*, quibus promiſſa eſt liberatio, quippe ad unum omnes peculiarem hic reſpici exiſtimant vocationem, quæ vulgarem ac communem longe excedat.

Verum enim vero ut planiorem reddamus hujus loci ſenſum, ſic procedendum nobis eſſe reor. Vocatio DEI accipi poteſt (1.) laxiori notione pro vocatione, qua omnes generaliter vocantur per

u) Glaſſ. Gram. p. 415. vel ad marg. p. 653. *ww)* Pet. a Fig. Munſt. *x)* LXX. Syr. *y)* Ita & MS. Arab. الذي سيكون الله داعي بهم. *z)* In Bibl. Polyglott. *a)* Pet. a Fig. *b)* Mercer.

prædicationem verbi, quo cognita illis redditur via ſalutis & liberationis, atque monentur ut ei inſiſtant, id quod multi non faciunt juxta effatum: *multi ſunt vocati, pauci electi, Matth. 20, 16.* (2.) Strictiori notione ſumitur pro peculiari quadam vocatione, cui ineſt ſimul efficacia in eos operandi, qui ea ſunt vocati, ut verbo auſcultent ac obediant, atque eam ineant viam, quam illis exhibet ad conſequendum promiſſam liberationem. Quod ad primam notionem attinet, ea non videtur hic accipi, quia cumprimis reſtringitur ad illos ſelectos reſiduos, qui liberationem inventuri erant: atque hi cum non ſint alii, quam quos Deus erat vocaturus, neceſſario ſequitur, omnes illos, quos Deus vocat vel vocaturus erat, eſſe reſiduos. *c)* Eosdem *S. Paulus* innuit hac expreſſione, qui vocati ſunt *κατὰ πρόθεσιν, juxta propoſitum* (vel ut noſtrates habent, *d) juxta ſuum propoſitum*) *Rom. 8, 28.* quos quoque dicit, Deum *præcognoſcere, prædeſtinare, vocare, juſtificare atque glorificare v. 29. 30.* Unde manifeſto apparet, verbum *vocandi* hic quid magis inferre atque includere, quam communem vocationem, nempe præcedentem *e)* electionem atque talem vocationem præſtituto tempore, quæ ex gratia ejus in eos collata adeo efficax reddetur, ut eos Deo proprios vindicet ac ei obedientes reddat, quod omne הזמנה *Hazmanah præparatio*, pulchre complectitur, & exquiſite mihi hic videntur verborum ſenſum exprimere illi, qui exponunt: *f) traxerit ad ſe*, juxta illud quod dictum eſt a Salvatore noſtro: *Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater, qui me miſit, eum trahat, Joh. 6, 44.*

Hac illorum deſcriptione, qui vocantur illi *reſidui*, quibus liberatio eſt futura, quia ſoli ſunt, quos DEus vocabit, excludere videtur ex ſelecto hoc numero omnes illos *g)* hypocriticos ſimulatores, qui ſe tales venditant, cum non probent ita ſe eſſe ordinatos ad vitam rite ejus nomen invocando ac digne eo ambulando. Eadém opera oſtenditur ſalutem illorum non eſſe ex propriis ipſorum viribus, operibus vel meritis, ſed ex libera gratia Dei, quemadmodum *S. Paulus* eos vocat *reliquias juxta electionem gratiæ, & ſi per gratiam, ergo non per*

c) Druſius. d) Quamvis ſecus ſentiat Hammondus omittens τὸ *ſuum*. e) Calv. f) Vatab. g) Calv. Gvalt.

per opera, Rom.11,5.6. Gratia servati estis per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis se jactet, Ephes.2.v.8.9. Præter hanc significationem vocandi aliam etiam habet verbum קרא nimirum *legendi*, quam optime huic loco convenire putat *Arias Montanus*, ut verba sic habeant: *quos Dominus leget*, nempe in libro vitæ, ubi sunt scripti, non deleti; sensus autem talis esset, plures quidem, imo omnes in eo fuisse inscriptos, attamen *a multis commissum esse, ut eorum nomina de libro illo delerentur*, hinc eos tantum residuos, quos Dominus esset lecturus & non deleturus, liberationem esse inventuros. Quam notionem ut palam fieret satis esse commodam huic rei, ex aliis locis conatur probare, ubi ejusmodi expressiones adhibentur, veluti *Exod.32,33.* ubi Dominus dicit: *eum qui peccaverit mihi, delebo de libro meo*, unde ex eo, quod quidam dicantur delendi, apparet alios dici posse residuos, qui legantur. Præter alia loca N. Testamenti ab eo citata, ut *Apoc.3,5. & 22,19.* quæ acceptionem vocis significatione *legendi* videntur confirmare, quibus addi potest *Phil.4,3.* sunt & alia duo V. Testamenti, quæ *Abarbinel* allegat, huic rei maxime congruentia, ut *Esa.4,3. Erit enim, ut qui relictus fuerit in Zion & residuus Hierosolymæ, sanctus dicatur, quisquis adscriptus fuerit viventibus Hierosolymæ;* & *Dan.12,1. Erit tempus angustiæ, qualis non extitit, ex quo fuit gens usque ad tempus illud, & tempore illo liberabitur populus meus, quisquis inventus fuerit in libro illo.*

Qua ratione autem hæc loquendi forma, voce legendi notione accepta, ex his locis citatis illustretur, res est per se manifesta. Etenim quo modo hi dicuntur in libro Dei vel vitæ esse scripti, eodem etiam possunt dici *lecti* humano scilicet more loquendo de rebus divinis, uti homines sua agere vel de suis inter se loqui consueverunt. Ea enim est conditio illorum hominum, qui honorum vel privilegiorum quorundam causa scripti sunt in libro, ut publice legantur: quamdiu ita relinquuntur scripti, ad eos hi honores & privilegia pertinent; at si ex eo delentur, indicio est se illis privari, nec diutius esse iis fruituros. Ita ut libere ac sponte fluat sensus verborum, si reddatur notione *legendi*; verum non nascitur alius nec est distinctus ab eo, quem nobis præbet significatio *vocandi* (quæ generalis est, nec

 subest

subest ulla ratio ab ea discedendi) quippe utrobique innuitur, illos, de quibus sermo est, a Deo esse electos & destinatos ad salutem, liberatumque iri, cum e contrario alii sint perituri. Præterea ad liberationem prædictam utroque modo etiam referri potest, sive eam intelligas ab omnibus ultimi diei malis, quæ genuina quidem videtur hujus loci mens, sive ab illis calamitatibus ac destructione, qua tota natio vel populus hic descriptus obruendus erat, ut alii, prout vidimus, hoc accipiunt.

CAP. III.

UT omnem hinc rerum turbationem ac confusionem procul ablegemus ac præveniamus, quæ fortean oriri posset in hoc capite exponendo, initio quidem præmittere consultum duxi magnam hic esse inter interpretes differentiam, cum de tempore, tum de personis, de quibus hic Propheta loquitur, uti ex parte jam vidimus ex *v. 31.* præcedentis capitis, cujus ultima pars tam arcte cohæret & conjuncta est cum his verbis, ut alii novum constituant caput a versu, qui juxta communem divisionem vigesimus octavus est. Ut autem hujus rei initium faciamus ab eo, quod Judæi de isto negotio statuunt, *Aben-Ezra* dicit multos eorum existimare hanc prophetiam esse לעתיד *in futurum* adjiciendo אולי כן הוא *forsan ita est;* *R. Mosen* autem id referre ad tempus *Jehoshaphat* & eam historiam, quæ memoratur *2. Par. 20.* de magna clade *Ammonitarum & Moabitarum* & Montanorum *Seiris*, qui cum contra *Judæam* essent pugnaturi, in se ipsos, Domino ita ordinante, arma stringerent, alterq; alterum perderet. Quo factum est, ut *Jehoshaphat* ejusque populus se congregarent in vallem *Berachæ* sive benedictionis DEI, ut benedicerent Domino propter tam ingentem victoriam, a qua locus vocabatur vallis *Baracha*, (i. e. benedictionis) atque consimili modo ab eo, quod a *Jehoshaphat* hic factum erat, *convallis Jehoshaphati*, quo tempore etiam

etiam putant esse reversos, qui in captivitatem erant abducti temporibus patrum suorum. Ita *Aben-Ezra* ex *R. Mose.* Verum *h)* quod hoc minus sit probabile, ut alias rationes jam prætermittam, ex eo apparet quod id maxime videatur factum, antequam a Propheta hoc dictum sit, *i)* qui nobis non refert rerum præteritarum historiam, sed prædicit futura. Sunt *k)* qui ad hanc historiam putant Prophetam alludere, ut illustret quæ DEus postea esset facturus comparatione illorum, quæ jam fecerat.

Kimchi ad dies Messiæ eam refert & ad bellum *Gog* & *Magog*, quod in valle *Jehoshaphat* prope Hierosolymam futurum sit. Ad idem tempus atque acta videtur hoc etiam referre *R. Tanchum*, ut vidimus ad *v. 31.* præcedentis capitis; at quam parum certitudinis habeat, ex ejus ipsius apparet verbis, quibus finem imponit sententiæ suæ, quam exprompsit de *Gog* & *Magog* in notis ad *Ezech. 38.* cujus verba apud Maimonid. citata (yad c. ult.) ita habent

هذه الامور وما يشبهها ليس بيد العلما
فيها نقل محقق وانما تكلم فيها
كل من تكلم بحسب ما يظهر من ترجيح
النصوص وكلما ظهر منها شي
انكشف الاخبار عنه على حقيقته

i. e. *Quod ad has res & harum similes, non est ulla certa traditio in manibus doctorum virorum, sed quicunque aliquid de illis dicit, ex eo dicit quod apparet ex vi verborum Textus (vel quo verba textus maxime videntur inclinare) & ubicunque tale quid apparet (actu), tunc revelatum est (vel manifestum redditum) quod de eo dictum est, juxta verum ejus sensum.*

Alia ratione hoc exponit *Abarbinel*, quamvis cæteris consentit, ad *Gog* & *Magog* hic respici. Etenim existimat cum in his verbis, tum in præcedentibus *(c. 2, 30. 31.)* rationem haberi Christianorum, quos vo-

h) Joelem enim tempore Jehoshaphat vixisse fallax conjectura est Aben-Ezræ ex opinione tantum illius R. Mosis nata. Recentiorem fuisse multi statuunt. *i)* Christ. a Castr. Drus. *k)* Merc. Pisc.

vocat *Edom* (ſub nomine ſolis depictos) & Mahomedanos, quos vocat *Iſmael* (ſub nomine lunæ) quibus utriſque non tantum cum Judæis non conveniat, ſed ne quidem inter ſemetipſos; quippe qui multum contenderint de poſſeſſione terræ ſanctæ, multaque bella & extra & circa illam geſſerint, nunc hac parte eam aliquot annis occupante, nunc illa, donec utraque Judæos plane ea expulerint, atque hanc prophetiam innuere, DEum tempore hic prædicto acerrime eſſe vindicaturum maleficia utriusque in Judæos admiſſa. Cæterum his verbis expreſſe arbitratur prædictum eſſe, quamvis *Mahomedani* jam eam teneant, Chriſtianos tamen iterum eandem eſſe invaſuros atque magna clade Mahumedanos fuſuros, quo tempore quidem futurum, ut Mahumedani *Babyloniis*, *Aſſyriis* & cæteris ex tractibus *l)* orientalibus conjuncti bello Chriſtianis illato fuſum fratrum ſuorum ulciſcerentur ſanguinem, ſanctamque terram recuperarent; at tum DEus vindictam ſumturum eſſe de Chriſtianis æque ac de Mahomedanis, quia in propria ſua viſcera eſſent ſævituri aliique alios fuſuri. Et quoniam ſanctam terram deſtruebant prima vice *Aſſyrii* & *Babylonii*, ſecunda Chriſtiani, ideo a DEO etiam eſſe conſtitutum, ut eo ipſo loco, quo iſtud nefas ab illis erat admiſſum, in eos ſevere animadverteretur; ubi probabile ipſi videtur, *Gog* tunc orientalium fore imperatorem & ducem. Non quod ipſi eſſet propoſitum adverſus *Iſraelem* bellare, quæ eſt nonnullorum opinio, ſed adverſus Chriſtianos illorum hoſtes, &, ratione DEI incitantis iſtum populum (id faciendum) a Propheta dictum eſſe putat: *Congregabo omnes nationes* &c. Ita ille ſuam ipſius profert opinionem, quam ipſe fatetur ſibi peculiarem eſſe & a cæteris in eo diſcrepantem: attamen pro ſe maxime facere autumat *m)* verba. Quid habeant veri, tempori commendandum eſt; interim conſtat nihil illis ineſſe certitudinis, parum probabilitatis. Atque hæ ſunt Judæorum præcipuæ ſententiæ de hujus Prophetiæ fine ac ſcopo; multo major eſt diverſitas ſuper hac re inter Chriſtianos.

---

l) מפאורת המזרח Anguli Orientis. *m)* הנה דברי הנביאות וורוני רוכוני יזמרן לי.

nos. *n) Cyrillus* ea implenda prædici arbitratur redeuntibus Judæis ex captivitate Babylonica *Cyro* permittente, quodque factum memoratur apud *Esram* & *Nehemiam*, huc referendum esse censet. Alii respici volunt ad id, quod futurum erat *o)* Assyriis & Chaldæis. Alii ad recentiora tempora, post Christi adventum *p)*; plurimi vero ad ultima tempora, cum venerit ad judicandum in excidio mundi. Alii rursus, licet his non refragentur, tamen præcise ad ultimum judicium restringi nolunt, sed ad omnia tempora extendendum esse contendunt, post primum ejus adventum ad secundum usque, nec non ad illud quod futurum est *q)*, *ad totum evangelii tempus*, quo ecclesiam suam tueri, ejusque hostes destruere promittit, cujus rei utut non pauca extent exempla in hoc mundo, tamen ultimo rerum die plura erunt atque manifestiora. Has opiniones Reverendo *r) Diodato* colligere placuit in notis suis super priora verba, quas omnes locum habere in his & sequentibus verbis putat. Atque hoc ex parte etiam figurate exponi posse volunt de vindicta divina, quam DEus sumebat de hostibus populi sui post liberationem ex captivitate *Babylonica*; at præcipue & spiritualiter referendum esse ad judicia, quæ Christus exercet in hostes ecclesiæ ab eo redemtæ, in specie autem spectare ad ultimam & generalem liberationem in adventu secundo. Quibus autem rationibus hi atque alii interpretes in diversum nimium quantum distracti nitantur, quidve statuendum sit de illorum diversis opinionibus, magis e re futurum esse censeo id adjicere, cum verba in specie eo ordine, quo habentur, inspecturi sumus, cui negotio jam nos DEO juvante accingimus hisce in genere præmissis.

v. 1. Quia ecce in diebus illis & in tempore illo, quo convertam captivitatem Jehudæ & Hierosolymæ.

2. Ego

---

n) Et consule Theodoret. *o)* Drus. *p)* Ribera. Christ. a Castro. Pet. a Fig. qui inquit *Nostri fere referunt ad diem universalis judicii*, quod plerique faciunt. *q)* Merc. Tarnov. *r)* Qui eadem hic cum Calvino sentire videtur.

2. *Ego congregabo etiam omnes gentes & faciam descendere eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis pro populo meo & hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus & terram meam diviserunt.*

כִּי הִנֵּה Ci hinneh, *Quia ecce.* Particula כִּי nostrat. *quia*, uti diversis linguis in aliis versionibus per particulam hujus significationis exprimitur, *Grotio* rectius censetur verti, *verum* sive *sed*, (quem *s)* alii sequuntur) utpote quo melius connectantur hæc verba cum præcedentibus *cap. 2.* ubi innui putat quosdam eorum, qui effugerant, in captivitatem esse abductos, quibus hic promittatur liberatio. Non est certe qui dubitet, hanc particulam alibi significare *sed*; at non video, cur denotatio ejus, *quia*, hic non sit accommoda ad connectendum hæc verba cum præcedentibus, quippe quibus non obscure declaratur, quo tempore ac ubinam loci illorum residuorum liberatio juxta ac aliorum exitium futurum sit.

הִנֵּה, Hinneh, *ecce*, particula, *t)* attentionis nota, quæ excitat ac simul confirmat, quamvis gravia videantur atque dubia, de quibus hic sermonem facit Propheta, attamen certo esse futura. *In diebus illis & in tempore illo, quo convertam captivitatem Judæ & Hierosolymæ.* Quibus simul indicat tempus olim fuisse, quo in captivitatem abducti erant, quorum hic ratio habetur, quod antea quamvis expressum non sit; tamen illis hic promissionem fieri, fore ut inde eripiantur, certum est. *Judam* & *Hierosolymam*, quo nomine ad literam notantur *Judæi*, captivam fuisse abductam monumenta historiarum non uno loco testantur. Abducebantur a *Nebuchadnosore Babylonem*, *2. Reg. 24, 14.* &c. & in libertatem restituti sunt inde sub *Cyro* Persarum rege *2. Chron. 36, 22. 23.* & *Esra 1.* quod tempus hic respici quorundam opinio est; at inficias id eunt alii, quia non possunt ostendere cætera etiam esse secuta, veluti gentium congregationem in valle *u)* *Jehosaphat.* Rursus captivi sunt redditi Romanis, post adventum Christi

s) Bren. Veil. *t)* Ar. Mont. Tarnov. *u)* Chr. a Castro.

Christi sub *Tito* & aliis, unde in libertatem adhucdum non sunt vindicati, quod *w)* futurum præstolantur in extremis temporibus, quibus hanc prophetiam putant impletum iri. Verum cum hujus rei præstolandæ nulla sit ratio, alii Christianorum sunt, qui hæc verba probe exponi posse existimant non quidem ad literam de captivis Judæis in civitatem suam restituendis, sed spiritualiter de iis in libertatem vindicandis, qui *x)* captivi sunt peccato & diabolo, jugoq; Mosaicæ legis & Antichristi. Quo sensu si verba accipiantur, non tantum intelligendi sunt hic per *Judam* & *Hierosolymam*, (ut plerique volunt) Judæi, sed tota DEI ecclesia, quotquot & quicunque in eam admittuntur & colligentur non ex Judæis tantum, verum & ex omnibus aliis gentibus, quibus ad Evangelicam veritatem vocatis hæc nomina juxta linguam in S. literis usitatam egregie convenient, imo omnibus illis qui veritatem amplectuntur, quæ prius prædicata est in *Juda* & *Hierosolymæ*, unde eorum nomina postea sortiti sunt omnes, qui sunt *y)* domestici & cives *z)* novæ (& veræ) & sanctæ *Hierosolymæ*; quippe in Christo non amplius erat differentia inter *a)* Græcum & Judæum, sed omnes idem videbantur in Christo Jesu, omnes sub ejus ecclesiæ nomine comprehendebantur. Haut *b)* quibusdam *ecclesia Dei his nominibus significetur*, eodemque recurrat, sive *Judam* & *Hierosolymam* dicas, sive Ecclesiam. Hanc ob causam ita hæc verba παραφράζει Reverendus Episcopus Hallius: *In diebus Evangelii, quibus meam Ecclesiam restituam, & a spirituali captivitate liberabo, qua fuit afflicta.* Qua ratione nec causa nec locus erit quæstioni, quam quidam Judæorum hic nectunt, nimirum, quare non potius hic sit appellatus *Israel*, quo nomine concluduntur omnes tribus, quam *Judah* sive *Hierosolyma*, quæ uni tribui tantum propria sunt, ac si ad eos solos promissio pertineret, cum in confesso sit ad cæteros eam quoque spectare. Huic solvendæ adferunt quidam, id propterea factum esse, quia *Joel* in specie *c)* prophetiam habebat ad *Judam* & *Hierosolymam*, utpote quibus * peculiariter erat missus: alii (uti *Kimchi*) quia, Israelitæ etsi omnes redituri sunt, Messias erit ex tribu *Judæ*, cujus propter-

ww) Id. *x)* Tirin. *y)* Ephes. 2,19. *z)* Apoc. 3,12. & 21,2. & 10. *a)* Gal. 3, 28. Col. 3, 11. *b)* Pet. a Fig. *c)* Abarbinel. *) Pet. a Fig.

ea in specie mentionem facit, sicut etiam *Hierosolymæ*, quia erat ראש *Rosh*, caput civitatis sive regni, & quia ibi erit prælium *Gog & Magog* (quorum mentionem injecimus supra *c. 1,31.*) Verum si tam late pateat illorum nominum significatio juxta stylum Novi Fœderis, hæc quæstio, ut diximus, locum non habebit. *Juda & Hierosolyma* complectitur *Israelem quoque*, idque non tantum qua denotat hanc gentem juxta carnem, sed omnes veros Israelitas DEI; omnes qui sunt fidei Abrahami, quamvis non ejus seminis. Omnes veri fideles, cujuscunque sint nationis, omnia membra *d)* cœlestis novæ *Hierosolymæ*, Ecclesiæ Christi, cujus *Juda & Hierosolyma* olim erant imago & typus: omnes hi, inquam, possunt in hoc mundo dici peregrini & extranei, imo captivi, in quos, non secus agit cupiditas, quam infensissimus hostis. Adeo ut scite illis applicari possit, quod hic dicitur: *quo convertam captivitatem Juda & Hierosolymæ*, quippe quibus omnes ad unum comprehenduntur. Promissum includit haud obscurum, quod dicitur, *quo convertam* &c. fore ut debito tempore, a se constituto, certissime efficiat, quod illis facturum sancte promiserat. Tempus illud non est præcise determinatum; ita ut egregie huc quadrent verba Salvatoris nostri, *Matth. 24,36. Ceterum illum diem atque horam nemo scit, sed Pater meus solus*, adeo ut mirum non sit, interpretes eos, *e)* qui id determinant, tam longe a se invicem abire, ut vidimus, quos inter equidem tutissimum est eos sequi, qui id nullo certo spatio limitant, sed ita extendunt, ut non tantum id sub eo comprehendatur, quo DEus in peculiarem populum sibi vindicabat olim Judæos, sed & omne illud quod post Christi adventum labitur, quo captivos liberavit, adhuc liberat ac liberabit ad finem mundi usque redemtos tum ex Judæis, tum ex gentibus, *f) a servitute interitus in gloriosam liberorum Dei libertatem*, cum *g)* mors absorpta fuerit gloriose, nullique inimici amplius superstites fuerint, qui eos contineant in servitute sub potentia sua, vel *h) divellant eos ab amore Dei, qui est in Christo Jesu* & perenni præsentiæ ac gratiæ ejus perceptione. Hinc cum omnia hic facta promissa

tunc

d) Heb. 12,22. vide D. Hammond. in h. l. ita & Apoc. 3,12. & 21,2. *e)* Sicut Calv. Diodati &c. *f)* Rom. 8,21. *g)* 1. Cor. 15,54. *h)* Rom. 8,34.

tunc complenda ſint, isque dies plenam redemtionem *Judæ ac Hieroſolymæ* DEI dederit, *i)* quidam hæc verba, *quo convertam captivitatem* &c. ita exponit, *cum completus fuerit prædeſtinatorum numerus*, vel ut verbis Apoſtoli inſigniter huc facientibus utamur: *k) donec plenus & Judæorum & gentium intret numerus.* Quapropter certo futurum eſt tale tempus, quo omnia hæc promiſſa bona his ejus electis, quibus jam ex parte hic fruuntur, abunde ac plene impertientur. Quod ſicuti res eſt extra omnem dubitationis aleam conſtituta; ita non minus verum eſt, & illud inſtare tempus, quo omnes illos acerrime eſt ulturus, qui eos hucusque oppreſſerunt, id quod dilucide etiam ſequentia docent verba: *Ego congregabo etiam omnes gentes & faciam deſcendere eos in vallem Joſaphat* &c. Ut rite intelligamus, quid hæc verba ſibi velint, & de interpretum expoſitionibus exploratius judicemus, neceſſarium erit omnium primo inquirere, quid hic ſit *vallis Joſaphat*, cujus alibi in S. literis nulla omnino fit mentio, præterquam hoc capite iterum *v. 12.* Quidam id habent pro loci nomine proprio; at cum alibi non memoretur, nec ejus hic accuratior diſtinctiorve detur deſcriptio, haud facile dictu eſt, quisnam fuerit. Alii, ut ſupra notatum eſt, *l)* eundem volunt cum eo, qui *2. Par. 20, 26.* dicitur vallis *Beracha* (ſive benedictionis) quia Domino benedicebat ibi *Joſaphat* & ejus populus, propter inſignem deſtructionem, qua DEO operante hoſtes cadebant, ex quo benedictionis poſtea illud nomen ſortitus eſt locus. *Kimchi* arbitratur eſſe vallem Hieroſolymæ propinquam, ita dictam propter monumentum a *Jehoshaphat* ibi erectum, aut propter opus quoddam inſigne, quod ibi fecerat, unde ejus nomen ei eſſet impoſitum. Quod iſtud nomen illi valli inditum ſit a ſepulchro *Joſaphati* in ea ſito, ut quidam ſentiunt, *m)* parum probabilitatis habet, eo quod *2. Paral. 21, 2.* dicitur ſepultus cum patribus ſuis in civitate Davidis, quorum ſepulchra non niſi in monte Zionis intra civitatem fuerunt, niſi cum *n)* aliis ſtatuere malimus, exuvias ejus inde erutas atque monumento eſſe

i) Pet. a Fig. *k)* Rom. 11, 25. coll. cum Epheſ. 1, 9. 10. In diſpenſatione temporum plenitudinis inſtaurabit omnia, quæ conſtituit in ſemetipſo. *l)* Calv. Jun. Trem. Livel. *m)* Livel. *n)* Ribera, Menoch.

insertas in memoriam ipsius ibi erecto. Hanc vallem o) alii constituunt inter *Hierosolymam* & montem *olivarum*, quam eandem nonnulli dicunt vocatam esse *Cedron.*

Quantumvis hi immane quantum differant qua situm ac rationem hujus nominis, in eo tamen hactenus conveniunt, loci nomen proprium esse. At alii aliter sentiunt, quippe hac denominatione tantum alludi statuunt ad quendam forte ita dictum locum, & ad id quod ibi gestum erat; vocem autem revera significare p) *judicium Domini*, atque talem denotare q) locum, ubi judicium suum Dominus exercebit in hostes Ecclesiæ. Hinc est ut in eo cum dissentiant, non major illorum consensus sit in cæteris, quidnam DEus ibi sit facturus, quod judicium exerciturus; item quinam sint illi judicandi, quorum hic mentio fit nomine *omnium gentium*. Ex iis enim magna illa enascitur differentia, quam memoravimus in prolegomenis hujus capitis, quæ non aliunde originem trahit, quam quod tam diversi sint in exponenda valle *Josaphat*. Etenim cum sint, qui proprii nominis loco id habeant, uti diximus, illi hic innui sibi persuadent illam cladem ingentis multitudinis diversarum gentium, quæ invadebant *Judam* tempore *Josaphat 2. Reg. 20.* quæ opinio his verbis plane non videtur conveniens, tum r) quia gentes hic nominatæ, puta, *Moabitæ* & *Amoritæ* & montani *Seiris* (sive *Idumei*) proprie non dici possunt *omnes gentes:* tum quia hæc res, uti observavimus, non facile congruere potest tempori hujus prophetiæ, qua quædam dicuntur potius futura, quam antea facta.

Eadem ratione loci nititur opinio, quam sequitur *Kimchi, omnibus nationibus* denotari eos, qui venturi sint cum *Gog* & *Magog* adversus *Hierosolymam* atque superandi in valle sic dicta; quæ opinio, qua quid postea complendum sit statuitur, tam improbabilis est, quam certum, id nondum esse factum. Pari fundamento fulcitur sententia *Cyrilli*, qui id de clade hostium intelligit Judæorum post reditum ex *Babylone*, qui impedimento forent illis in ædificanda *Hierosolyma:* Nam etsi in ea historia nulla injicitur mentio *vallis Jehoshaphat*; attamen

o) Lyra. vid. Livel. p) Ita ex Judæis Abarb. q) Mercer. r) Drusius.

men dicit quod ſit παραδόσεως λόγος, traditione acceptum. At non video, quomodo probare poſſit, tum, quod ab eo dictum eſt, manifeſtum eſſe in S. literis, tum quod hic ſcriptum extat, jamjam eſſe completum. Alia præterea eſt, quæ multo latius ſeſe diffudit, qua ſtatuunt hanc vallem eſſe loci proprium, atque ex eo, quod hocce modo ſit conſtituta & deſcripta, argumentum evadere, omnes ultimo judicii univerſalis die, qui unquam vixiſſent & ſuſcitati eſſent, (uti certo tunc erunt) congregatum iri in hunc locum, nimirum *in vallem Joſaphat*, ut coram DEO ibi appareant ſententias audituri. Meminit hujus opinionis *Cyrillus* quaſi perquam vulgatæ inter Judæos, majoris autem non habetur ab eo, quam ὕθλος σαπρὸς καὶ γραώδης, *mere nugatoria ac frivola & anilis fabula.* Cujus momenti & auctoritatis ea fuerit ejus tempore, vel poſtea inter Judæos, non reperio; at *s*) certum eſt, eam pervulgatam fuiſſe recentiori ſeculo inter Chriſtianos, unde a quibusdam etiam rejicitur, veluti *t*) *figmentum* aut *u*) *pueriliter* dictum, ob eam inter cæteras rationem, *w*) quod hæc vallis ſit nimis anguſta, quam ut poſſit ſimul omnes, quæ ab initio mundi vixerunt, gentes capere. Verum non eſt tam obſoleta, quin ejus rationem adhuc habeant *x*) alii autumantes, Chriſtum habiturum eſſe revera ibi ſolium ſuum in aere omnesque in ea & circa eam collectum atque ab eo judicatum iri, quod confirmare conantur ex *Act. 1, 11. Hic Jeſus, qui in cœlum receptus eſt, ſic veniet, quo pacto vidiſtis eum in cœlum aſcendentem.* Quod tantundem valere exiſtimant, ac ſi eodem loco, unde aſſumtus eſt in cœlum, iterum ſit deſcenſurus eoque collecturus ac judicaturus omnes gentes, quem nullum volunt alium quam *y*) vallem *Jehoshaphat.* Ubi, inquiunt, *z*) docebat, ubi ipſe erat judicatus, ibi probabile eſt eum eſſe rurſus deſcenſurum ad judicandum. At quicquid illi hanc in rem proferunt, ſibi ipſis tantum eſt *a*) probabile; quippe manifeſtum eſt, hunc locum ex Actis citatum magis reſpicere & explicare *b*) modum redeundi, quam locum. Nullum præterea adducunt firmum argumentum, quo ve-

s) Sic Lyra & alii multi. *t*) Calv. *u*) Mercer. *ww*) Tarnov. *x*) Ribera & alii non pauci, qui in eo præcipuum ſcholaſticum ſequuntur. *y*) Vatablus de quibusdam, & Mariana in Tarnov. *z*) Sa Tirin. *a*) Pet. a Fig. & Sa. *b*) Tarnov.

rum esse evincant, Christum judicaturum esse ultimo die in ea valle; id quod & de aliis dicendum est, qui alteram sententiam tuentur, qua id loci nomen esse, uti notavimus, probare volunt. Rectius itaque ac melius sibi videntur facere alii, qui appellative hoc nomen accipiunt, ut non denotet illud, quod hic memoratur esse futurum in hoc loco, sed, quod alibi postea fieret, non absimile fore quadantenus ei, quod hoc loco aliquando erat factum, eoque locum illum vocari nomine illius, qui hujus erat typus, eamque nominis communicationem justa fieri ex ratione. Atque hac ratione si quando accipiunt verba vel appellative, ut idem valeant ac si dictum esset, *Deus judicabit*, vel *judicium Dei*, uti *Chaldæus* reddit מישור פלוג דינא *vallem divisionis* (sive distributionis) *judicii*, vel alias pro loco, qui respectu rerum efficiendarum cum referret locum, qui nomine *vallis Josaphat* cognitus erat, non opus erit ad eum locum id restringere, qui olim ita erat appellatus, sed talem intelligere *c)* locum, qualiscunque demum is sit, ubi eo, quo hic traditur, modo DEus judicium sit certo certius executurus tempore ac loco sibi præfixo ac constituto. Quod ad tempus attinet, ea hic iterum est inter interpretes differentia, cujus antea meminimus, quorum quidam id in specie magis ad ultimi judicii diem referunt, *d)* alii ad omnia Evangelii tempora ab adventu Christi primo ad secundum usque. Qui tamen meo judicio perquam facile conciliari possunt, quippe illi, qui ad omnia tempora hoc referunt, ultimum diem magnum diem DEI habent (quem *e)* quidam innui putant, quando nomini DEI adjungitur judicium) quo dubio procul quam maxime fient, quæ hic prædicuntur; illi vero, qui cumprimis ad hunc diem respici existimant, nequaquam excludunt, quod aliquando ante id tempus futurum est, DEO graviter animadvertente judiciis suis in hostes ecclesiæ. Quod ad locum, quamvis, qui ultimæ sententiæ addicti sunt, non concedant hoc esse proprium nomen alicujus peculiaris loci hoc nomine celebris; attamen ad aliquem arbitrantur alludi talem locū & hujusmodi circumstantias, quæ cum eo sunt conjunctæ. Si ad eam alludatur convallem, in qua illi inimici, qui contra *Josaphat arma capiebant*, (*2. Paral. 20.*) tam

miran-

c) Merc. *d)* Calv. *e)* Tarnov.

mirandum in modum ſunt fuſi clade inſigni affecti, nihil aliud has loci denominatione innui nonnulli volunt, quam ut in mentem revocetur eccleſiæ DEI hæc liberatio, quæ eo tempore facta eſt, ut certiſſime ſibi perſuadeat, DEum eodem modo eſſe acturum in Eccleſiæ defenſionem atque vindictam ſumturum de ejus hoſtibus. 2. Si nomine hujus vallis, quatenus non procul ſita erat ab *Hieroſolyma*, deſignetur locus a DEO conſtitutus ad exequendum illud, quod hic prædictum eſt, alii exiſtimant hoc nomine indicari, quemadmodum DEus palam profligabat populi ſui hoſtes in conſpectu illorum, ita eum & præſtituto tempore palam *f)* in conſpectu eccleſiæ executurum eſſe judicia in hoſtes ejus, ita ut juxta illos *in valle Jehoſaphat* tantundem ſit, ac *in conſpectu eccleſiæ.* Cur iſte locus, ubi id facere conſtituit, vocetur vallis, haud ratione vacare non nullis perſuaſum eſt. Inter Judæos eſt *Abarbinel*, qui ob profunditatem judiciorum DEI ita vocari putat, quorum manifeſtandorum hic conſtituitur locus לפי שמשפטיו עמקו קורא אותו עמק יהושפט *quia judicia ejus ſunt profunda, ideo illum vocat locum, qui eſt* (& ut ille ait רמז למשפט השם vel ipſa ſignificatione judicium DEI innuit) *vallis Jehosbaphat*, quo etiam facit quod ante illum *R. Sal. Jarchi* tradit hæc verba ita exponens ארד עמהם בעומק הדין *Deſcendam cum illis in profunditatem judicii*, quibus verbis, *g)* inquit, non nemo *intelligit exactiſſimam judicium etiam de occultiſſimis.*

Quod ſi alios interpretes conſulere volupe ſit, has in cæteris, ni fallor, ſuggerunt rationes, *h)* quia ibi tam obſeſſi erunt & circumdati, ut nullus effugio futurus ſit locus *i)*. 2. Quia eo neceſſitatis erunt compulſi ob conſcientiæ angorem propter peccata admiſſa, ut ſimiles cenſeri poſſint illis, qui magna copia in anguſta & incommoda valle, ubi non ſatis ſpatii eſt, premuntur. 3. *Grotius* depingi hic arbitratur judicia divina, quatenus DEus judex ſedet in loco ſublimi, rei ſtant in loco inferiori, qui vallis ob ſimilitudinem hic dicitur.

Hactenus quod attinet ad nomen loci; ſequitur in verbis ſequentibus, quid DEus ibi facturus ſit. Verba ita habent: *Congregabo omnes*

f) Jun, Trem. Piſc, Glaſſ. Epiſcop. Hallius. *g)* Pet. a Fig. *h)* Tarn. *i)* More.

omnes gentes, & faciam descendere eas ad vallem Josaphat, & disceptabo cum illis &c. Vix secus fieri potest, quin ex diversa interpretatione temporis & loci a DEO constitutorum ad ea exsequenda, quæ hic dicuntur, nec non personarum, in quarum conspectu ea est executurus, differens etiam nascatur interpretum sententia de personis, quibus hæc eventura dicuntur, nimirum uti hic describuntur, *de omnibus gentibus*, quæ non eadem notione omnibus exponi possunt illis, qui adeo differunt in explicando tempore & loco. Si verba exponantur de tempore, quo Judæi a captivitate sunt restituti ac in libertatem quovis modo recuperatam vindicati, necesse est ut de talibus etiam accipiatur hostibus, qui hoc modo cum illis egerunt vel aggressi sunt eos ad exitium illis parandum, quique eandem ob causam a DEO atrociter essent castigati, ita ut *omnes gentes* non denotaret omnes universaliter, sed magnam copiam diversarum gentium, uti *k) Assyriorum, Chaldæorum* & aliorum, qui cum illis advenerant odio Judæorum & eorum *l)* religionis, quæ tunc temporis vera erat sola, ob quam tum *m)* exosi erant Judæi omnibus aliis idololatricis gentibus. Rursus, si de tempore Evangelii, iisque omnibus intervallis, quæ præterlapsa sunt ac præterlabuntur a primo Christi adventu ad secundum usque, manifestum quoque est, non significari omnes nationes sine ulla alicujus exceptione; sed omnes inter illas, sive Judæos sive Gentiles, cujuscunque generis, qui ecclesiæ DEI ac veræ religionis Christianæ sunt *n)* hostes, & in quos propter ignominiam, qua Ecclesiam DEI affecerunt, severe animadversum est, veluti in Judæos, cum civitas eorum destrueretur tota republica funditus eversa, atque sic *omnes nationes* hic dicuntur, qui alias *Matth. 13, 14.* describuntur *omnia offendicula & omnes facientes iniquitatem.* Quod si autem ad tempora adventus Christi secundi pertineant & ad ultimum judicium, nemini dubium esse potest, quin verba in maxima latitudine & strictissima significatione sumta sint verissima. *Cum enim venerit Filius hominis cum sua gloria, nec non omnes sancti Angeli*

k) Druf. *l)* Grot. *m)* Tarn. *n) Hostes ecclesiæ intelligit vel Judæos vel gentes* &c. quorum Judæi in vallem Jehosaphat possunt dici delati, cum civitas & status eorum destrueretur; gentes aliæ autem, cum aliquando sint eversæ. Merc.

geli cum eo, tum sedebit in throno gloriæ suæ, & coram eo congregabuntur omnes gentes & separabit eos alios ab aliis, quemadmodum separat pastor oves ab hædis &c. *Matth. 25,31.32.* &c. Omnes ex omnibus nationibus, probi atque improbi, verbis latissima significatione acceptis, colligentur coram eo. Verum quod hoc loco, si ad illud temporis intervallum *o)* referatur, non sint tam late accipienda, sed verius restringenda ad improbos eorum, non ad vera Ecclesiæ membra, sed ad hostes ejus, ex verbis apparet, quæ cum his sunt conjuncta, quibus describitur, quem in finem sint congregandi & quomodo DEus cum illis sit acturus. *Faciet eos descendere* in locum judicii & *disceptabit cum eis ibi de populo suo* &c. והורדתים *Et faciam eos descendere*, vel efficiam ut descendant; expressio naturæ rei apte conveniens, quippe locus vocatur vallis, quo, qui ex aliis locis veniunt, descendunt, quamvis eadem res, cum duodecimo versu exhibetur, voce contrariæ significationis dicatur, *ascendere ad vallem Josaphat*, ut in proprio ejus loco, DEO volente, videbimus: De quo loquendi genere, quod in præsentiarum notandum habemus, eo tendit, verba hic *descendere*, ibi *ascendere* contrariæ quidem notionis, eandem tamen rem denotantia, non stricte esse accipienda de diverso veniendi modo ad præstitutum locum, sed potius de certitudine ac necessitate veniendi, ut ascendant vel descendant eo, undecunque locorum citarentur, quo ubi venerint, vel rectius, ubi convenerint, inquit ille, *disceptabit cum illis ibi de suo populo* &c. ונשפטתי עמם שם Venishpatti immam sham: *Disceptabo cum illis ibi.* Contendet cum illis jure, sicuti quis, quo injuria est affectus, eum in jus vocat, ac cum eo contendit, a quo læsus est; non quidem ut judex, ad quem rerum nihil pertinet, quique ad querelam personæ læsæ sententiam solet pronuntiare contra eum, qui injuria affecit; sed uti quis, qui simul injuria, qua pars læsa est affecta, afficitur & injuriarum est particeps; atque disceptabit non secus ac si propria ipsius res ageretur. Id enim videtur inferre verbum נשפטתי *Nishpatti* ea forma, qua hic & alibi usurpatur. Alii id exponunt conjugatione prima שפטתי *Shaphatti p) judicio publico damnatos puniam*, quasi judicis partem ageret, non

Nn autem

o) Pet. a Fig. *p)* Pisc. *Judicabo, judicium exercebo.* Pet. a Fig.

autem ullius partis, & se ipsum ita exhiberet, ut *v. 12.* ait: *Ego sedebo ad judicandum omnes gentes.* Attamen usitatius est ea conjugatione, qua hic est, atque a nostratibus & aliis exprimitur per *q) disceptare cum* & contendere in judicio tanquam pars læsa, qua quoque *r)* majorem videtur habere emphasin, utpote communionē ac relationem referens, quæ intercedit inter DEum & populum suum. Ita ut ad se pertinere velit, quicquid ei contingat ejusque causam non secus ac suam ipsius agat, juxta id quod alibi dicit: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei, Zach. 2, 8. Quod horum cui factum, mihi factum est, Matth. 25, 45. Saule, Saule, quid me persequeris?* dicit Christus Paulo ecclesiam ejus persequenti, *Act. 9, 4.* Quanta sit ea propinquitas, qua sibi suos asserit & cognoscit eos, quorum loco disceptaturus est cum omnibus illorum hostibus, non obscure innuitur illis titulis, quibus insigniuntur, videlicet *populi mei & hæreditatis meæ, Israelis.* Quam invisi vero essent cæteris gentibus, quantave ignominia ac dedecore excepti, tanquam ipsissima terræ purgamenta, & quorum nulla habenda cura & ratio, sequentia docent verba. Eos tamen nihilominus vocat *suum populum* & *suam hæreditatem*, quorum habebat peculiarem curam ac rationem. Quantumvis enim eos permittat interdum potestati gravique persecutionī inimicorum suorum pariter atque illorum, idque vel in paternam castigationem ob admissa peccata, vel ad probandum eorum sinceritatem, vel ut palam illis fiat, mercedem magnam, quam præstolantur, non consistere in abundanti & tranquillo usu rerum temporalium hujus mundi, sed in rebus multo melioribus, quæ sunt spirituales & ad meliorem vitam spectant; attamen id nequaquam indicium est, eos ab eo esse rejectos, quippe sibi illos adhuc venditat tanquam suum populum, suam hæreditatem, a cujus jure nunquam decedet, utpote qui omnem injuriam illis illatam suam censet suoque tempore in conspectu illorum justitiam exercebit in eos, qui injuria illos affecerunt. Quæ res uti eos potest servare, ne languescāt & animū demittant gravissima anxietate pressi;

q) אשפט *ingrediar in judicium cum.* Kimchi. r] Vide Calv.

pressi; ita argumento est, improborum potentiam, cui aliquando succumbit in hoc orbe populus DEI, non esse signum, quod magis sint accepti DEO, vel quod illorum actiones DEO probentur, licet in præsentiarum eos sinat potentia crescere, eamque ratam habeat ob rationes, quas ipse optime novit, quibusque ductus omnia in bonum diriget illis, qui nunc sunt afflicti & persecutionem patiuntur. Id quod suo tempore certo fiet, quando disceptaturus est cum alteris pro alteris. Cum eos vocat *suam hæreditatem*, dilucide ostendit se nunquam eos aliquo modo esse relicturum, aut permissurum ut pereant, sed se vindicaturum sibi eos in æternum. Quam efficax sit hic titulus ad eum exorandum, ut curam illorum habeat, omniaque in illorum usum ac bonum dirigat, ex eo constat, quod *cap. 2. v. 17.* illis suggeritur, ubi precibus a DEO debebant impetrare, ut illis parceret, quia sint *populus ejus*, & non daret *in opprobrium*, quia sint *hæreditas ejus*.

Porro qui hisce titulis hic ornantur, nominatim vocantur *Israel*, & si verum fateri volumus, hæc natio, quatenus eo nomine ab aliis distinguitur, quæ erant ante tempora Evangelii, hoc solo quoque titulo *s)* peculiariter cognitus erat; at postquam in vulgus editum est Evangelium, & nomen & hi tituli communes redditi sunt omnibus eis, qui fidem ei habent, cujuscunque sint nationis, sive tribus *Israelis*, sive alicujus alius, omnes hi sunt *populus Dei*, & *t) hæreditas Dei*, & *Israel Dei*, etiam tota ecclesia verorum fidelium; ita ut utriq; æquo jure hæc expressio applicari possit. Quicquid enim DEUS unquam *Israeli* olim impertiebat vel impertire voluit, vi istius relationis, qua populus ipsius erat, propter majores ejus, quibuscum primum sanxerat fœdus; idem facit & facere adhuc perget omnibus christianis ex ea relatione, qua in Christo ab eo sunt recepti. Sunt qui hæc verba & res dictas intelligunt alii de hoc spirituali Israele solum, alii de altero secundum carnem, alii de utroque, & in utroque completa, quippe utriusque & veteris *Israelis* & novi *Israelis* eadem causa, eadem desponsatio divina, eadem quoque pro-

s) Deut. 4,20. *t)* 1. Pet. 5,3.

missio agendæ causæ utrique, cum omnes, quicunque erant, vel sunt, ejus sint *populus*, ejus *hæreditas*, ejus *Israel*, ejus *ecclesia*. Hinc a *u)* quodam ita explicantur hæc verba: *Populum suum vocat electos omnes, quos etiam Israelis nomine comprehendit* &c. Adeo ut non tantum loquatur de eo populo, neque de eorum hostibus solum; ut verba ad literam sonant, sed de electis hujus æque ac ecclesiæ gentium, & de omnibus qui electos persequuntur. *Populus enim ille figura erat Ecclesiæ;* & ejus hostes typus omnium qui sanctos persequuntur. *Alludit* (inquit *w)*) alius *ad captivitatem Babylonicam & Judææ destructionem a Chaldæis factam, quæ typus erant earum vastationum, oppressionum & miseriarum, quæ ab inimicis ecclesiæ fiunt fidelibus.* Non equidem nomine populi *Israelis* ii tantummodo intelligendi sunt, qui sunt *Israelitæ* secundum carnem, sed secundum spiritum, i.e. veri cultores DEI, qui ab infidelibus & improbis persecutionem patiuntur & affliguntur. *x)* Alius: *Israel, de quo loquitur, non est ille externus vel carnalis, sed spiritualis*, de quo supra *cap. 2, 28. 29.* & qui vocatur *Israel Dei, Gal. 6, 16.* Unde etiam liquet, quomodo illa, quæ sequuntur, sint accipienda, videlicet per ea, quæ Israel quondam secundum carnem passus est, metaphorice significari, *quæ verus Dei Israel semper patitur*, vel passus est. Posteaquam vero declaravit, quibuscum disceptaturus ac contenturus sit in judicio, jam pergit in specie designare in verbis sequentibus, de qua re disceptatio foret, vel quam causam inprimis sit acturus: *quos disperserunt in nationibus & terram meam diviserunt* &c. אשר פזרו בגוים Asher pizzeru Baggoim *y) quos (vel quem) disperserunt* &c. Alii reddunt, *quia disperserunt eos vel eum;* quandoquidem vox *Asher* nonnunquam ponitur pro כי *z) quia* sive *quod* (atque tum supplendum est *eos* vel *eum*) *in nationibus* scilicet cum captivos eos abducerent ex sua in aliam regionem. Syrus hæc verba passive reddit ܕܐܬܒܕܪܘ *qui dispersi sunt in nationibus.* Hinc *Kimchi* spectari putat ad *Titum* ejusque exercitum, שההריבו ארץ ישראל ופזרו יושביה בין הגוים

qui

u) Ribera. *w)* Menoch. *x)* Tarnov. *y)* Drus. *z)* Quod disperserint eum per gentes.

qui desolarunt terram Israel *ejusque incolas inter gentes disperserunt.* At excipiunt contra hanc ejus opinionem, primo *a)* quod non possint *omnes nationes* proprie dici, quos secum adducebat *Titus,* illorum instar, quibuscum DEus hic disceptaturus est. Secundo *b)* quod Judæi eo ipso tempore, quo regionem invadebat, titulum *populi ejus* ac *hæreditatis Israelis* sustinere haud possent, eo quod Christum abnegaverant crucique affigendo protinus rejecerant. Quæ rationes etiam faciunt ad destruendam sententiam *Abarbinelis,* qua de Christianis & Mahomedanis hoc exponit, diverso temporis intervallo in Judæorum terram irruentibus, eamque, incolis inde pulsis, inter sese dividentibus. Pari ratione & *c)* illis objici potest, qui de *Assyriis* & *Chaldæis* alisque gentibus Judæis vicinioribus, quarum auxilio nitebantur, intelligunt, quod omniũ nationum titulum non mereantur. Atq; hæ objectiones inprimis adhibentur ab illis, *d)* qui ad captivitatem Babylonicam atque terræ Judææ destructionem alludi censent, easque typum gerere volunt earum vastationum, spoliationum & injuriarum, quibus hostes jugiter afficiunt ecclesiam & cœtum fidelium, quos persecuti sunt atque in exilium egerunt, terra eorum (quam suam vocat DEus) bonisque & facultatibus inter se divisis. *e) Per ea, quæ Israel secundum carnem passus est* (quia in peculiarem populum eum DEus asciverat) *metaphorice significat, quæ verus Israel DEI,* Ecclesia Christi, passus est, vel adhuc *f) patitur* ab ejus hostibus, qui his descriptis malis vel aliis similibus eam urgent in diversis nationibus fideles dispergendo atque eorum terram dividendo. *Suam Terram* DEus hic vocat *illorum regionem,* atque hoc nomine olim veniebat peculiari ratione terra *Israel,* quia *g)* Israel erat populus ejus. Ita adhuc sibi venditat, quicquid ad eos pertinet, non secus ac illos ipsos; Hinc qui in jus illorum involare audeat eosque eo privare ac injuria afficere gestiat, vindicem eum sentiet haud aliter, ac si in eum ipsum hæc omnia admisisset.

a) Pet. a Fig. *b)* Mercer. *c)* Grot. *d)* Menoch. Sa. *e)* Ribera. *f)* Vel patietur: prophetico enim more verba accipimus, quo sub præterito non tantum continentur, quæ facta sunt, sed & quæ futura, donec Deus universos ad judicium vocaverit. *g)* Menoch. *Terram populi mei, atque adeo meam.*

Peculiari ratione intelligit *Hieronymus* hæc verba, *& terram meam diviſerunt*, ac ſi diviſa eſſet terra diverſis accerſitis idolis ac idololatriæ generibus in eam regionem, ubi unum antea DEum erant cultu proſecuti; at multo planior videtur exponendi ratio, quam priori loco adduximus, qua, inter ſe eam illos diviſiſſe atque in uſum ſuum occupaſſe, ſtatuunt.

Quæ vero in ſpecie ſint rationes, ob quas cum hoſtibus diſceptare velit, recenſere pergit proxime in ſequentibus verbis hocce modo:

3. Et projecerunt ſortem ſuper meum populum, & dederunt puerum pro meretrice, & puellam vendiderunt pro vino ut biberent.

Quibus verbis ſignificat, populum ejus adeo contemtim habitum fuiſſe, tantaque contumelia affectum, qua neminem afficerent, quem vel alicujus facerent vel communi demum haberent loco. Sortem enim ſuper eos, quos in *h)* captivitatem redegerant, projiciebant, nulla alterius præ altero ratione habita, quaſi plane indigni eſſent ulla electione, ut eos inter ſe dividerent. Qui *i)* mos dividendi eos per ſortem, quos captivos reddiderant bello, in multo uſu antiquis fuiſſe videtur. Alludi quippe ad eum in aliis locis compertum habemus, veluti *Nahum. 3, 10. Et de honoratis ejus projecerunt ſortem*, & *Obad. v. 11. & ſuper Jeruſalem jecerunt ſortem*. Verum equidem eſt, id accipi poſſe de diviſione vel *k)* bonorum, agrorum & poſſeſſionum illorum, vel perſonarum. At quomodocunque acceperis, ingens hinc in eos redit contumacia, quæ tamen nihili cenſenda præ illa, quæ continetur in verbis ſequentibus: *& dederunt puerum pro meretrice*. Quod ad hæc verba, in diverſum eunt hic nimium quantum interpretes tum in aſſignanda ſignificatione vocis זוֹנָה *zonah*, quam reddidimus, *meretrice*, tum in concipiendo ſenſu, ſi hæc interpretatio probetur. Quod ad ſignificationem vocis attinet, ſunt qui alio modo eam interpretantur, quatenus ſcilicet vox quoque denotat *alimentum*, ac ſi eadem eſſet cum זן *zan*,

h) Sors jacitur ubi eſt contemtus. Calvin. *i)* Druſ. *k)* Mercer.

z.m, sive מזון *Mazon*, a radice זון *aluit*, quæ hanc *l)* notionem fert, quo quidem pacto satis egregie sequentibus congruit, quibus dicuntur vendidisse *puellam pro vino*; nimirum, pro vino puellam, puerum pro alimento dedisse dici possunt; verum satius habent alii, iique fere plurimi hanc derivari vocem a radice זנה *zanah scortatus est*, atque hoc loco, ut & alibi, quam sæpissime & communiter denotari *meretricem*, cum alibi alia notione non extet. Tum vero haud difficultate vacat, quo sensu hoc sit accipiendum, quando vertitur *pro meretrice*, num sit applicandum ad illud abominandum *sodomiticum* scelus, ac si meretricis gesserit vices; an vero pretii loco datus sit puer meretrici pro corporis ejus prostitutione. Priori modo accipit hoc *Hieronymus*, aliique nonnulli; plerisque autem aliis perplacet sententia posterior, *m)* quam & sequentia magnopere videntur confirmare, ubi adjicitur, & vendiderunt puellam ביין Beyain, *pro vino*, id est, pro pretio vini. Vero itaque simillimum est, & quod præcedit בזונה Bazonah, *pro meretrice*, eodem præfixo ב *be*, exponi debere, *pro mercede meretricis*. Ita & *Chaldæus* באגר זניתא *pro pretio sive mercede meretricis*. Nec non Syrus ܒܐܓܪ ܙܢܝܘܬܐ Bagar zanoyotho, *pro mercede meretricum*. Quibus concinit MS. Arabicum و يعطوا الصبي في جعل الزانية *& dederunt puerum pro pretio meretricis*. Et LXX, ἔδωκαν τὰ παιδάρια πόρναις, quorum vestigia premens Arabica impressa habet واعطوا الصبيان للزواني *& dabant pueros pro meretricibus*. Quæcunque autem harum sententiarum probetur بالجملة breviter, inquit *R. Tanchum*, sensus eo redit انهم ابتاعوا اولاد ישראל الذين سبوهم واصرفوا اثمانهم في لذاتهم وشهواتهم البهيمية *eos vendidisse liberos* (populi DEI vel) *Israelis, quos captivos reddebant, pretiumque eorum contulisse in suas voluptates & turpissimas libidines*, id quod maximum certissime eorum arguit contemtum, tantamque ignominiam, qua nulla major ac abjectior excogitari potest, quippe tam

l) Quod recte ita verti putat celebris ille Grammaticus Abu VValid. *m)* R. Tanchum.

tam mirandum in modum vilipendebantur,ut nulli dubitarent eos, ut *n)* quidam volunt,projicere pro rebus abjectiſſimis ſordidisve,ut ſunt ſcortandi ac potandi libidines. Utut vero hujusmodi ſortis vel populi Dei Iſraelis olim, vel Chriſtianorum huc usq; nulla in hiſtoriis fiat mentio, eam tamen ſubiiſſe olim,vel ſubituros,ſive ad præterita, ſive ad futura hæc pertinere cenſeas, res eſt manifeſtiſſima horum verborum teſtimonio ſuffulta.

4. *Imo quid tibi mecum, Tyre & Sydon, & omnes termini Palæſtinæ? Nunquid retributionem mihi reddetis? Et ſi retribuitis mihi, cito & velociter reddam retributionem veſtram in caput veſtrum.*

Poſtquam præcedentibus in verbis *v. 2.* prædixerat in genere, quod *eſſet diſceptaturus cum omnibus gentibus de populo ſuo*, atque in judicium vocaturus ob eas, quibus hæreditatem ſuam affecerant, injurias, in ſpecie jam & nominatim exprimit eorum quosdam, quibus litem ſit moturus, nimirum *Tyrum & Sydonem & omnes terminos Palæſtinæ.* Hanc vero diſceptationem orditur a quæſtione, qua quicquid injuriarum illarum erat, injuſte ac citra omne meritum & cauſam factum eſſe docet, quo ſe dignos reddiderant, ut ea ſeveritate cum illis ageret, qua minatus erat. Populi, qui hic nominantur, ſunt *Tyrus & Sydon & omnes termini Palæſtini*, h. e. incolæ horum locorum, quos vicinos ſive conterminos fuiſſe terræ *Iſraelis* non uno loco apparet, quo eorum in S. literis injicitur mentio. Ut autem horum verborum juxta ac ſequentium *v. 5. 6. 7. 8.* genuinum eliciamus ſenſum, neceſſe eſt ut paulo limatius exactiusque ex hiſtoria eruamus, tum quo malorum genere ab iis affecti ſint Judæi, quamdiu Iſrael DEI erant, tum quo pœnarum genere correpti ſint poſtea juxta illud, quo hic dicuntur, corripiendi. Cum autem nullus locus alibi occurrat, unde hæc accurate peti poſſent, in literalem horum verborum ſenſum tanto majori ſtudio inquirendum puto, cum utriusque rei deſcriptionem ſuggerat. Amplectitur quippe non tantum ea quæ faciebant,

n) Tarnov.

ciebant, verum & quo pacto in eos esset animadvertendum, quanquam immane quantum discrepant interpretes, num omni suppliciorum genere jamjam sint correpti, vel adhucdum corripiendi, vel in totum, vel magna ex parte? Quocirca ordine hæc verba exponenda sunt nobis, ut & accuratius ea inspiciamus & de toto negotio limatius feramus judicium. Ita autem habent וגם מה אתם לי צר וצידון *Vegam mah attem li tzor vetzidon.* Vegam, *imo*, ad literam, *atque ita*; Vulgato licet, *verum*. Qua particula docet, cum aliarum etiam remotissimarum gentium tanta maneat pœna, quæ toti populo DEI ruinam & interitum intentaverant, neque has exemtum iri, licet potentia cæteris multo essent inferiores; verum cum amicitiæ ac auxilii loco, cui ferendo ex jure viciniæ erant obligati, pro viribus maximo etiam affecerant damno, certo esse futurum ut & hæ suppliciis illis non eximantur, quibus afficiet cæteras DEus; sed in specie in judicium vocentur propter ea, quæ fecerant, atque pro meritis suis cum reliquis puniantur, utpote quæ immerito hæc fecerant atque injuriæ in ipsum DEum erant reæ. Hinc aperte in hæc verba erumpit: *quid tibi mecum?* לי li, *mecum*, quasi sibi ipsi essent facta, quæ facta erant populo suo. Ita interpretando simul exprimit sensum MS. Arabicum ואיצא איש כאן לכם מע אמתי אנתם יא אהל צור וצידא *atque ita quid erat vobis cum natione mea* (sive populo) *o popule* (vel incolæ) Tyri & Sydonis? Qua ratione etiam intellexisse videtur *R. David Kimchi*, cum ita exponat מה לי ולכם &c. *Quid mihi vobiscum?* (vel quid negotii est, vel erat mihi vobiscum?) שבאתם לארצי &c. *quia venistis in terram meam, qui, quum sitis vicini mei, debueratis populo meo benefacere. At non ita fecistis, sed cum vidistis venisse adversum eos Reges populorum, illis vos adjunxistis, ad referendum spolia & prædam.* Unde apparet cum DEO illis negotium fuisse, cum dicantur negotium habuisse cum populo ejus, quippe sibi asserit, quæ populum suum respiciunt, ut ad *v. 2.* jamjam notavimus, atque id est quod plerisque consentientibus infert vocula לי *mecum.* Differt hoc loco quam maxime a communi interpretatione Chaldæus hunc in modum verba reddens ואף מא

אתון חשׁיבין קדמי *Atque ita quanti æstimati estis apud me?* quocum etiam convenit Syrus ܡܢܐ ܚܫܝܒܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܝ *cujus momenti estis apud me Tyre & Sydon?* &c. Eodem videntur etiam respicere LXX. illis in *o)* exemplaribus quæ habent καὶ τί ὑμεῖς ἐμοί; quos Arabica impressa imitatur atque ita vertit فماذا انتم لي *Et quid vobis mecum?* (quamvis alia exemplaria sint, quæ propius ad communem interpretationem accedunt, cum habeant τί ἐμοὶ καὶ ὑμῖν juxta Cyrillum, *quid mihi & vobis?*) Si ad mentem Chaldæi atque eorum, qui cum eo faciunt, verba interrogandi forma legantur, nihil aliud ea complecti in aperto est, quam exprobrationem stultitiæ illorum, qui sibi videntur satis idonei ad resistendum DEO, quasi non esset par vindictæ sumendæ de ignominia, qua eum afficiunt, qui populum suum lædunt. Verum majorem veritatis speciem præ se fert altera exponendi ratio, qua cum illis videtur expostulare velle propter nefas in populum suum citra ullum meritum admissum atque per illum in se, cujus causam sibi ipse vindicat ac tuetur. *Quare, sive, ob quam causam ita mecum egistis, o Tyre & Sydon & omnes termini Palæstinæ?* Quid sit *Tyrus* & *Sydon* vel ejus incolæ, verbis proprie acceptis, manifestum est, uti diximus, ex crebra earum mentione in sacris literis. Quod autem ad verba attinet, *omnes termini Palæstinæ*, quæ hebraice sic habent וכל גלילות פלשׁת *vecol geliloth Pelesheth*, variam a variis sortiuntur interpretationem. Sunt qui *Geliloth* pro nomine loci proprio habent & ad Galilæam respici putant. In quorum numero sunt LXX vertendo: καὶ πᾶσα Γαλιλαία ἀλλοφύλων, *& omnis Galilæa peregrinorum*, & ad eorum mentem Arabica impressa وكل جليل القبايل الغريبة *& omnis Galilæa nationum peregrinarum.* Quibus etiam accedit Syrus ܘܟܠܗ ܓܠܝܠܐ ܕܦܠܫܬ *& omnis Galilæa Palæstinæ.* At exemplis cum destituta sit vox גלילות *Geliloth*, quod numero plurali proprii nominis loco ponatur, alii recentiores æque ac vetustiores, ni fallor, pro appellativo habent notione *terminorum, limitum*, sive *confinium.* Ita olim Chaldæus, qui hunc in modum vertit כל תחמי פלשׁתאי *omnes limites* (vel termini) *Phili-*

o) Sic in Polyglot. *p)* Vide Grotium in h. l. & in Matth. 8,26.

Philiſtinorum, & M. S. Arabicum جميع نواحي فلسطين *omnes partes* (vel termini) *Palæſtinæ*. Pari modo obſervatum eſt ab *Abu Walid* & *R. Tanchum* hanc vocem denotare أغوام *terminos, limites*. Geminum huic habet Latinus, numero ſingulari pro plurali poſito, quem interpretandi modum in genere fere omnes recentiores ſequuntur, ne noſtratibus quidem exceptis. At alii iterum inſiſtunt viæ in altero nomine reddendo LXX. quam præter impreſſam Arabicam cæteri omnes ignorant, cum haud pro nomine proprio habeant; verum non dubitant illud interpretari, per *peregrinorum* vel *peregrinarum gentium*. Atque familiare hoc revera illis eſt, quotiescunque Palæſtinæ vel Philiſtinorum nomen occurrit; verum ut nemo dubitat hoc eſſe nomen regionis proprium perquam notæ, ita manifeſtum eſt etiam ſatis, hic potius accipi proprie, alterumque *Gelilot* eo ſenſu, quo vidimus, atque ita a noſtratibus & aliis non inepte eſſe redditum, *termini Palæſtinæ*, adeo ut regiones ac populi ſint, qui hic nominantur, Judæorum vicini, qui crudeliter ac inhumaniter cum illis egerant. Quibus verbis ita acceptis non obſcure patet, minas inprimis hic fieri incolis horum locorum. Sunt tamen, qui ſub nominibus horum locorum comprehendi autumant adhuc alios præter illos, qui ſimili modo agunt, atque ex eodem nomine vocari aut indicari merentur, veluti illi, qui ita agunt cum eccleſia DEI & ejus populo, ſicuti olim agebant cum Judæis, cum nomen ſuum adhuc ſtrenue tuerentur. Hinc eſt, q) qui ſub his nominibus depingi vult omnem improbum populum, & ſub Judæorum nomine omnes ingenuos fideles, omnesque electos DEI, cujuscunque ſint etiam nationis. Alii exempli cauſa hæc nomina adducta ſtatuunt, quæque hic dicuntur futura *incolis horum locorũ*, qui fideles ſervos Dei in V.T. perſequebantur, de iis intelligenda cupiunt, quæ contingent aliis nationibus, quæ ullo unquam tempore ſeſe præbebunt inimicos DEI ac ipſius populi. In eandem igitur mentem hæc verba ita παραφράζει D. Stokius: *Vos qui eſtis tam jurati hoſtes Chriſtianis, quam olim Tyrii & Sydones Judæis.* Sic ab r) aliis reſpiciuntur *tanquam exemplum ſive typus hoſtium*

q) Vid. Chriſt. a Caſtro. r) Gualterus.

um domeſticorum Eccleſiæ, qui rationibus quibusdam adducti *pietatis ſtudium ſimulant* ad tempus, data tamen occaſione exſerunt *latens animi venenum.* Quinam autem his nominibus innuantur, vel ſub iis una comprehendantur, facilius erit judicare, poſtquam conſideraverimus, quam ob rem cum illis expoſtulet & quomodo propterea cum illis ſit acturus, id quod ſequentibus declarat verbis inquiens: הגמול אתם משלמים עלי, *Nunquid retributionem mihi reddetis? Et ſi retribuitis mihi, cito & velociter reddam retributionem veſtram in caput veſtrum.* Quorum verborum obſcuritatem, qua videntur involuta, ut rite expediamus, notandum eſt vocem גמול *Gemul, retributionem*, & bono & malo accipi ſenſu, uti & verbum, cujus hic extat participium: ואם גמלים אתם *& ſi retributionem facitis ſive in bonam, ſive in malam partem;* verum in malam hic accipi partem ipſa res loquitur. Porro & hoc obſervatione dignum eſt, hæc verba ſignificare tum, quod ab aliquo fit in compenſationem alicujus præcedentis negotii, tum quod prius fit, quam ulla data ſit occaſio præcedens negotium compenſandi, quam ad utramque notionem hic reſpici non obſcure patet ex ipſis verbis; & ad primam quidem, cum dicitur הגמול אתם משלמים לי *haggemul attem meshallemim li, numquid retributionem mihi reddetis* (vel redditis)? Etenim nomen verbo reddendi notione conjunctum requirere videtur, ut accipiatur pro השבת גמול *recompenſationis redditione pro aliqua re facta;* ad alteram autem, quando incipit: ואם גומלים אתם עלי noſtratibus interpretantibus, *& ſi mihi retribuitis*, ubi ſignificat התחלת הרעה initium inferendi malum (ſive, quod id faciant loco priore); qua ratione hæc accipit *Kimchi* utramque ſignificationem
„hujusmodi paraphraſi concinne exprimens: Quid rei eſt, quod vos
„mihi male facitis? an putatis vos vindictam de me ſumere, quod vo-
„bis male fecerim? quid mali vobis feci? quod ſi dixeritis, vos ex vo-
„bis ipſis (veſtra ſponte) nunc mihi malum facere, (qui enim Iſraeli
„male facit, ejus intentio eſt mihi male facere, quia ſunt filii mei) ſi
„ita eſt, velociter reddam retributionem veſtram in caput veſtrum.
Sic ejus expoſitio hoc loco habet; a qua non procul abſunt, quæ *s*) alibi

s) Lib. Radicum.

alibi tradit de ſignificatione radicis גמל. Eundem fere in modum ea quoque explicat *Abarbinel*, præterquam quod gemina utatur interrogatione: *Num male vobiscum egi* (vel malum vobis feci) *quod mihi retributionem meam redditis? vel quanquam nihil in vos mali admiſerim, an in me id admittere incipitis?* Quæ explicandi ratio ſatis perſpicua apparet, quapropter & *t)* quorundam ſuffragiis merito, mea ſententia, probatur. Succincte in eandem mentem ea transfert *Caſtalio*: *Utrum mihi vos refertis, an potius confertis?* vel ut alii: *u) utrum cogitatis mihi referre, an inferre injuriam?* Etſi non deſint qui eandem ſignificationem retributionis utroque loco ſervant; *an retributionem mihi reddetis? & ſi mihi retribuitis;* ac ſi utrobique reſpiciatur aliquid, quod DEus (vel populus ejus) in eos admiſiſſet antea, de quo jam cuperent ultionem ſumere, ita ut priore loco ſit quæſtio propoſita, num hoc in animo haberent, atque poſteriore loco declaratio, quid ſit iis facturus, ſi hoc conſtituiſſent, ubi ſecundo loco interrogatio evaneſcit (quam conſtituunt qui diverſa ſignificatione verbum accipiunt) ejusque loco particula אם im, *ſi*, habetur conditionalis, qua ſuppoſita, quæ ſequuntur, infert, ſe ſcilicet, ſi hoc facere conſtituiſſent, etiam eſſe facturum, quod ſequitur; qua ratione etiam a perquam *w)* multis aliis redduntur. Sic ea exprimere videntur Chaldæus; & Vulgatus Latinus, qui ita habet: *Et ſi ulciſcimini vos contra me, cito & velociter reddam viciſſitudinem vobis ſupra caput veſtrum.* Verum ſunt *x)* qui & altero loco quæſtionem requiri cenſent, atque ואם, *& ſi*, idem eſſe ac *an?* imo illi ipſi ita putant, qui reddunt *ſi*, & *Gomelim* accipiunt ſignificatione vel *retribuendi*, vel *priore loco faciendi*. Hinc *Mercerus*: ואם *veim* & ſi, *interrogative intelligit; Gamul* autem interpretatur *inferre*. Et *Druſius*: *Hic* ſi *ſumitur pro an*, & retributionem reddere pro *injuriam facere*. Pariter ſtatuit *Grotius* particulam *ſi* poni pro *an*, qua ſignificatione Latino Vulgato dicit frequentem; ita ut pergat interrogando hunc in ſenſum: *An hanc vicem mihi rependitis & hoc mihi redditis?* nempe pro *tot in vos collatis beneficiis*. At in diver-

t) Mercer. Caſt. Druſ. Livel. quibus etiam accedit MS. Arab. *u)* Druſius & Livel. *w)* Tig. Pagn. Munſt. *x)* Druſius.

ſum abit in altero verbo reddendo cum גמלים *Gomelim* accipit notione compenſandi ac rependendi, quod iis factum erat, idque bono ſenſu, non malo, ut habent cæteri. Huc facit, quod habet *R. Salomon,* qui retributionem illis redditum iri putat pro viginti urbibus, quas *Salomon* dederat regi *Tyri.* Quibus LXX olim videntur ſtruxiſſe viam, qui interrogative legunt particulam poſteriore loco, verbumque, quod ſequitur, notione retribuendi ſumunt, atque ita diſtinguunt commata, ut vidimus, interpretando: *ἢ μνησικακεῖτε ὑμεῖς ἐπ' ἐμοί;* quæ Arabica impreſſa ita ad literam exprimit او نكرتم الشر علي *vel, an recordamini* (vel retinetis in animo veſtro) *malum adverſus me?* At contraria ratione agit MS. Arabicum, quod uno commate verba cum ſequentibus conjungit (id quod & alios facere antea vidimus) atque cum præcedentibus ita reddit הל בכאפאה אנתם מכאפיין לי ואר אנתם אולי תמוני אלקביח כפיף סרעה אדר מכאפאתכם פי רווסכם *An redditis mihi retributionem, & ſi mihi prius faciatis malum, cito & velociter reddam retributionem veſtram in caput veſtrum.* Syrus habet ܕܠܡܐ ܦܘܪܥܢܐ ܦܪܥܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܝ *redditis mihi retributionem?* ܘܐܢ ܚܘܒܠܐ ܢܛܪܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܘܬܝ quod in Bibliis Polyglottis ita interpretantur, *quod ſi beneficiis me cumulatis;* quod meo judicio potius reddendum: *ſed ſi reponitis* (vel confertis in me) *retributiones debitas mihi,* quippe vox ܚܘܒܠܐ *Chublo,* æque bene, imo multo melius ſic vertitur, quam beneficia, cum ſignificat retributionem, vel حقوق واجبة debita.

Hiſce atque ſimilibus huc usque allatis inprimis reſpici conſtat ad uſitatam ſignificationem radicis גמל *Gamul, rependendi,* vel *retributionem reddendi* alicui ob aliquid, quod antea vel re ipſa in aliquem contulit, vel contuliſſe arbitratur, qua notione a quibusdam altero accipitur commate, ab aliis utroque. Verum ſecus hic ſentit magnus ille Grammaticus *Abu Walid,* quippe altera ſignificatione utroque loco venire ſentit, ſcilicet *conferendi priore loco ſine provocatione vel ulla occaſione antea data.* Cum vero משלמים *Meshallemim*

mim priore loco extet atque ad significationem *rependendi* videatur restringendum, eo quod plerumque id denotat, utramque significationem admittere hanc vocem notat & *conferendi prius* & *rependendi.* Quod ut magis appareat, ipsius verba apponenda esse censeo, cum in explicanda radice שלם *Shalem* ita scribat: וקד חכון הדה אללגה לגיר אל מכאפאה בל ללאילאי כמא כאנת לגה גמול פי הדין אלמענין איצא, i. e. *Hæc vox non tantum usurpatur notione rependendi, sed & priore loco conferendi, prout etiam vox Gamul utraque hac significatione in usu est;* cujus rei in exemplum, etiam hæc verba citat הגמול אתם משלמים עלי ואם גמלים אתם עלי ubi de voce, quæ descendit a radice גמל *Gamal* utroque loco, quo habetur & *haggemul* & *gomelim*, ut & de משלמים *Meshallemim* dicit utrobique لا يدلون الا ابتدا *nihil aliud denotare quam initium,* ac utraque innui אילא ואבתדא באלפעל *quod fit loco priore, & initium inferendi.* Qua in re ei accedit *R. Tanchum,* cujus verba quoque, cum ejus liber impressus non sit, subjicienda reor האתין אללגתין אעני גמל ושלם קד יכונאן במעני אלאילא אבתדא ובמעני אלמכאפאה עלי מא תקדם פקולה הגמול אתם משלמים עלי ואם גומלים מן אלמעני אלאול וקולה אשיב גמלכם מן אלמעני אלתאני והדא אלאסתפהאם מנה תע עלי סביל אלתהדיד, i. e. Hæ duæ *voces* Gamul & Shillem veniunt jam *significatione inferendi prius, jam rependendi, quod antea erat illatum. Cum itaq; dicatur* Haggemul attem Meshallemim alai veim gomelim attem alai, *priore significatu accipiendum est; quod autem subjicitur in verbis sequentibus:* Ashib gemulcem, *posteriore notione venit rependendi, & interrogatio a Deo fit ratione interminationis.* Pari ratione notat *Abu Walid* de radice גמל *Gamal* eam significare *conferre priore loco,* vel *initium facere sive* באלאחסאן או באלאסאה, *bene sive male agendi.* Ita ut juxta eum verba huncce in modum sumi possint: *an vestra sponte, vel sine provocatione aut occasione data injuria me afficitis?* nisi a *R. Tanchum*

y) alibi

y) alibi proditum esset hac significatione לא יכון אלא בכיר *non nisi in z) bonam partem sumi;* quod tamen, si verba ejus recto stent talo, qua ratione dici possit, non video, quippe inter exempla, quibus probatur notatio hæc *priore loco faciendi*, quædam etiam recensentur, ex quibus non obscure patet in malam accipi partem. Exempli loco sit quod extat, *Gen. 50, 15.* והשב ישיב לנו את כל הרעה אשר גמלנו אתו *Et omnino nobis rependet illud malum, quod intulimus ipsi.* Ubi גמל *Gamal* omnino & priore loco faciendi & male faciendi notione accipitur, quapropter tum *Abu Walid*, qui eum ætate præcessit, quemque in non paucis secutus est, tum *R. Kimchi* expresse dicunt, hanc vocem significare & *priore loco facere, & male beneque facere.* Postquam enim *a) Abu Walid* ejus rei quædam exempla adduxerat, idque inprimis, quod citavimus, cum aliis nonnullis, in hæc verba desinit הדא כלה אולא ואבתדי באלאחסאן או באלאסאה *omnia hæc significant prius facere & ordiri sive bene sive male faciendo.* Et *b) R. Kimchi* pleno ore pronunciat denotare התחלת הטובה או הרעה *prius facere sive bene sive male.* Quare ex mente illorum verba sumi possunt de malo vel injuria, quam intulerant, præterquam quod essent ulla re antea lacessiti. Ex quibus illorum observationibus ac diversis, quas dedimus, verborum interpretationibus (quibus forsitan plures possent addi) nec non ex eorum diversa distinctionis ratione, qua vel una vel duæ interrogationes constituuntur notæ, manifestum equidem est, ea diversimode juxta literam posse verti; verum non est quod eorum sensum aliquo modo infringant, utpote omnes eo redeunt, DEum cum illis expostulare propter injurias populo suo illatas, quas non secus respicit atque sibi ipsi factas, eaque propter in sequentibus minitari futurum, ut pro meritis suis cum illis agat. Verba ita habent קל מהרה *kal meberah*, cito & velociter reddam גמלכם *Gemulcem, retributionem*

y) In Lexico suo Morshed. in גמל. *z)* Quo posito hunc sensum videtur suppeditare verborum, quæ mihi prius facitis פצלא מתקדמא tanquam beneficium præcedens, ea cito vobis compensabo. *a)* In radice גמל. *b)* In Rad. & Com. in h. l.

nem vestram in caput vestrum. Vox גמול *Gemul*, quæ hic repetitur, omnibus consentientibus denotat *rependere* vel reddere illis id, sive retribuere, quod contulerant. Quod dicit, *cito & velociter*, intelligendum est, se id esse facturum vel magna velocitate, quandocunque, vel quam primum ipsi lubeat, ita ut obstaculo aut impedimento esse non possent, neque *c)* temporis ratio de ullo id præveniendi remedio permitteret iis cogitare; vel se *d)* talem esse, tantaque potentia præditum, qui ita agere posset, quamprimum ac quandocunque collibitum esset, præterquam quod ab aliquo posset impediri. Atque eo sensu videntur id recipere, qui nominis loco habent vocem קל *kal.* Ita *Munster: Leve est, ut velociter reddam retributionem vestram* &c. Tigur. *Facile est ut & ego* &c. *velociter rependam* &c. *Vatablus* epitheti loco habet ac Deo accommodat: *festinus cum celeritate. Calv. velox* &c. atque eodem modo *Piscator: levis festinatione* &c. Qui etsi omnes pro adjectivo id habeant, eatenus tamen differre ipsos videmus, ut priores descriptionem hic tradi putent actionis, posteriores autem agentis; quibus MS. Arabicum videtur concinere כפפ סרעה *qui est levis celeriter.* Quantumvis autem sensu non admodum inter se discrepant, literali tamen constructioni illi magis adhærere mihi videntur, qui primam vocem קל *kal* pariter ac sequentem מהרה *meherah*, pro adverbio habent, ut duæ ejusdem significationis voces conjunctæ majorem exprimerent emphasin ac certitudinem ejus rei, quæ hic dicitur futura. Hac ratione a nostratibus sumitur, qui, prout vidimus, reddunt *cito*, in quo conveniunt cum multis aliis & veteribus & recentioribus diversis linguis, quibus scripserunt. In eandem enim sententiam habet Chaldæus קליל *Kalil* (quod literis fere congruit voci hebraicæ) LXX. ὀξέως, cui insigniter mea opinione respondet Arab. impress. بحدة *Beheddat*, licet a latino interprete reddatur, *cum ira* (rectius forte *cum impetu* sive *celeritate)*; Syrus ܒܥܓܠ quam latinus exprimit, *brevi*; Vetus latinus, *cito*; Quod etiam faciunt multi interpretum recentiorum diversis linguis, ita ut exigua vel nulla sit differentia inter hanc & sequentem vocem

c) Ar. Mont. d) Brenn.

מהרה *Meherah*, utraque adverbialiter accepta, præterquam quod altera alteri addat pondus sive emphasin, uti diximus: quare consultum est nonnullis una voce eas exprimere superlativo gradu, *e) velocissime*, quæ sola inferre videtur quod ambæ ejusdem significationis repetitæ requirunt; vel nullam conjunctionem eis interponere, ut sunt in lingua originali, *Kal Meherah*, & quibusdam interpretibus, uti *Vulgato, cito, velociter;* vel cum conjunctione, ut planior æquabiliorque fluat sermo, ut habent nostrates & *f)* alii, *cito* & *velociter*. Hac expressione *Abarbinel* censet innui *Tyri* & *Sydonis* judicium (locis his proprie acceptis) non delatum iri בסוף הגלות כשאר האומות *ad finem captivitatis Judæorum*, uti cæterarum gentium, sed multo maturius fore, quodque hoc loco prædicitur, completum revera esse tempore, quo *Alexander* Magnus templo secundo adhuc integro eas evertebat. Quid alii sentiant de ratione ac tempore, quo hæc respiciant ac complementum suum habeant, ex sequentibus patebit. Hoc loco prædicit se constituto tempore in eas esse animadversurum tam largiter ac efficaciter, ut appareret se justam hanc reddidisse retributionem pro istis malis atque injuriis, quibus eum affecerant, afficientes populum suum atque ea, quæ ad eum spectabant & super quibus nomen ejus erat invocatum, vel quæ *sua* vocabantur aut ejus nomine. Quam iniquæ autem eorum fuerint actiones, utpote quibus quam maxime provocabatur, sicut in prioribus hisce verbis describitur in genere; ita jam indicatur, quænam illæ in specie fuerint, his sequentibus:

5. *Nam argentum meum & aurum meum accepistis & intulistis mea optima desiderabilia in delubra vestra.*

Quid hic intelligendum sit per id, quod dicitur *argentum meum*, & *aurum meum*, & *mea optime pretiosa*, non eadem omnium interpretum est opinio. Ex Judæis est *Aben-Ezra*, qui de eo hæc exponit, quod Reges Judæ illis dederant vel שוחד או לפדיון חשבויכם *muneri, vel in redemtionem captivorum*. Quem etiam *Drusius* sequitur

e) Jun. Tremel. f) Sic & LXX & Syrus.

quitur inquiens : *aurum populi mei, quod viri pro redemtionis pretio solverent aut muneris loco inferrent ad vos. Kimchi* idcirco DEum sibi tribuere putat argentum & aurum Israelitarum, quod illis dederat. Geminum huic habet *Abarbinel;* ita ut auferendo ea ab illis ipsum iis privarent, vel auferrent quæ ejus erant; ejus quippe erat argentum, ejusque aurum totius *Israelis*, quatenus id ab eo illis erat datum, adeo ut jure merito dicere possit לי הכסף ולי הזהב כל ישראל *meum est argentum, meum* (est) *aurum totius Israelis.*

Sunt interpretum Christianorum *g)* nonnulli, qui eorum premunt vestigia. Alii tamen veteres æque ac recentiores intelligunt per ea illud *h)* argentum, aurum, & pretiosa vasa, quæ in templo Deo erant dicata, eamque ob causam *sua. Grotius* vero ab altera stat parte intelligendo *non quæ templi erant & Babylonem avecta sunt, sed quæ erant populi sui, & a Chaldæis, capta urbe, vicinis vendita sunt.* At non est quod impediat, quo minus de utroque sumatur alterumque altero comprehendi statuatur. *i) Argentum populi mei vel argentum Templi mei*, vel utrumque & populi mei & templi mei. Quo etiam videtur propendere *Calvinus* non dubium esse, inquiens, quin bonis suis populum spoliaverint, eaque de causa fuerint rei ac correpti, quamvis in specie, quia abstulerant *sacra templi vasa.* Argentum & aurum & desiderabilia pretiosa populi ejus revera erant ipsius, hinc justa de causa fit, quod in rationem vocat eos propter ea, quæ abstulerant. Quippe ita agendo injuriam ei faciebant apertam, qui possessores eorum pariter ac quæ *eo in genere* possidebant, sibi vindicat. Verum majori injuria ipsum, quod nemo negabit, afficiebant auferendo ea, quorum possessor nullus erat alius cognitus præter ipsum, nempe thesauros & ornamenta ædis ejus peculiaris, ipsi uni separata & consecrata, quibus quantumvis non egeat, nec proprie dici possit iis delectari ob aliquod bonum, quod sibi inde redundet; attamen quia indicia erant ac signa grati animi, cultus atque obedientiæ populi a se ipso ordinata, in deliciis ea habebat atque accipiebat tanquam ab illis data, quæ ipse illis dederat. Magna erat in se ipsa

 inju-

g) Merc. Pet. a Fig. Grotius, D. Stokins &c. *h)* Hieronym. Cyrill. Tarn. *i)* Piscat.

injuria harum rerum ablatio; verum major fit ac atrocior ex eo, quod eas intulerant in ſua delubra להיכליהם *leheicelehem*. Vox deſignat vel *k) Palatia* vel *Templa;* verum majoris videtur emphaſεως interpretatio *Templorum,* qua crimen eorum immane quantum aggravatur, quippe non ea tantum auferebant a Deo ac in privatum ſuum uſum convertebant, ſed & in majorem ignominiam ac contemtum Dei, quaſi eo multo ſuperiores, publice collocabant in delubris idolorum ſuorum, haud ſecus ac ſi Deo victoriam extorſerint. Quod cum a *Tyro* & *Sydone* & terminis Palæſtinæ hic factum dicatur, haud alienum a vero videtur eos, quorum hic dantur nomina, ſocios fuiſſe *l) Chaldæorum* in diripienda urbe *Hieroſolyma* & templo, quo nomine præ cæteris hic corripiuntur; in ſequentibus autem ob ea inprimis, quæ in perſonas ipſas admiſerant.

6. Filios eiam Judæ & filios Hieroſolymæ vendidiſtis Græcis, ut eos procul amoveatis a termino ſuo.

Quod dicitur eos vendidiſſe filios *Judæ* & *Hieroſolymæ,* id ita accipit *Kimchi,* ut intelligat vel parvulos quos ſuffurabantur Judæis, interea dum eſſent in terra ſua; vel in eos quos venientes ac facientes cum hoſtibus eorum, cum in captivitatem abducebant eos, captos in illorum manus tradebant, atque ſive hos ſive illos innui putes, Græcis vendebant, qui procul remoti erant a terra Iſrael, ne ultro in terram ſuam redirent. Quod idem ante eum ſuccinctioribus expreſſit verbis Aben-Ezra שלקחתם במלחמה או בגניבה quos cepiſtis in prælio, aut furto. Sunt qui exiſtimant, per *filios Judæ* & *filios Hieroſolymæ* non neceſſario intelligendos eſſe tantum puerulos; ſed & *m)* adultiores quosvis incolarum *Judæ* vel civitatis *Hieroſolymæ*, qui vocantur earum filii, quare *Caſtalio* vertit, *Judæos* & *Hieroſolymitanos,* uti & loco proximo, quod dictum eſt *filiis Græcorum* ad literam, interpretantur & noſtrates & alii non pauci ſimpliciter *Græcis*. Verba enim hebraica ita habent לבני היונים *libne hayevanim*, a *n)* veteribus interpre-

k) Quidam codices LXX legunt οἴκους, alii ναοὺς. l) Druſius. m) Druſ. Tarn. n) Chal. LXX. Syr. Arab. Vulg. Lat.

terpretibus ad literam expressa,ut & a nonnullis recentioribus, *filiis Græcorum*, quo modo & ad marginem notant nostrates, quanquam in textu habeant,quid potissimum innuatur,non quidem pueri ætate, sed populus hujus nationis, quippe hac voce *Javanim* in specie designantur *Græci* a patre suo *Javan*,filio *Japhet*, *Gen. 10, 2.* ita appellati, unde propria sua dialecto vocantur *Jones*. Non desunt tamen,qui id nomen non ad eos præcipue referendum esse arbitrantur,sed sub eo etiam comprehendi omnes reliquas gentes,(quia cæteris hæ eminebant & earum lingua reliquæ utebantur) sensu quidem sat amplo, quo S. Paulus eam vocem accipit, quando in Judæos ac Græcos dispertiens omnes populos posteriore nomine omnes eas complecti videtur gentes, quæ Judæi dici nequeunt,uti *Rom. 1,16. 2. 9. 10-3. 9.* & *29-10. 12. Gal. 3, 28. Coloss. 3, 11.* Sive igitur per *Græcos* illi intelligantur qui proprie ita nominantur, (quibus magnum ab omni ævo fuit cum incolis *Tyri* & rerum aliarum & hominum commercium, ut *o)* apparet ex *Ezech. 27, 13.*) sive alii,quibus id nominis tribuitur,id saltem constat procul fuisse remotos a Judæa,unde procul dubio non essent redituri, ex eo quod adjicit: *ut eos procul amoveatis a termino suo*, i. e. a regione sua vel limitibus ejus. Iniquis *Tyri* ac *Sydonis* conterminorumque *Palæstinæ* sive eorum, qui hoc nomine innuuntur actionibus in populum suum admissis,hocce modo descriptis,proximis duobus versibus Deus subjungit,quid ab iis provocatus agere velit tum respectu populi sui,tum respectu hostium & suorum & illorum.Quid acturus sit respectu populi, ita declarat:

7\. *Ecce, ego suscitabo eos de loco, quo vendidistis eos*, (respectu hostium autem) *convertam retributionem vestram in caput vestrum.*

8\. *Et vendam filios vestros & filias vestras in manu filiorum Judæ, & vendent eos Sabæis, genti longinquæ: quia Dominus locutus est.*

o) Grotius.

Quæ verba ad literam insigniter ita explicat *Abarbinel:* Ego eos „restaurabo operam navando, ut revertantur ex eo loco, quo vendi- „distis eos, atque per illorum manus convertam retributionem ve- „stram in caput vestrum; siquidem filii vestri ac filiæ ab eis venden- „tur *Sabæis*, genti quæ procul remota est a regione vestra. Quando vero dicit הנני מעירם &c. *Ecce ego suscitabo eos ex loco*, quanquam vox *p)* proprie significet suscitare ex somno vel huic simile; tamen hic idem videtur valere ac *q) reduces facio;* ita ut eos, qui protinus videantur amissi ac oblivioni traditi (prout homines somno sopiti vel mortui non sunt conspicui) resuscitare velit ac efficere, ut in regionibus illorum appareant, a quibus tam longe erant dissiti & remoti. Ita Chaldæus: הא אנא מיתי להון בגלאי *Abducam eos publice* &c. Quod porro attinet ad ea verba, *vendam filios vestros* &c. in proclivi est, verbum *vendere* non posse accipi significatione propria, qua in alius jus ac usum transit res pretio accepto; id quod de Deo dici nequit, sed ea qua significat rem alicui tradere, ut plenum in eam ac super ea habeat jus & potestatem disponendi tanquam cum re ære suo redemta. Quo sensu verbum *vendere etiam r)* alibi sumitur. Hinc Deus dicitur vendidisse Israelitas in manus inimicorum suorum, *Jud. 2.14-3. 8-4. 2. & 10.7.* ex quibus cum liberarentur, rursus Psalmista dicit, Deum vendidisse populum suum בלא הון *sine pretio* (uti reddit Vulgatus) vel ut nostrates, *nihilo*, & in margine, *sine divitiis.* Certum equidem est, vendere accipi pro vendere pretio dato in præcedentibus, *filios Judæ* &c. *vendidistis Græcis*, & in sequentibus, *& vendent eos Sabæis;* at secus se res habet, cum de Deo sermo fit, ubi nihil aliud est, quam dare vel tradere in illorum manus & potestatem, consentiente etiam *Kimchi*, qui ita exponit illud אמסרם בידם *tradam eos in manum eorum.* Quod cum minus observaverint quidam, occasionem iis dedisse putat Drusius reddendi ביד בני יהודה Beyad Beni Jehudah, *opera filiorum Judæ*, quod tamen, eodem censente, *male exponunt.* Ita tamen revera habet *Castalio*, & *Vatablus* & *Mercerus*; at antiquior est multo hæc verborum interpretatio. Eodem enim modo id accepisse videtur MS. Arabicum interpretando עלי יד בני יהודה alai

p) Tarnov. q) Drus. r) Drus.

alai yad bani yehudah, *manu filiorum Judæ*. Vulgatus autem habet, *s) in manibus filiorum Judæ*, quamvis a Duacens. exprimatur: *into the hands of the children of judah*. Dubium equidem non est, ביד *beyad* pariter significare *in manu* & *in manum*, nec video id sensui quodam modo officere, quamvis constructionis diversa sit ratio; quid enim aliud est vendere manu, quam eos tradere in illorum manus ad vendendum vel disponendum cum illis pro lubitu?

Quæ proxime sequuntur, *Et vendent eos Sabæis genti longinquæ*, ubi hebraice est שבאים *shebaim* jam olim in diversum traxerunt interpretum curas. LXX reddunt: *καὶ ἀποδώσονται αὐτοὺς εἰς αἰχμαλωσίαν*, &c. *& vendent eos in captivitatem genti procul distanti* &c. Ita & Arabica impressa illorum æmulatrix ويسلمونهم للسبي الى امة بعيدة *& tradent eos captivos genti quæ procul est;* nec conjectu difficile est, qua ratione eo sint impulsi, quippe vox שבה *Shabah*, quam pro nomine derivativo habebant, Hebræis ut & Chaldæis, Syris & Arabibus significat *in captivitatem abducere*, atque hoc loco, *captivitates* vel *captivos*, qua ratione censet *Hieronymus* debuisse potius verti, & ab Arabe ita versam vidimus. Verum cùm alibi hujusmodi appellativi nominis forma non occurrat, pro nomine proprio ab aliis hic habetur populi vel gentis ita appellatæ, scilicet *Sabæorum*, prout etiam regio eorum nuncupatur Seba vel Sabah, unde reliquæ *) versiones Græcæ *τοῖς σεβαεὶμ*, vel *t) τοῖς σεβαίοις*; Syrus ܠܫܒܝܐ; Vulgatus Latinus, *Sabæis*, & omnes fere recentiores interpretationes in genere. MS. Arabicum لاهل اليمن. Leahlil yaman, *populo yaman;* quo simul explicat, quem populum intelligat per eos, qui hic vocantur *Sabæi*, nimirum, incolas *yaman* vel *Arabiæ felicis;* nullosque alios, qui vel ipsi vel eorum regio pari nomine possit insigniri, uti aliis quidem complacitum fuit, eosque inter *Hieronymo*, qui eos putat fuisse populum *trans Indiam*, cujus regionis juxta eundem & Regina fuit *Sebæ*, quæ veniebat auditum sapientiam *Salomonis* 1. *Reg.* 10. unde nobis etiam adhuc thus adferri statuit.

s) Vel. Pagn. *In manu*. *) Aqu. Sym. t) Theod.

ſtatuit. At notatur cenſoria virgula a *Druſio*, qui mendum in eo eſſe arbitratur, inde inprimis ortum, quod non accurate diſtinxiſſet inter שבא *Sheba* cum ſchin ſch. & סבא *Sabah* cum Samech, S. quæ ſunt diverſa nomina perſonarum diverſarum (quæ diverſarum gentium poſſunt eſſe genitores) & regionum (unde fortean perſonæ nomen ſortitæ ſunt, ut *Pſal. 72, 10.* מלכי שבא וסבא reges *Shebæ* & *Sebæ*) Ubicunque vero *Seba* ſit ſita, ſive in *Æthiopia*, ſive in *Arabia Chuſæa*; de *Sheba* quam maxime eſt *u)* probabile & plerisque conceſſum, eam ſitam eſſe in *Arabia felice*, nec eſt, qui dubitet, inde advehi thus; quin & hoc a vero non admodum diſſimile, ex ea veniſſe olim reginam *Shebæ*, quam Salvator noſter *Matth. 12, 42.* & *Luc. 11, 31.* vocat *reginam w) Auſtri*, quo videtur vocem *yaman* interpretari, adjiciens, eam veniſſe ab ultimis partibus terræ, unde regio eorum, cum eſſet ſita in extremis *Arabiæ* littoribus, non ſecus atque incolæ hoc loco poſſint vocari *gens x) longinqua*, quippe hæc pars *Arabiæ* ſi in ea ſit ſita, tam longe diſſidet a *Tyro* & *Sidone* & terminis *Palæſtinæ*, ut jure merito ſic dici poſſit. Interim diffiteri non poſſumus, aliam reſtare verborum interpretationem, qua circa hanc rem omnis difficultas tollitur. Ea autem eſt, quod eos ſint vendituri *Sabæis*, qui *y)* eos abducerent & venderent gentibus remotis & procul diſſitis; verum res tam plana eſt, ut iſtiusmodi minus indigeat. Hucusque quæ ſpectant literalem interpretationem verborum quinque præcedentibus verſibus comprehenſorum, in quibus enucleandis non eſt, quod de difficultate queramur; majoris certe momenti eſt ac ardui ſane laboris opus ulterius in ea inquirere ac definire, quomodo & quando his prædictis verbis eventus reſponderit, quibus adhuc ſubjicitur, *quia Dominus hoc locutus eſt*, i. e. certo *z)* determinavit. Non eſt ullum dubium, quin juſto tempore juſtaque ratione ea certe eſſent futura; verum cum vetera monumenta prorſus ſileant, quando & quomodo ea facta ſint, in varias itum eſt interpretibus ſententias, aliis literali ſenſui adhærentibus, aliis ad figuratum confugientibus,

u) Secus videtur ſentire Mercerus. *ww)* Kimchi de iis dicit, Sebaim ſunt filii Seba & ſunt Orientales ac Auſtrini terræ Iſrael ac Tyro, Sidoni & Palæſtinæ. *x)* Vid. Jerem. 6, 20. *y)* Druſius. *z)* Abarbinel.

bus,quo nimium quantum verba videntur propendere, ita ut *Calvinus* dicat: *Stultum esset ac puerile, nimis insistere in ipsa litera.* Qui quamvis non expresse dicat Prophetam allegorice loqui, sibique omnem allegoriarum spem præcidat, quæ nihil habeat firmi ac solidi; attamen inquit, *aliquam figuram subesse in his verbis,* quibus *Tyrii* & *Sidones* dicuntur vendendi ac amovendi in terras procul dissitas: *Idque fiet in gratiam electi populi & Ecclesiæ, ac si Judæi ipsi essent venditores.* Hinc fortean etiam fit,ut de hujusmodi ambiguitate ac sensu mystico,quem in verbo putat latere, *Ribera* notet de prædictionum harum eventu verba faciens, quod *divinent expositores & multa dicant, sed quæ nequeant comprobare.* At non omnem allegoriam in eo absolvit, quod sub Judæis electum populum DEI præfiguratum esse statuat; sed ulterius procedit ac per *Tyrum* & *Sidonem* & terminos *a) Palæstinæ* intelligit omnes eas gentes,quæ accolæ olim erant Christianis, a quibus etiam gravi afficiebantur damno; tempus autem, quo retributionem sint laturi prædictam,statuit diem extremi judicii, quo Sanctos illos suos sit excitaturus,quos vendiderant in mancipia, & qui mortem oppetierant in peregrinis regionibus, ut vita rursus donati judicio huic possint adesse ac videre,quo supplicii genere hostes suos velit afficere. Cumque ipsi hostes dicantur vendendi,id ita intelligit, quod illi tradendi sint sanctis, qui insidentes cum Deo thronis ad judicandum impios,eos sint tradituri in æternam captivitatem. Sub *Sabæis,* quibus dicitur eos esse vendituros,innui censet diabolos,quibus erunt tradendi in sævissimos durissimosque cruciatus. Eandem rationem exponendi sequuntur etiam alii & qui ejus ætatem longe *b)* præcedunt, & qui sequuntur, pedibusque in ejus sententiam eunt. At quemadmodum non inficias ire possum, verba ita explicari posse; ita difficile probatu esse autumo, eum esse solum ac primarium sensum verborum a Propheta prolatorum, temporisque ac circumstantiarum omnem exhaurire rationem. Quare satius multo existimo arctius paulo ac magis literali sensui inhærere, licet arduum sit,uti diximus, modum ac tempus

a) p. 211. *b)* Rupertus.

præstituere, quo facta sint aut futura ob historiarum in sacris literis dilucide traditarum inopiam.

Inter *Judæos* juxta literam ea videtur intelligere *Kimchi*, cui tamen, cum tempus assignare conetur, quo rerum prædictarum eventus sit futurus, aqua hæret, ambiguus est ac dubius, ut in cæteris, ita & hic; nihilque revera dicit. Quando dicitur: *Ecce ego suscitabo eos de loco quo vendidistis eos*, expositionis loco adjicit כי עוד ישובו לארצם &c. *Adhuc enim redibunt in terram suam. Etiamsi locus captivitatis eorum remotus sit, redibunt in terram suam* הם או בניהם *vel ipsi vel eorum filii vel* גם הם גם בניהם *tam ipsi, quam eorum filii* הם בתחיית המתים ipsi in suscitatione mortuorum, & filii eorum שיהיו בזמן הישועה *qui erunt tempore salutis.* Ex quibus verbis apparet, ejus opinionem non aliam esse, quam quæ ad literam hic sunt prædicta, habitura esse suum eventum, nondum autem habuisse, nec prius habitura, quam instante resurrectione mortuorum & temporibus Messiæ sive Christi, qui salutem allaturus est Judæis, at nondum venit. Quam bene ipsi conveniat cum cæteris Judæis, jam non est officii nostri scrupulose indagare; id unum quod observatione dignum duco, hoc est, ejus sententiam non congruere veritati religionis Christianæ, qua sat superque persuasi sumus Christum jam venisse populoque suo salutem attulisse, ejusque secundum adventum, quo mortui resurgent, ac sententiam sunt audituri tam vivi quam mortui, non fore illud tempus, quo hæc prædicta peragat, illosque emat ab una vendatque alteri genti ac humanis rebus sese immisceat, mercaturamque exerceat, quando *d)* terra, & quæ sunt in ea, conflagrabunt, & impii abibunt in pœnam sempiternam, *Matth. 25, 46.* Ita ut ad literam intelligi nequeat, si adhuc futurum est, quod hic prædicitur. Facilius concipi potest, quod notat *Abarbinel,* qui cum ex iis quoque sit qui literæ adhærent, hoc factum esse putat tempore templi secundi, quo *Alexander* Magnus hæc loca *Tyrum* & *Sidonem* vastabat. Nec desunt ex *e)* Christianis qui ejus vestigiis insistunt. Verba enim, quibus Deus prædicatur *filios Judæ & Hierosolymæ, quos vendiderant Græcis* &c. *suscitaturus ex loco, quo eos vendiderant, impleta fuisse censet Gro-*

c) Chr. a Castro. Sa. Menoch. *d)* 2. Pet. 3, 10. *e)* Grotius, Brennius.

Grotius per *Alexandrum* & ejus ſucceſſores, qui in gratiam Judaicæ gentis multos Judæos in Græcia ſervientes libertati reddiderint. Quod autem prædicitur *Tyro* & *Sidoni*, quod vendere velit filios eorum ac filias in manum filiorum *Judæ*, qui eos venderent *Sabæis*, idem eveniſſe ſtatuit, cum Alexander caperet *Gazam*, *Sidonem* & *Tyrum*. Alii ſortem harum prædictionum impletam eſſe volunt tempore *f) Cyri* & *g) Maccabæorum*. Alii omnia ad literam ſine dubio eſſe facta contendunt, quantumvis nulla extet hiſtoria, quæ accurate horum eventum deſcribat, quia DEus dixit ea ita fore. Atqui hæc juxta literam iſta verba interpretandi ratio omnium videtur planiſſima rectiſſimaque. Quodſi quid omni ex parte non poſſit dici effectum, ad diem judicii id (non autem totum negotium ut quibusdam perplacet) referri poſſe arbitramur, quo loca hic dicta cum cæteris omnibus vocabuntur ad ulteriorem rationem reddendam de iis, quæ ullo unquam tempore in mundo commiſerant. A quo quod non ſint eximenda, ex Salvatore noſtro diſcimus prædicente *Chorazin* & *Bethſaidæ, mitius actum iri in die judicii cum Tyro & Sidone, quam cum his, Matth. 11, 22.*

Quod ex hoc loco juxta expoſitiones traditas neceſſario ſit inferendum, eo redit, Deum quidem interdum permittere, ut populus ſuus proculcetur, contemtim habeatur ac omni injuria afficiatur a ſuis & ipſius hoſtibus; at ſuo tempore eum liberare velle ex manibus hoſtium ſuorum, iisque juſtam reddere retributionem injuriæ reſpondentem, qua affecerunt populum ſuum. Quod DEus hic pollicetur facturum Judæis, qui tunc temporis populus ejus erant, ad omnem ejus populum ſpectare omni tempore hanc boni eventus promiſſionem in oppreſſionibus certum habemus. Rurſus ex eo ſibi legant ſuam ſententiam hoſtes eccleſiæ ac populi DEI, quod prædictum eſt *Tyro* & *Sidoni* &c. Peculiare eſt hoc exemplum ac ſpeciminis loco in his atque ſimilibus caſibus, de quo certe poſſumus eſſe perſuaſi, *quia Dominus locutus eſt*, cujus veritas non eſt limitata vel alligata huic vel alteri perſonæ aut loco, ſed in omnibus hiſce ad eundem modum agit. Varie præterea hæc verba a *h)* quibusdam explican-

f) Pet. a Fig. *g)* Trem. *h)* Vid. Pelic. Mercer. Tarnov. ex VVinckelm.

plicantur, ac si hoc dicto, vendam filios *Tyriorum* &c. Judæis & illi vendent eos *Sabæis*, respiciatur ad Apostolos, quatenus eos, qui Christo erant initiati, in remotissimos ablegabant locos, ut alios ad eum converterent Evangelium promulgando, vel hoc genus alia. Verum id verbis tam exacte non congruit, in quibus manifeste conspicuæ sunt malorum minæ, non autem bonorum promissiones, quales sententia illorum exigit.

9. Proclamate hoc inter Gentes, præparate bellum, suscitate fortes, accedant omnes viri bellatores, ascendant.

10. Concidite ligones vestros in gladios & falces vestras in lanceas; dicat debilis, fortis sum.

11. Congregate vos & venite omnes gentes, & congregate vos de circuitu, eo fac descendere fortes tuos, Domine.

Sermone finito, quem ab initio *v. 4.* habuerat hucusque ad quasdam peculiares gentes, videlicet ad *Tyrum* & *Sidonem* &c. jam iterum ad illud reverti videtur, quod *i)* ad omnes gentes pertinet, de quibus locutus erat *v. 2.* mandato dato, ut animum ad id advertant, quasi a caduceatore, vel alio quodam huic negotio præfecto, esset omnibus proclamatum. Jubentur autem hic *præparare bellum*, conscribere militem, adornare omnia pro virili, junctisque ac extremis uti viribus, quicunque hostili arderent odio in Deum & ecclesiam ejus *gentilium* nomine notati, ut obniterentur potentiæ ejus, qua jam inflicturus est iis, quæ constituto tempore facere constituerat. Quo mandato ita agendi, ac præparandi se ad ei hac ratione resistendum, certo prædicere videtur, etsi jam victoriam videantur reportare de Ecclesia ejus, nemine eorum resistente aut ad resistendum capace, fore tamen aliquando tempus, quo impetum ac sævitiam eorum esset coerciturus, quantus etiam sit eorum furor, quantaque demum nube confluant

i) Livel.

ant adversus eum & electos suos. Quid enim aliud sibi vult hoc jussum *præparandi bellum* & adornandi, quæ ad id suscipiendum opus essent, quam se ipsum constituisse, adversus eos apparare bellum illudque illis indicere? Idque ipsum est quod continent verba simpliciter sumta. Quodsi autem ironice accipiantur, (ut quibusdam accipere ea visum est) id innui eis in aprico est, omnes eorum conatus ac molimina, postquam adhibuerint omni nisu ac opera, prout jubentur, in vanum fore ac irrita; non fore ipsos resistendo, nec perferendo ea judicia quæ adversus eos sit exerciturus. Ad quod temporis intervallum hoc respiciat, & quando harum rerũ eventus sit futurus, uti & *per quos* & *in quos;* cum hoc loco non sit expresse traditum, neque Sacræ literæ eorum alibi exsertam faciant mentionẽ, factum esse constat, ut sensus verborum admodum sit ambiguus, atq; in quo interpretibus parum conveniat. Sunt qui ad res gestas *Nebuchadnezaris* spectari putant: *k)* Alii autem præcipue ad prælium ad *Arbela* (inter *Alexandrum* & *Darium.*) *l)* Alii ad ea, quæ futura sunt sub Antichristo circa finem mundi. *m)* Alii ita accipiunt, ac si Deus gentes alias contra alias suscitare velit, quæ odio haberent populum suum, ut ita se invicem diriperent. At non est eorum quispiam, qui, quod statuit, comprobatum det. Itaque cum Doctissimo *D. Livel.* sentire rectius mihi videtur, qui ultimum DEI judicium hic exhiberi autumat, *similitudine sumta a bello, quo potentissimi imperatores suos hostes proterunt & consumunt.* Atque ita pro hostibus habet hos prædictos gentiles, de quibus DEus vindictam sumere cupit, quosque idcirco jubet cogere atque facere, quod mandat. Hanc esse opinionem Judæorum tradit *Hieronymus,* cui ipse etiam calculum adjicit. Eidem quoque favere *R. Salomonem,* manifesto apparet ex eo, quod enucleet hæc verba *præparate bellum,* אם תוכלון להלחם בגברי *si possitis pugnare adversus me.* In contrarium aliquatenus eunt, qui eos significari hic censent, quibus provinciam daturus est ultionem sumendi de hostibus suis & populi sui. Cujus sententiæ fautores suo tempore fuisse notat *Hieronymus,* qui statuebant, *hæc sanctis gentibus prædicari ut præparentur ad bellum & pro populo Dei dimicent.*

 Eadem

k) Tirin. Grot. *l)* Lyra. Pet. a Fig. *m)* Calv.

Eadem videtur olim fuiſſe mens *Cyrillo*, qui hæc verba dirigi putat *ἐπὶ τὺς ἰδίυς προσκυνητὰς*, *ad proprios ſuos adoratores*, ut certos eos reddat *ὅτι καὶ τῶν ἐχθρῶν ἀμείνοι ἔσονται αὐτῦ προασπίζοντος*, *ipſos fore potiores hoſtibus ſuis, ſe protegente.* Nec ab ea ſententia admodum abhorrent quidam recentiores interpretes, qui his verbis idem indicari volunt, ac ſi DEus velit *n) colligere ſuos exercitus, & inſtruere ſuas copias, ut pœnas ſumat de hoſtibus eccleſiæ ſuæ*, ac oſtendat, *o)* quantæ vires, qualis exercitus & quanta potentia ſibi ſint in promtu, quas in auxilium Eccleſiæ vocet ejusque inimicos deſtruat eo ipſo tempore, quo ſibi complacitum ſit. De tempore autem non invenio ab illis in ſpecie quid eſſe notatum.

Hanc duplicem explicandi viam cum monſtret *S. Hieronymus*, in eo totus eſt, ut præferat priorem, qua in re etiam multi *p)* alii cum eo faciunt, nec eſt, mea ipſius ſententia, improbanda, quippe ſatis concinna videtur verbisque inſigniter reſpondens. Ea erat etiam, eodem obſervante, ſententia Judæorum ſuo tempore, vel ante ejus ætatem, quos inter etiam recenſendus eſt aliquatenus *Abarbinel*, quamvis quoad totum horum verborum ſenſum ſingularem videatur tueri ſententiam, quam ut nemo unquam, quod ſciam, probavit aut ſecutus eſt, ita nulla eſt ratio in ea ſita, quare nos in opinionem ſuam adducat. Quæ cum ita ſit, operæ pretium fore arbitror, eam rudi quaſi penicillo adumbrare, ut integrum ſit penes lectorem de ea judicium. Concedit quidem, hæc verba exponi poſſe de bello, ad quod ſuſcipiendum DEus ſuſcitabit animos filiorum *Edomi* & *Iſmaelis*, (qui ex mente & lingua ejus ſunt Chriſtiani & Mahumedani) ut intrent vel invadant terram ſanctam, ibique alii in alios irruant, donec ſe ipſos deſtruxerint omnes; verum extra dubitationis aleam eſſe putat, Prophetam hic notare reſurrectionem mortuorum dicendo *v. 9.* העירו הגבורים *ſuſcitate fortes*, & *v. 12.* יעורו ויעלו הגוים *excicentur gentes & aſcendant*; uſurpando vocem *excitare*, & *verſ. 14.* המנים בעמק החרוץ *multitudines in valle deciſionis.* Ex his loquendi

n) Calvin. *o)* Danæus. *p)* Mercer. Riber. Pet. a Fig. Chriſt. a Caſtro. Jun. Tremell. Piſcator, &c.

di formulis concludit, mentem Prophetæ esse hanc, quod qui in terra dormiunt, sint excitandi & resurrecturi ex mortuis, atque eorum quidam inprimis tum ex filiis *Israelis*, ut interitum ac cladem eorum videant, qui eos persecuti erant; tum ex aliis gentibus, v. g. *Sennacherib, Nebucadnezar, Titus*, aliique horum similes hostes, ut una plectantur cum semine suo ac videant ruinam ac cladem regionum suarum, id quod his verbis significari arbitratur: *Proclamate hoc inter gentes, præparate bellum* &c. non autem, ut *R. Salomo* explicat *τὸ præparate bellum*, quod juxta eum valet, *si possitis pugnare adversus me*. Neque eorum sententiæ locum dat, qui de illis exponunt, qui adversus *Jehosaphat* pugnabant, prout eam citat *Aben-Ezra* ex quodam *R. Mos. Mordecai*, sed ad illud bellum refert, quod futurum est באחרית הימים *ultimis diebus*, de quo loquitur dicens: *Proclamate hoc inter gentes & omnes sese præparent ad bellum.* Quamvis enim hoc inter gentes fuerit notissimum; tamen effugiendi ejus nullus erit locus, quippe certa sunt ac vera nullo non tempore, quæ DEus locutus est. Quando quidem etiam multi Reges ac Principes, qui gravissime Israelem afflixerant in eorum destructione & exilio, magna auctoritate & honore summo adhuc constituti decesserant, ad illos pertinere autumat quod dicitur: *suscitate fortes*, quasi dicat, expergiscimini, expergiscimini ex somno mortis, accedite & ascendite. Congregabuntur enim ibi omnis generis gentes ad bellum gerendum atq; cum cæteris etiam, qui habitant in pulvere terræ, eo reducentur. Quod autem non omnes in vitam sint reducendi, sed reges duntaxat & terræ dominatores, viri fortes, qui olim contra *Israelem* pugnabant, ex his verbis apparere asserit: אנשי מלחמה *anshe milchamah, viri bellatores*, i. e. qui bellum gerebant cum DEO & populo suo, eodem modo quo populus ferox vocatur *Anshe milchamah (Deut. 2, 14.)* quia adversus DEum bellum gerebat verboque ejus fidem nullam habebat. Eos vero, qui ex mortuis resurgent & in vallem *Jehosaphat* venient (*v. 12.*) statuit resurrecturos & venturos לא להלחם *non ad pugnandum*, sed ad videndum quomodo DEus sedeat ad judicandum gentes de circuitu, & ad spectandum judicium & vindictam, quam hic de iis sit sumturus. Quod ut aliquatenus daret comprobatum, duas

duas juxta quosdam ex ſapientibus illorum ſtatuit reſurrectiones ex mortuis, quarum prior ſpectabit *reliquum illud quod DEus vocabit (c.2,32.) tempore redemtionis*, nimirum ex יחידים מבני ישראל *electione peculiares* filiorum *Iſraelis*, uti & peculiares ex gentilibus, qui gravibus afflixerunt *Iſraelem* malis,quorum reſurrectio præcedet, ut videant tunc temporis ſuam ruinam,quæ reſurrectio non niſi in terra ſancta futura ſit atque in valle *Jehoſaphat*,de quibus Prophetiam edere putat *Jeſaiam c.66,24.* his verbis: *Et egreſſi videbunt cadavera hominum illorum qui defecerunt a me.* Alteram exiſtimant hanc eſſe ſecuturam eamque fore magis generalem omnium juſtorum *Iſraelitarum*,qui omni ævo fuerunt,ut & multarum aliarum gentium, quæ erant ingenui fideles, quos reſurrecturos eſſe putat in omnibus habitabilibus mundi partibus, ejusque diverſis regionibus,ut veritatem DEI & legis in orbe promulgent omnesque homines eo usque diſponant,ut uno ore invocent nomen DEI ac unanimi conſenſu eum colant. Atque hæc eſt ſententia, quam in verbis Prophetæ latitare ſerio ſibi perſuadet, quam recenſendo tot fanaticis ac pertricoſis rebus ex ſuo cerebro enatis conſpurcat,ut haud immerito ſuſpicer numerum aſſentientium ei in hac re fore admodum exiguum. Id quod ipſe aliquatenus ſenſiſſe dicendus eſt, cum,ſi cui hæc verba de reſurrectione accipere non allubeat, velit, ut excitationis loco ea habeat ad aſcendendum ad hoc bellum gerendum quod tunc fiet. At non eſt corripiendus eo quod ad reſurrectionis tempus ex mortuis ea referat, ſed propter ſenſum, quem illis affingit. Quod ſi in idem tempus incidant cum judicio extremo, uti nos ea accipimus,vero ſimillima mihi videtur diverſarum opinionum, quas adduximus,interpretatio, quam præfert doctiſſimus *Livel.* quippe quæ omnium maxime exprimit confuſionem, cui eo tempore omnes gentes erunt nimium quantum implicitæ.

Hiſce diſcrepantibus interpretum opinionibus quoad ſcopum horum verborum in genere præmiſſis,id operis mihi cumprimis reſtare video, ut quorundam in ſpecie tradam literalem ſenſum, quo magis magisque obviam fiat benigno lectori, quomodo huic vel alteri allatarum ſententiarum poſſint applicari.

Præpa-

Præparate bellum] Ita noſtrates in Textu; at in margine *ſanctificate*, innuentes eam verbum hebraicum *t)* קדשו *Kaddeſchu* proprie habere ſignificationem. Quod ut inficias ire nemo poteſt; ita non minus verum eſt, illud interdum uſurpari pro, *ſe præparare ſolenni ratione ad aliquid*, quod, cum homines ad id faciendum ſumma religione ſint obligati, nequaquam negligi aut violari poteſt; hinc *præparandi* voce ſatis apte reddi & hic & alibi non tantum Judæi, ſed Chriſtiani quoque cenſuere. Quocirca *Chaldæus* זמינו עבדי קרבא *præparate bellatores*, & *Aben-Ezra* הכינו, *Kimchi* הזמינו *præparate*. MS. Arab. استعدوا للحرب *præparate vos ipſos*, vel eſtote præparati, ſive accincti ad bellum, ut & *R. Tanchum*, qui reddit אערו אלחרב اعدوا الحرب *præparate bellum* (vel ad bellum) & exponit استعدوا له *eſtote parati, vel præparate vos ipſos ad illud*. Unde facile colligendum eſt, quid ſibi velint & LXX. (& quæ eos ſequitur Arabica impreſſa) & Syrus & Vulgatus cum quibusdam recentioribus, quando interpretantur, *ſanctificate bellum*, videlicet, ut omnibus viribus & tanquam fœdere ſanctiſſimo obſtricti in id incumberent, vel propterea ſe præpararent, tanquam ſacram rem celebraturi, quæ ſolemnem *u)* requirit παρασκευήν. Hunc in finem inquit, *ſuſcitate fortes viros* &c. העירו *Hairu*, *ſuſcitate* (a radice עור *Ur*, ſuſcitavit). Eadem vox extat *v.* 7. alio tamen tempore מעירם *Meiram*, noſtratibus reddita, *ſuſcitabo eos*. Manifeſtum eſt, hac conjugatione ſignificare *aliquem excitare* vel ex ſomno vel ex mortuis; vel concitare ad aliquid ſtrenue obeundum; qua vero notione hic ſit accipiendum, ex ſequentium verborum argumento videre licet, quibus eſt conjuncta, & ex ſenſu loci, quo hæc referuntur. Etenim qui per *viros fortes* vel *viros belli* intelligunt eos, qui aliquando vixerunt, mortui autem in terra quieſcunt, id putant referendum ad reſurrectionem eorum ex ſomno mortis ad vitam, quæ eſt ſententia *w) Abarbinelis*. Qui vero per eos intelligunt, qui tunc temporis adhuc in vivis erunt, eosdem hic cenſent incitari ad proſequendum animo forti ac ſtrenuo, quod hic illis,

 ad

t) Did. c. 1. 14. u) Grot. w) Qui proprie hoc verbum videtur intelligere de reſurrectione mortuorum ad vitam, ut & Ribera.

ad quoscunque demum referas, injungitur negotium ſcilicet apparandi belli, *deſcendendi* ac *aſcendendi*, i. e. ſimul comparendi in conſpectu Dei eo loco, qui ad id ab eo eſt conſtitutus. *Chaldæus ſuſcitare* hic tantundem valere arbitratur atque palam venire, cum reddat ייתון בגלי *yetun bigli*, *veniant publice*, quo pacto etiam interpretatur הנני מעירם *v. 7. Ecce ego adducam eos publice.* Sunt qui *x)* per יעלו *yaalu*, *aſcendant*, alludi volunt ad ſituationem *Judææ* vel *Hieroſolymæ*, quo illi jubentur aſcendere; quippe altioris habentur ſitus cæteris extra eam regionibus. Verum equidem eſt verbum יעלו (ab עלה) proprie denotare *aſcendere*; at ut tam ſtricte ſemper ſumatur, ut altitudo iſtius loci, quo vocantur, denotetur, neceſſarium haudquaquam duco. Forſan hujusmodi *y)* altitudinis locus, quorſum jubentur aſcendere, hic innuitur, quamvis non præciſe ſit *Judæa* vel *Hieroſolyma*. Verum neceſſe non eſt, ut vi hujus verbi tale quid eliciatur, cum largiori ſenſu venire videatur, eodemque, quo præcedens verbum יגשו, *deſcendant*, nempe *z) veniant*, ut nonnullis placet, quæ notio confirmari ac illuſtrari poteſt ex ſimili uſu cujusdam vocis, quæ eandem habet ſignificationem in lingua Arabica. Ea autem eſt تعال (ab علا *ala*) quæ quidem ſignificationis vi, qua pollet ejus radix, proprie denotat, *aſcendere*, atque revera idem notat; communi tamen uſu amplius nihil ſignificat, quam *a) Adesdum*, nulla vel altitudinis vel demiſſionis loci, unde vel quo quis vocatur, habita ratione. Clarum igitur eſt, his verbis populum incitari, ut omni, qua potis eſt, ope ſe præparet ad bellum, quod jubetur ſuſcipere, id quod etiam emphaticis fit atque continuatur expreſſionibus in verbis ſequentibus, veluti *v. 10. Concidite ligones veſtros in gladios & falces veſtras in lanceas; dicat debilis, fortis ſum.* Quaſi omnia, quorum curam gerebant, eo dirigi deberent rerumque nullarum ſatagerent amplius, neque earum, quæ ſpectarent ad uſum vitæ neceſſarium, ut ſunt agri, vini, arborumque fructiferarum cultura (quod non obſcure innuitur hoc mandato, quo jubentur ligones & falces, quæ neceſſaria ad

x) Jun. Trem. *y)* Ut ſunt nubes, vel aer, ſi accipiatur de reſurrectione vel die judicii, uti 1. Theſſ. 4, 17. *z)* Druſ. Caſt. *proficiſcatur.* *a)* Verſ. 11. redditur vox בֹּאוּ in MS. Arab.

ad ea ſunt inſtrumenta, concidere in gladios & lanceas) imo ne illarum quidem, quæ ad corporis ſalutem pertinerent, aut quibus infirmitatibus ſuis conſulerent, non obſtante imbecillitate, cui eſſent obnoxii. Atque his manifeſto declarat illius temporis extraordinarium tumultum bellique magnitudinem ac gravitatem, qua non licitum foret ea curare, quibus homines plerumque ſubſiſtunt, quæque idcirco omnium curantur ac habentur primo loco. Quorum verborum hanc eſſe mentem, ex contraria loquendi forma dilucide patet, qua pacis atque ſecuritatis notantur tempora: *Concident ſuos gladios in ligones & ſalces in lanceas*, *Eſa. 2, 4.* & *Mich. 4, 3.* quam deſcriptionem habet pacis *b) Kimchi*, quæ bellum, de quo hic ſermo eſt, ſequetur. Quod ad reliqua verba, *dicat debilis, fortis ſum*, id eſt, in prima acie eum ſtatuite nulla ejus imbecillitatis ac impotentiæ ratione habita, eodem tendere patet; quandoquidem uſu compertum eſt, infirmos imbecillibus ſuis corporibus parcere, nec ſe ipſos temere ingerere rebus periculo plenis, ut ſunt bella & hujus generis alia. Unde non eſt, ut excuſationis loco hoc putemus adjici, ſed fortes ſe gerere debebant, omneſque nervos intendere, ad rite obeundum, quod hic illis injungitur, negotium. Distrahuntur hic quoque interpretes in verbis quibuſdam vertendis, quorum, inſuper habitis cæteris minoris momenti, hoc unum notatu dignum cenſemus, quod אתים *ittim*, (in אתיכם *ittechem*) a quibuſdam reddatur *c) aratra*, ab aliis *vomeres* (veluti a Syro ܦܠܚܐ ܕܦܕܢܐ) ab aliis *d) ligones*, ab aliis *e) Bidentes*, vel alia voce denotante hujuſmodi inſtrumentum ferreum *f)* שחופרים בהם *quibus terram effodiunt*. Pari ratione redditur מזמרותיכם *Mizmoretechem*, a noſtr. in textu alia voce; alia in margine. Quarum utraque *falcem* ſignificante, in eundem conſpirare finem, apparet, quippe nihil aliud illis innuitur, quam tantam ferri vim opus fore ad cudenda arma bellica, ut quæ antea hujus metalli in alium uſum ceſſerant, ad hunc neceſſario jam forent convertenda.

v. 11. Congregate vos ipſos & venite omnes gentes &c.) עושו, *congregate*

b) Quem Druſius in eo ſequitur. *c)* LXX. Vulg. *d)* Interlin. *e)* Pagn. *f)* Kimchi.

gate vos. Vox est لفظة مفردة ἅπαξ λεγομένη, nullibi in S. literis usitata eoque intelligenda, (ut *R. Tanchum* ait) بحسب مجاورة الكلام *prout conveniens erit textui*, vel connexioni verborum, quibus in sententia est juncta, quare juxta *g)* hanc regulam denotare eam censet الانحباش والاجتماع *congregari & colligi.* Qua notione a *h)* nonnullis interpretibus & veteribus & recentioribus accipitur, quos nostrates etiam in eo sequuntur. Ex ejus deflexione descendit juxta *Aben-Ezra* & *Kimchi* aliosque nomen septem stellarum עיש aish, sive *Arcturus Job. 31, 32.* quatenus simul apparent quasi nodatæ. Alii, inquit, *i)* eandem arbitrantur esse vocem cum חושו, quæ notat, *festinare* (mutatis invicem literis gutturalibus ח & ע) qua ratione eam sumit *R. Salomo*, *k)* nonnullis ex Christianis approbantibus. Vulgatus habet, *erumpite*, quod primam videtur includere significationem. *Ribera* exponit illud in hunc modum: *Prodite magno cum impetu ex omnibus urbibus vestris & congregamini.* Hinc non est, ut, omnibus fere consentientibus ab expositione secedamus, qua nostrat. reddunt, *congrègate vos.* Quæ sequuntur frequentiora sunt, significationisque magis tritæ nostratibus reddita: *Et venite omnes gentes & congregate vos de circuitu.* Qui textum hebraicum intuiti fuerint accuratius, dubio procul observaturi sunt, verbum נקבצו, *Nikbatzu congregamini ipsi*, *l)* formæ esse juxta Grammaticam minus usitatæ, quippe sensu exigente imperativo modo deberet esse, qui juxta *m)* formam regularem foret הקבצו *Hikkabetzu*, uti non uno in loco occurrit; Quod quidem exemplum solum hic extare autumat *R. Tanchum*; verum *n)* ab aliis huc quoque refertur נלוו *Nilvu*, *Jer. 50, 5.* pro *Nillavu*, *conjungimini*, quanquam secus videtur quibusdam, qui præterito tempore ac propria sumunt forma, quemadmodum & nostrates locum *Jeremiæ* ita exponunt, etsi imperativo modo reddunt, ut ex eo apparet, quod in prima persona nume-

---

g) MS. Arab. habet אתלמו (quod fortasse debet esse אלתמו.) *h)* Chald. LXX. Syr. Arab. impgeff. *i)* Vid. notas in MS. Arab. Vers. *k)* Tig. Livel. *l)* Vid. Tanch. *m)* In Niph. a קבץ Kabats. *n)* Vid. Buxtorf. Gram. l. 1. c. 14. &c. c. 50. in notis ad Imperativ.

numeri pluralis ponant. Verba hujus verſus videntur complecti *o)* partem ejus,quod DEus jubet proclamari inter *Gentes,* licet a *p)* quibusdam habeantur pro verbis Prophetæ; verum planiora multo videntur ratione prædicta ſumta, quibus *q)* Prophetæ verba ſubjunguntur optantis,vel deſiderantis id ipſum,quod DEus fieri volebat,nimirum ut congregarentur vel ut faceret congregari omnes gentes atque inde hæc tantum ejus cenſeri poſſunt, quæ ſequuntur: *Eo fac deſcendere tuos fortes, Domine.* In quibus reddendis ac exponendis multum rurſus diſſident interſe Interpretes. Optima vero interpretandi ratio eaque omnium planiſſima mihi videtur,quam noſtrat. ſequuntur in textu,quo הַנְחַת *Hanchath,*habent pro imperativo conjugationis *Hiphil,* a נחת *Nachath, r) deſcendit,* quod notat lingua hebraica interdum, at ſæpius multo *Chaldaica.* Hac notione uſurpant illud MS. Arab. *Aben-Ezra* & *Kimchi,*nec non recentiorum quidam. Aliis eadem forma eademque radice ſignificat *confringere:* quam ſignificationem & antiquus Grammaticus *Abu-Walid* & *R. Tanchum,* qui habet *frangere* (ad imitationem Paraphraſtæ Chaldæi) præferre videtur, mentionem faciendo prioris, præterquam quod eam improbet. *R. Salomo* adeo indifferentem eam habet, ut neſciat, quam cui præferat. Etenim multi ſunt revera iique viri auctoritatis haud contemnendæ, qui pro poſteriori militant,interque eos *Chaldæus* Paraphraſtes & *Syrus,* quorum uterque reddit per תבר quæ ſignificat *confringere.* Quo referenda eſt etiam verſio *Vulgati* Lat. *occumbere faciet,*Duacenſ. interpretantibus,*there will the Lord make all thy ſtrong ones to be ſlaine*: Quod tamen ad alteram ſignificationem etiam referri poteſt. Præter differentiam,quam notavimus in ſignificatione hujus verbi,alia adhuc eſt,qua diſſident,quanam forma hic præcipue ſit ſumendum,cum illud non reddant per ſecundam perſonam imperativi modi, ſed per tertiam futuri temporis indicativi: *Dominus confringet* &c. Videntur illud accepiſſe pro *s)* infinitivo, qui deinde futuri loco habetur,quam conſtruendi rationem verbis inſigniter reſpondere noſtrates innuunt,cum in margine ſcribant, *ſive, Dominus deſcendet:* Et Anglicana ex Genevenſi

o) Vide ſis Piſcat. *p)* Druſ. ad fin. v, 10. *q)* Aben-Ezra. *r)* Kimchi. *s)* Merc. Glaſſ. Gram. p. 361.

concinnata, *then ſhall the Lord caſt. down the mighty men ;* atque in eundem modum noſtra Biblia Anglicana antiquiora. Quod ad nomen attinet, quod ab hoc verbo regitur, ſicut pro notione ſua diverſa diverſo ſenſu ſumitur, ita & diverſa ratione elicitur, quid intelligendum ſit per גבוריך noſtrat. *fortes tuos.* In quæſtionem equidem non venit, quod vox גבורים ſignificet *fortes* ſive *potentes ;* at in eo cardo quæſtionis vertitur, quinam per eos ſint intelligendi in diverſum abeuntibus, quotquot verbo vel hanc vel illam affricant notionem. Qui verbum exponunt per *facere deſcendere,* ſanctos angelos Dei autumant innui per fortes, ut volunt *Aben-Ezra* & *Kimchi*: הם המלאכים *ſunt Angeli.* Quam in ſententiam etiam *Abu Walid* & *R. Tanchum* ait, ſi verbum accipiatur notione faciendi deſcendere, per גבוריך *Gibboreca tuos fortes* intelligendi ſunt للايكة *Angeli,* qui hoc titulo inſigniuntur *Pſal. 103, 20.* quod ſint גבורי כח *Gibbore Coach, potentes fortitudine :* Ita ut verborum ſenſus atque Prophetæ deſiderium eo redeat: *t*) لهم انزل علينا بـــهـــا ملايكتنك وجبادرتك لغوثنا ونصرنا *u*) *o Deus, fac deſcendere eo* (i. e. in eum locum, quo congregabuntur gentes) *Angelos tuos & fortes tuos in noſtrum ſubſidium & auxilium ;* quibus nos adjicere poſſemus, *ut deſtruant hoſtes illos qui illuc jubentur congregari ;* quippe ad utrumque ſunt a DEO conſtituti hi fortes, & ad populum ejus defendendum, & ad inimicos illorum deſtruendos. Populi ſui curam demandat Angelis ſuis in omnibus eorum viis, *Pſal. 91, 11.* Quo pacto autem illorum miniſterio utatur ad hoſtes illorum deſtruendum, ex eo apparet, quod extat *2. Reg. 19, 13.* ubi Angelus Domini exibat ac percutiebat in caſtris Aſſyriorum centum & octoginta quinque millia. Itaque multi etiam ſunt interpretum *w*) Chriſtianorum, qui cum Judæis prædictis hanc vocem ita exponunt, ut concordet cum notione *faciendi deſcendere*, quam tribuerunt verbo. At ſi altera ſignificatione *frangendi* vel *confringendi* vel *dejiciendi* ſumatur, non quadrabit huic loco hæc notio nominis; ſed tales tunc ſunt per fortes intelligendi,

t) Abu VValid in נחת. *u*) Vel ut R. Tanch. ملايكتنك الجبابرة tuos fortes angelos. *w*) Merc. Tarnov. Diodat.

gendi, qui elate ſentientes de potentia ac fortitudine ſua, ſuperbe ac arroganter ſe efferunt atque Deo & populo ejus ſeſe opponunt: hinc *R. Tanchum* hæc ita exponit يريد בגבוריך لتجبرين عليك *intelligit per Gibboreca* fortes & potentes tuos, *eos qui arroganter ſe ipſos efferunt adverſus te,* (illos, qui vocantur tui, i. e. DEI, non quod eſſent *pro*, ſed *contra* eum). Quo ſenſu manifeſtum etiam eſt accipere Chaldæum, tum quod verbum reddat ſignificatione *confringendi,* tum quod perſonam mutet in affixum ſive pronomen reddendo, robur fortium *eorum,* i. e. hoſtium congregatorum: nec latum unguem neceſſe eſt ab ea ſententia diſcedant, *x)* quotquot hoc vel ſimili ſenſu accipiunt verbum. Atque tunc particula שמה *Shammah* non eſt reddenda *eo;* ſed, *y) ibi* vel *z) tunc.* Quæ expoſitiones, quamvis inter ſe nimium quantum videantur diverſæ, tamen tam egregie conveniunt verbis uſitatis ſignificationibus acceptis, ut & eruditiſſimis videamus interpretibus aquam hærere, quam earum inprimis eligant, &, ſi verum fateri volumus, non poteſt alia adſtrui, quin altera ſubintelligatur. Si ſtatuatur, Deum eſſe miſſurum vel facturum, ut eo deſcendant ejus fortes, i. e. Angeli ejus, neceſſario ſubintelligendum eſſe nemini non patet, ut confringant robur vel ſupprimant fortes inimicos ibi vel tum congregatos adverſus populum ejus. Rurſus ſi ſtatuatur, Deum velle confringere hoſtes eorum fortes, facillimo negotio intelligi poteſt, ſe id facturum eſſe opera inſtrumentorum ſuorum virtute multo præſtantiorum, i. e. Angelorum ſuorum, qui uti in his, ita & in aliis ejus voluntatem faciunt. Adeo ut utrobique nihil ſit, quod non conciliari poſſit ſive inter ſe, ſive cum textu Originali, cujus hæ ſunt interpretationes verumque ejus ſenſum tenentur exprimere, qui verbis reſpondeat, quibus continetur. Verum ſi oculos noſtros convertamus ad LXX, nec cum harum alterutra, quas inſpeximus, nec cum Textu Originali convenire eos reperimus, quippe qui reddunt πραῢς ἔςω μαχατής (vel uti alia exemplaria, πολεμιςής) *mitis ſit pugnator ſive bellator;* quod cum nequaquam textui hebraico congruat, in opinionem adduxit *a)* quoſdam eos olim aliter legiſſe,

x) Hieron. Munſt. Caſtal, &c. *y)* Munſt. Tig. *z)* Druſ. Tarnov. *a)* Druſ. Cap. 18.

giſſe, quam hodie, nempe הנחת יהיה גבור *Hannachat yihyeh gibbor*, loco *Jehovah*, Gibboreca, atque accepiſſe *hannachat* ſignificatione נוח *Nuach* vel *Nach*, *requievit*, immutata lectione vocis ſecundæ ac prætermiſſa in ultima tum numeri pluralis nota, tum pronomine affixo: At perquam difficile eſt captu, tantam legendi diverſitatem in textu Hebraico locum habere. Illorum verſio videtur magis eſſe repetita explicatio ultimi hemiſtichii præcedentis verſus, *dicat debilis, fortis ſum*, quam propriæ translationis horum verborum. Sequitur eos rurſus Arabica impreſſa الوديع يكون مجبرا *qui manſuetus eſt, bellator eſto.* Nec ſatis liquet, cur adeo diverſe legerint Græci interpretes. Id tamen certum habemus, nihil quicquam exinde poſſe colligi contra Hebraicæ lectionis & antiquitatem & veritatem, cum omnia exemplaria inſigniter concordent. Quare ſi ſuſpicioni ullus detur locus, ratio differentiæ potius quærenda eſt in diverſis exemplaribus verſionis illorum, ſi inveniri poſſint.

12. Excitentur Gentes & aſcendant ad vallem Joſaphat: Nam ibi ſedebo ad judicandum omnes Gentes de circuitu.

Videntur hæc verba reſponſionis loco iis ſubjungi, quæ Propheta petierat vel deſideraverat in verbis præcedentibus, quibus declarat ſe certiſſime in effectum eſſe deducturum, quod antea juſſerat proclamari, quodque tanto deſiderio a Propheta exigebatur, addendo, quo modo & quo loco id ſit futurum, nimirum, curando ut congregarentur omnes gentes in eum locum, quem conſtituiſſet, ad eas judicandum. יעורו yauru, *Excitentur*. Eandem vocem, quamvis abſimili forma, habuimus *v. 7.* ubi inquit הנני מעירם Hinneni meiram, noſtratibus, *Ecce ego ſuſcitabo eos*, ut & *v. 9.* העירו הגבורים *Hairu hagibborim*, *ſuſcitate fortes*, ad quæ loca tantum notavimus, quantum judicavimus opus. Jubet ibi, ut excitent alios; hoc loco autem ut ſe ipſos excitent ac ſurgant. Verba hæc imperativo modo reddita, *Excitentur, aſcendant*, futuri temporis ſunt, eoque non minus apte reddi

reddi possunt, quam imperativo, *b) Excitabuntur, ascendent*, sensusque etiam magis erit obvius atque præcedentibus egregie respondens, ubi DEUS in mandatis dat legatis suis, ut *proclament* bellum, ac porro agant, quæ illis agenda imponuntur, Prophetaque flagitat, ut ea velit esse futura; quasi his affirmare velit se id certissime daturum esse effectum. *Gentes* (sive nationes) *suscitabuntur*. Verbum יעירו *yauru*, potest applicari iis, qui vel ex somno evigilant, vel ex mortuis resurgunt, vel alio modo se suscitant & suscitantur. Hinc futuro tempore *c)* nonnulli hæc verba interpretantur, *excitabuntur*, & *ascendent*: quamvis generalior est eorum interpretatio, qui imperativo ea reddunt veluti nostrates, *Excitentur* &c. Pari modo leguntur etiam futuro tempore apud *d)* Chaldæum ייתון בגלי *Venient aperte* &c. quare ex LXX & Vulgato Latino infert *Ribera* reddens ea imperativo modo, *imperativum pro futuro poni*; at nullius momenti est hæc annotatio, cum Chaldæus cum cæteris Orientalibus, Syris & Arab. alio modo imperativi tertiam personam exprimere nequeant quam futuro tempore, non secus atque Hebræi, ita ut ex sensu ac scopo hujus loci judicandum sit, qua forma & a quibusnam hæc verba optime reddantur. Eodem autem redibit, utro hic exprimantur modo. Ubi enim Deus, cujus propositum inhiberi ac eludi nequit, aliquid fieri jubet aut futurum dicit, id solum certissimum est indicium, certissime ita esse futurum. *Et ascendant* (vel, *ascendent ad vallem Josaphat*) *v. 2.* dixerat, & faciam *eos descendere in vallem Josaphat*, quia magis proprie dicitur *descendere*, eo quod potius in vallem homines descendant, quam ascendant. Quod quidam ita solvunt, ut respectum haberi dicant ad situationem altiorem *Hierosolymæ* vel regionis, quo descendentes ibant per hanc vallem sive *e)* versus eam: At non video huic opinioni aliquid certi inesse, plus veritatis habere arbitramur, quod ante notavimus ad *v. 9.* de voce יעלו *yaulu*, eam quidem stricte ac proprie denotare *ascendere*, nonnunquam tamen nihilominus sumi pro *aliquo venire*, quo quis est vocatus respectu nullo habito situationis loci, sive sit altior, sive depressior, ita ut ne-

Ss quaquam

b) Excitabunt & ascendent, Drus. *c)* Jun. Trem. Pisc. *d)* Ut & apud Syr. & Arab. *e)* Drus.

quaquam opus ſit ſalvandæ ſignificationi ſtrictiori hæc ad eos (cum *Grotio*) referre, *qui in ſubterraneis carceribus tenentur;* qui hic vocantur gentes, vel nationes indefinite atque ita in genere. Unde, præterquam quod eſſent venturi in conſpectum altiſſimi DEI, optime dici poſſint aſcenſuri, quo demum cunque loco id fiet. Locus, quo jubentur aſcendere, vocatur *vallis Joſaphat,* ut & ſupra *v. 2.* nec alio alicubi venit nomine in Sacris literis. Quid interpretibus de ea videatur, quamque variæ eorum & diſcrepantes ſint ſententiæ, ad illum verſum notavimus, quod ſufficiens fore remur. Illud tantum addendum hic vel potius repetendum eſt, vallem *Joſaphat* quidem primo pleriſque adſtipulantibus eſſe nomen proprium, eum inprimis denotans locum, ubi DEus graviſſima ſua exercebat judicia in hoſtes *Judæ* tempore *Joſaphat* (qui DEum *f)* precabatur ut eos judicaret, quia & in ſe & in populo ſuo nullam animadvertebat vim eis obſiſtendi, quod cum audiret DEus eorumque hoſtes deſtrueret, locum illum, ubi id factum erat, vocabat vallem *Beracha,* quia benedicebant ibi Domino) *ob exertum* autem *DEI judicium,* ut ait *Mercerus, in eo loco, in generale evaſiſſe vocabulum g)* cuique loco commune, ubi pari modo potentiam ſuam exſerturus eſt ad Eccleſiam ſuam atque populum vindicandum in ſuos atque illorum hoſtes, in mentem illis hiſce revocans illud, quod tunc temporis actum eſt, atque certos reddens, ſe adhuc poſſe ac velle eodem modo pro illis agere neceſſitate id exigente. Atque ex eo fit, ut ab aliis, quod ſupra diximus, & ad locum & ad tempus relatum ſit, ubi & quando DEus exercuit vel exercebit ullum grave judicium in hoſtes eccleſiæ ſuæ in conſpectu, juxta ac in gratiam ejus. *Grotius* id applicat ad deſtructionem Perſarum per Græcos, quos horum judiciorum ſtatuit executo-

---

f) 2. Paral. 20, 12. *g)* Verſ. MS. Arabica a Judæo quodam concinnata reddit hoc loco مرج المحاكمة vallis vocandi ad judicium, licet v. 2. proprium nomen retineat مرج يهوشفط vallis Jehoſaphat eoque loco notet hanc vallem diverſis inſigniri nominibus, utpote quæ diceretur 1. עמק החרוץ. 2. עמק רפאים. 3. עמק המלך. 4. גיא ההרגה. 5. גיא בן הנם.
1. Vallis deciſionis. 2. Vallis Rephaim ſive Gigantum. 3. Vallis Regis (Gen. 14, 17.) 4. Vallis cædis. 5. Vallis filii Hinnom, Jer. 19, 6.

cutores. Poteſt quidem pariter referri ad eum locum, ubi DEus colliget omnes die extremi generalis judicii, quo non pauci in ſpecie reſpici putant; verum non eſt, ut exinde cum quibusdam colligamus, vallem *Joſaphat* proprie ita dictam, ſpecialem illum locum eſſe futurum, ubi congregabuntur in univerſum omnes gentes illo die, ex rationibus ſupra memoratis; ſed potius eos certos DEum reddere voluerit, ſe tempore conſtituto effectum daturum, ut omnes aſcendant ad id, quod ab eo, quod ibi futurum ſit, hoc nomine vocari poſſit. Ad judicium enim DEI hæc reſpici, ex eo apparet quod adjicitur: *Nam ibi ſedebo ad judicandum omnes gentes de circuitu.* Niſi id, quocunq; etiam futurum ſit loco, eo nomine antea eſſet inſignitum, certe ob hunc DEI actum, ex illo jam merito ſibi nomen accerſeret. Is autem eſt, quod ibi velit ſedere לשפט *liſhpot ad judicandum. Sedebo*, inquit, non quod DEO proprie poſſit attribui ſedendi vel ſtandi actio, ſed de ſe ipſo loquitur *b) humano more*, vel ea loquendi ratione, qua exprimitur, quod inter eos maxime in uſu eſt, ubi ſedere ſolet judex cauſam cognoſcens ac ſententiam cuique ferens. *Chaldæus* reddit אתגלי *ithgele manifeſtabo me ipſum* לשפט *liſhpot* ad judicandum, quæ vox, cujus prior pars ex parte compoſita eſt, præfert atque comprehendit in ſe nomen DEI. Eadem extat ſupra *v. 2.* alia forma נשפטתי *niſhphatti*, noſtrat. *diſceptabo cum eis.* Complectitur ea dubio procul ejus examen, cauſæ cognitionem atque juxta eam ſententiæ lationem contra perſonas citatas & ad judicium vocatas pro ſuis meritis. Perſonæ vocantur hic כל הגוים מסביב *Omnes gentes* (ſive nationes) *de circuitu*, quod pro diverſa expoſitione vallis *Joſaphat* diverſimode accipitur, a *Grotio*, juxta rationem, quam vidimus, pro *i)* omni vi ſive populo *Aſiæ*, ab aliis aliter. Exactiſſima omnium videtur explicatio, qua id intelligitur de iis, qui colliguntur *k) ex cunctis terræ partibus*, vel omnibus *l)* nationibus congregatis ut judicentur.

Quodſi hæc verba non primario dicta ſint de extremo generali judicio; exprimendi tamen formulæ tales ſunt, ut in mentem id iis

Ss 2 addu-

b) Druſ. & vid. Grot. in v. 2. *i)* Grot. *k)* Calv. *l)* Pet. a Fig. *m)* Quod quibusdam videtur *nimis coacte* Calv. in v. 12.

adducere possent, expectandumque esse tempore a DEO constituto, certo sibi persuaderent. Idem faciunt sequentia verba proximi versus, quibus judicium, quod exerciturus est, jubet exequi per illos, quibus ad ministerium suum constituit, uti

13. Immittite falcem, quia maturuit messis, venite, descendite, quia plenum est torcular, exuberant dolia, nam multa est malitia eorum.

Si quis quærat, quinam sint ii, qui hic notantur, responsum habeat, eosdem esse, qui paulo ante vocabantur *fortes* DEI, secundum versionem verborum *v. 11. Eo fac descendere tuos fortes.* Quod hic jubentur agere ad illud judicium exequendum, quod contra gentes exercebit, metaphoricis continetur terminis ex eo desumtis, quod solent agere agricolæ cum frumento; in quod falcem immittunt maturitatem adeptum; & cum vino, cujus uvas decerpunt ac torcularibus insertas premunt atque calcant, id quod ad homines & hostes relatum nihil aliud denotat, quam eorum ruinam ac plenam destructionem. Quod hic extat, similibus expressionibus illustrari potest, quas non difficile reperire est alibi in Scriptura Sacra. Quod ad primum hujus versus membrum attinet, pari ferme modo legimus apud *Matth. 13, 39.* Christum sermone habito de tempore, quo eradicandi sint impii cum zizaniis ab eo sub tritico collati in agro mundi, dixisse: *Messis est consummatio mundi & messores sunt Angeli,* quos Filius hominis mittet, & colligent e regno illius omnia scandala & omnes facientes iniquitatem, & conjicient illos in fornacem ignis, *v. 41.* & *42.* Ita & *Apoc. 14, 15.* ubi juxta prius hujus versiculi membrum Angelus magna voce ad eum clamabat, qui insidebat nubi: *Immitte falcem tuam & mete, quia venit tibi tempus metendi; nam aruit messis terræ.* Et juxta alterum *v. 18.* ubi itidem Angelus dicitur clamasse ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros vini terræ: nam maturæ sunt ejus uvæ. Et (pergit) *Angelus misit falcem suam in terram, & conjecit id in magnum torcular excandescentiæ DEI.* Ex quibus locis manifestum evadit, de-

metere

metere id מא שאנה אן יחסד ma shanaho an yohſad, cujus *proprii ſive conditio* eſt demeti ſive deſecari, ut interpretatur *R. Tanchum* vocem קציר *Katzeir*, noſtrat. *meſſis*, vel ut habet M.S. Arab. אלמסתחצד quod aptum eſt deſecari vel meti; & calcare ſive premere uvas decerptas & torcularibus ſive doliis injectas, ut calcentur & premantur, aptè admodum uſurpari ad exprimendum & deſcribendum executionem judiciorum Dei in impios ſuos inimicos, quibus ſuccidentur atque ſubigentur juſto ſuo tempore. Quodſi hoc applicatur, quo non pauci ſpecialiter ſpectare id putant, ad magnum & ultimum diem generalis judicii, quod Dominus per miniſtros ſuos Angelos ſanctos executurus eſt, non parum id confirmari liquet a Salvatore, cum apud *Matthæum* expreſſe dicat: *Meſſis eſt conſummatio Mundi, & meſſores ſunt Angeli.* At cum non expreſſe determinetur temporis ſpatium, quo DEus ſedebit ad judicandum omnes gentes de circuitu, & meſſis, alii potius id referunt, uti diximus, ad quandam aliam cladem, quam alio quocunque tempore accepturi ſint hoſtes Dei & eccleſiæ ad internecionem uſque, iis adminiſtrantibus, quibus hoc onus imponet, quando ei tempeſtivum videbitur, id quod his verbis innuit: *Quia maturuit meſſis, torcular eſt plenum*, quibus indicat, quod planius exprimit verbis ſequentibus, *multam eſſe malitiam eorum*, i. e. eam eo usque ſe extendere atque in tantam menſuram excreſcere, ut non amplius eam poſſit ferre; atque adeo maturos eſſe ſatis, qui deſtruantur, quod jam certiſſime ſit futurum, &, quod ſequens verſus complectitur, *dies Domini prope ſit.* Quænam temporis periodus per hunc diem Domini & meſſem maturam intelligenda ſit, cum expreſſe non habeatur, æqua èſt omnibus libertas id ad inſigne quoddam judicium vel deſtructionem applicandi, quod Deus jam jam exercuit contra quandam gentem ſive populos, qui ſe hoſtes præbuerunt populo ipſius atque eum perſecuti ſunt, vel aliquando exerciturus eſt ante finem hujus mundi; verum non poſſunt aliquo commodius trahi quam ad *n)* ultimum diem generalis judicii, quippe tunc latiſſime

 exactiſ-

n) Vide ſis Diodat. in v. 1. & Livel. in v. 9.

exactiſſimeque fiet, quicquid hæc verba comprehendere putaveris. Nec quicquam huic rei obſtat, quod prope dicatur hic dies, cum adeſſe ea dicuntur, quæ a Deo ſunt determinata, utpote quæ tam certo ſunt futura, ac ſi jam eſſent facta. Hominibus quidem id temporis longum videtur; at ſecus ſe res habet in Deo, quippe apud eum unus annus eſt inſtar mille annorum, & mille anni inſtar unius diei (*2. Pet. 3, 8.*) & quod procul abeſt, ei eſt in promtu, quodque futurum, haud ſecus, ac ſi præſens eſſet. Porro his verbis, *meſſis eſt matura*, etiam innuit, Deum quidem tardum eſſe in exigendis rationibus, nec eo ipſo momento exſequi judicium adverſus ſuos ac eccleſiæ ſuæ hoſtes, quod videntur mereri; verum non eſſe ſegnem veluti homines, aut earum rerum ſocordem, quæ in terris contingunt, ſed conſtituiſſe certum quoddam temporis ſpatium omnibus judicandis, prout pœnam vel mercedem meriti fuerint, quo adventante ita ſe geret, ut utrumque omni luce futurum ſit clarius illuſtriusve. Devoverat Deus *Emoraeos* & incolas *Canaan*, quos exitio traderet propter iniquitatem eorum magnam, *Abrahamoque* & ejus ſemini promiſerat eorum regionem in poſſeſſionem; attamen multos annos diſtulit hoc judicium in eos ad quartam usque generationem, idque ob hanc cumprimis rationem; *Quia nondum completa eſt iniquitas Emoraeorum, Gen. 15, 16.* Nimirum eo usque illis volebat parcere atque reſipiſcentiæ tempus largiri; verum cum perſeverantes in eadem cordis pertinacia ad menſuram illam perveniſſent, nihil certius futurum erat, quam ut eam coerceret, illosque ſummo traderet exitio. Eodem modo eum egiſſe olim cum antiquo mundo *Noachi* tempore res manifeſta eſt, cui non obſtante hominum *impietate*, ob quam ſpiritus ejus non ſemper cum illis diſceptare conſtituerat, centum adhuc & viginti annos concedebat, ut menſuram peccatorum ſuorum implerent, *Gen. 6, 3.* At cum omnem carnem videret corrupiſſe viam ſuam ſuper terram, *finis*, inquit, *univerſæ carnis adventat coram me, quia plena eſt terra violentia ab iſtis; & ecce ego perditurus ſum iſtos cum terra*, *v. 12. 13.* Pari hic eum proceſſurum ratione, cum illis, quos dicit ſe eſſe *judicaturum*, ſat ſuperque

que ipse declarat hujusmodi exprimendi formis, quæ non obscure innuunt, se eo usque indulsisse peccatis eorum, donec ad maturitatem pervenissent, qua ad messem forent apti atque impietatis succo infarcti, haud secus ac maturæ uvæ, quæ liquorem attrahere succo, quo turgent, abundantes desinunt & pressæ dolia implent. Nec dubium est, quin talis maturitas & impietatis excessus in iis, de quibus hic sermo est, notetur hujusmodi verbis, messis *maturuit, plenum* est torcular, *exuberant* dolia. Quippe id planum fit ex sequentibus, quæ omnibus perspicuum reddunt sensum, *nam multa est malitia eorum*, adeo ut jam essent parati ac maturi, qui perderentur, non aliter ac messis matura, quæ meteretur, vel uvæ liquore plenæ, quæ in torcular conjicerentur atque pressæ doliis inderentur, quæ præ nimia ejus liquoris abundantia exundant. Quod attinet ad sensum literalem & significationem horum verborum, non est hic iterum eadem mens interpretibus. Verbum רדו *Redu*, a nostratibus redditum est, *descendite* (quo ipsis convenit fere cum plerisque aliis) ac si esset a ירד *yarad*, quod significat *descendere.* Secus autem sentit *R. Salomo Jarchi*, qui id deducit a radice רדה *radah dominari*, & exponit hic לשון כבישות ורידוי *significatione subjectionis & dominationis*, quo sensu usurpatur *Gen. 1, 28.* ורדו בדגת הים *Et dominamini piscibus maris. Chaldæus* habet רושו *conculcare* (verbo præcedenti באו *venite* reddito per הותו (hutu, *descendite*) quod non procul abest a significatione hac dominationis, quamvis magis videatur congruere calcandi significatio, qua etiam gaudet in lingua Arabica ردى *Rada*, quod notat calcationem duram, veluti *o) calcavit terram ungulis suis equus* &c. Quod idem, sive a ירד *yarad*, sive a רדה *rada* deducatur (ab horum autem alterutro deducendum est) in hebraica lingua eandem habere significationem, haud temere conjiciendum est ex interpretatione Græca πατεῖτε, Syriaca ܕܘܫܘ &c. Arab. impress. دوسوا quibus omnibus est, *calcate*, vox, quæ propria est loquentibus de uvis in torcularibus, cujus quoque usus alibi in scriptura est, etsi id alio verbo tunc hebraice invenimus expressum. Adeo ut, si *descen-*

o) Kamus Gol.

descendendi notione sumatur, ut fit a plerisque, una etiam designet, cui rei operam sint daturi descendendo, nimirum, ut calcarent maturas uvas, quæ forent paratæ, ut injicerentur, vel injectæ jam essent torcularibus, quibus adeo abundarent atque succi tantam suppeditarent copiam, ut dolia sint impleturi ad inundationem usque. Ita enim inquit השיקו היקבים *Exuberant dolia.* Eadem sunt verba (quamvis alio sensu, tempore scil. futuro) quæ habemus cap. 2,24. ישיקו *yashiku exuberabunt*, ubi ample satis tum de derivatione, tum de significatione hujus verbi locuti sumus, ita ut ulteriori opera jam non egeamus. Quod autem ex prædictis hoc loco repetitione sit dignum, eo tendit, hoc verbum vi notionis, quam diversimode obtinet, significare abundantiam & ingentem mensuram rei subjectæ, sicuti eo loco & hic magnam copiam liquoris vel succi uvarum, atque exinde etiam ejus rei abundantiam, quæ cum hujusmodi uvis comparatur, quod ex sequentibus verbis, *multa est malitia eorum*, apparet, malitiam talem esse intelligendam, quæ sit magna mensura & abundans, qua mente etiam a *p)* plerisque accipitur, eos scilicet tam plenos esse malitia quam uvas succo. Alii tamen id malunt explicare de magna sanguinis effusione earum scelestarum gentium, quæ hic memorantur, quæ ita destruendæ sunt hoc bello, prout DEus, qui satis diu illis pepercerat, constituto tempore decreverat. Sic *Kimchi* היא משל לשפיכות הדם *Metaphora est de effusione sanguinis*, cum earum venerit tempus ut interficiantur: quia multa est earum malitia, quam fecerunt Israelitis, ipsi & patres eorum. Pariter & *Grotius*, Exuberent dolia i. e. *multus fundatur sanguis, qui cum vino comparari solet.* Sanguine hic intelligit exercituum magnorum *ex omni Asia* campos impletum iri, quos putat comparari cum torculari uvarum pleno: verbaque, *nam multa est malitia illorum*, subdere rationem, quare jubeat cruentam hanc cædem atque destructionem eorum exequi, nimirum; *ita meruere illæ gentes.* Verum antiquior multo est hæc expositio, quippe jam olim a Paraphraste Chaldæo in hanc mentem hæc verba explanata sunt: *Emittite in eos gladium; etenim*

---

p) Calov. Livel.

etenim pervenit tempus finis eorum, descendite, conculcate interfectos fortes eorum, sicut quod calcari solet in torculari: fundite sanguinem eorum, quia multiplicata est eorum malignitas. Nec diffiteri possumus, quod alterutri harum comparationum hæc verba applicari queant, sive ut nequitia illorum ingens conferatur cum abundanti liquore in uvis maturissimis; sive cum vino magna copia elicito ex talibus uvis effusio multi sanguinis, prout conditio illorum exiget, quos quilibet hic censuerit intelligendos. Si quis putet sermonem hic esse de tali quorundam hostium ecclesiæ vel populi sui destructione, quam DEUS illis aliquando illaturus est hac rerum humanarum facie adhuc existente, comparatio succi uvarum cum sanguine propria erit ad id rite præfigurandum, altera alterius abundantem effusionem denotante, (licet nec altera adeo impropria dicenda sit, qua malitiæ magnitudo cum liquoris uvarum plenitudine & redundantia doliorum comparatur) atque tum omnino rationem his ultimis verbis subesse dicendum est, cur tanta copia sanguis effundendus sit, sicut vinum ex uvis in torculari excalcatum & doliis reconditum, videlicet, *quia magna est illorum malitia.*

Quod si autem ad gravissimum illud judicium referantur, quo omnes impios peccatores DEUS judicaturus est in fine mundi, rationis loco hic erit impietatis hominum in hoc mundo gravitas cum torcularibus plenis & doliis exundantibus collata, (simul cum hac præcedenti expressione, *quoniam messis maturuit*) quare DEUS jam velit sedere ad eos judicandum. Atque ita subjecta dici possunt, ut antea notavimus, hæc ultima verba: *malitia eorum est magna,* ut planius exprimant, quod antea erat indicatum verbis figuratis, DEO scilicet negotium fore cum hostibus suis & ecclesiæ suæ, malitia eorum ad summum apicem provecta, quam DEUS haud ulterius ferre constituerit. Hinc sententia ac decreto lato, ut vindictam de iis sumat, ac demetat eos, ut frumentum messi aptum, & calcet in torculari vindictæ suæ, veluti uvæ maturæ ac succo plenæ premuntur & calcantur, nulla iis erit evadendi via, nec extricabunt se vel sua potentia, vel multitudine, qua hactenus alios antecesserant, & adhuc antecessuros sibi persuadent, ex manibus fortium illorum, quos jam missurus

erit judicia sua exsecutum. Quanta etiam polleant potestate, quanto excedant demum numero, cuncti tamen congregabuntur in eo loco, ubi sententiam suam adversus eos latam exsecuturus est, id quod sequentia verba expresse docent.

14. *Multitudines, multitudines in valle concisionis: quia propinquus est dies Domini in valle decisionis.*

Magnum, ac fere infinitum eorum, de quibus hic sermo est, hic exprimit numerum, repetendo *multitudinis* nomen plurali numero, juxta regulam *q)* Grammaticorum Hebræorum multis confirmatam exemplis. Cum vero duo nomina hic conjungantur sine ullo verbo vel particula, quæ ad constructionem ducat vel innuat, quid sit intelligendum, vel quibus aut de quibus hoc dictum sit, vel quid agant aut acturi sint aut effectum jam reddiderint, indicio est hunc sermonem esse defectivum, necessarioque esse supplendum particula quadam, qua regatur & ad sensum pateat aditus. Atque in eo magnopere discrepant interpretes, aliis hoc, aliis alio casu hoc nomen vertentibus. Quidam pro nominativo illud habent supplendo *r) cadent, s) concidentur;* alii *t) erunt;* alii *u) congregati sunt.* Alii pro vocativo habent supplendo *w) adeste*, alii *x) ite.* Quo modo accipit Anglicana nostra antiqua: *O people, people, come into, O popule, popule, adeste.* Et quæ ex *Genev.* est concinnata: *O multitudo, multitudo adeste* &c. Alii nullum omnino censent addendum esse verbum; sed potius legendum nomen exclamandi forma, subintelligendo duntaxat exclamationis particulam, ac si oculis sibi jam subjiceret, quod certo aliquando futurum est, & præ admiratione magna ita exclamaret: *O quantam conspicio multitudinem congregatam! vel o quanta multitudo ibi congregabitur, y) quantum turbæ, quantum tumultus!* Quem sensum insigniter ferent & verba textus originalis, & interpretatio Vulgati, *populi, populi:* & nostratium (ut & aliorum

---

q) Buxt. Thes. l. 2. c. 2. p. 351. Glass. Gram. l. 3. *r)* Aben-Ezra. *s)* Vid. Drus. *t)* Jun. Trem. Pisc. *u)* Pet. a Fig. *ww)* Vid. Drus. Merc. *x)* Grot. *y)* Tig. & Vatab. in 4to & 8vo.

rum nonnullorum) *multitudines*, præterquam quod aliquid iis subjungatur. Sic & paraphrasi hæc verba enucleantur a quibusdam Theologis nostris Anglicanis, uti ab R. Episcopo Hallio: *Quot multitudines, quam infinitæ multitudines improborum tum ibi judicabuntur!* &c. & a *D. Stokio: O multitudinem hæreticorum, schismaticorum, impiorum atque profanorum! O ingens consortium Atheorum, Idololatrarum, Tyrannorum & aliorum malignorum hostium professionis veræ & cultus Dei, quos mihi videor intueri in hac valle comparentes* &c. Pro eo autem, quod nostrates & multi alii reddunt *multitudines, multitudines* (vel aliis verbis æquipollentibus) Græci habent ἦχοι ἐξήχησαν *sonitus personuerunt* (vel ut quædam exemplaria *z)* ἠκούσθησαν, auditi sunt) quos Arabica impressa secuta est الالحان لحنت *concentus personuerunt*. Eodem facit Syriaca ܪܓܫܐ ܕܫܘܓܫܐ quod latine redditur, *sensus tumultus*. *Barbablul* id in Lexico suo interpretatur voce Arabica الضوضة sive potius الضوضا quæ significat الجلبة واصوات الناس *a)* *clamorem vel mixtos hominum sonos*. Quod tamen a priori nihil quicquam differt, quippe clamor tumultuosus arguit magnam populorum nubem confluxisse. Cum vero differant in literali sensu, id tantum ex diversa oriri videtur notione vocis המון *Hamon*, quæ notat & *magnum strepitum & multitudinem populi*, quarum hanc alii, alii illam malunt. Causa repetitionis hujus vocis hæc est, uti diximus, ut gravitas earum rerum appareat, quas hic designare constituit. Aliam hujus rei causam reddit *Abarbinel*, nimirum propter diversa illorum genera, qui has multitudines conficerent, hoc fieri autumat, quorum quidam resurrecturi essent ex mortuis, alii adhuc in vivis forent inprimis Edomitarum (qui juxta eum sunt Christiani) & *Ismaelitarum* (qui sunt *Mahumedani*) qui, ut ejus opinio habet, quam tradidimus ad *v. 9.* &c. se congregaturi sunt resurrectionis die ex mortuis, ad quod temporis spatium hoc spectare, atque ideo per המנים המנים *hamonim, hamonim, multitudines, multitudines*, intelligi putat המון

Tt 2 החיים

z) Vid. Drus. & Bibl. Græca Francof. in variantibus lectionibus. *a)* Kam.

החיים והמון המתים *multitudinem vivorum & multitudinem mortuorum.* Quæ opinio non adeo abſurda eſt, quin facili negotio, ſi neceſſitas urgeret, cum eorum mente poſſit reconciliari, qui hæc dicta ad diem generalis judicii ſpectare volunt, quo & vivi & mortui, atque adeo totus orbis hominum, qui usquam fuere, congregandi ſunt coram divino tribunali, ut ſe ſiſtant. Minus tamen accedet eis, qui non ad hunc diem ea referunt, ſed ad quosvis tales, quibus DEUS eſt congregaturus ingentes exercitus (ut MS. Arabicum vocem hic exprimit per عساكر) qui injuria eum affecerunt eccleſiam & populum ejus male excipientes, atque hoſtilia iis inferentes, ut eos exſcindat atque protinus deſtruat. Quod idem etiam affirmat *Abarbinel*, ſi de vivis hæc verba accipiantur, repetitionem eorum nihil aliud denotare, quam המונים רבים *hamonim rabbim*, ingentes multitudines. Quod ad locum attinet, ubi congregantur vel quo citantur a *b)* Propheta, qui de certo futuris haud aliter ac de præſentibus loquitur, is vocatur עמק החרוץ *Emek hacharuts, vallis deciſionis*, ut textus poſtremæ noſtræ interpretationis habet; in margine autem duæ aliæ voces poſitæ ſunt, *conciſionis & triturationis;* unde liquet hanc vocem eas omnes ſignificationes ferre, earumque quamvis inſigniter huic loco quadrare, ita ut lector ſibi eligere poſſit, quæ genio ſuo quam maxime accedat. Cum autem in textu malint *deciſionis*, denominationis hujus hanc ſubeſſe nobis ſuggerunt cauſam, quod DEUS ibi deciſurus ſit omnes eorum cauſas, qui coram eo congregabuntur atque ſententias laturus, prout quisque fecerit vel meritus fuerit, quam ob cauſam antea vocabatur *vallis Jehoſaphat*, ut vidimus; & Chaldæus Paraphraſtes utroque loco interpretatur מישר פלוג דינא *vallis diviſionis judicii vel ferendæ ſententiæ ſingulis pro ſuis meritis.* LXX. itidem ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δίκης, *in valle judicii*, quibuscum facit Arabica impreſſa في وادية القضا Syrus quoque habet ܒܥܘܡܩܐ ܕܦܣܩܘܬܐ *in valle deciſionum.* Eadem id ratione etiam acceperunt *c)* auctores verſionis noſtræ

b) Vid. Cyrill. Gvalt. *c)* Nec non Diodati.

noſtræ Anglicanæ antiquioris reddendo *the valley of final judgment*, vallis extremi judicii. Nec abludit *R. Salomo*, qui expoſitionis loco addit ששם חרוץ המשפט אמת ubi decidetur judicium veritatis, cujus etiam mentionem facit *Kimchi*, veluti ſignificationis, quæ egregie voci congruat una cum altera, qua redditur *conciſionis*, quæ, uti a noſtratibus ad marginem notatur tanquam ſecundaria, ita ab aliis in textum refertur, quemadmodum etiam revera ſibi priores vendicare partes videtur, cum altera non niſi *d)* metaphorice hinc deduci poſſit. Hinc a Vulgato Latino verſum eſt, *in valle conciſionis*, quod imitantur non pauci recentiores, ut *Piſcator*, *Junius* & *Tremellius*; *Kimchi* quoque ex eis eſt, uti notavimus, qui huic ſignificationi priores concedit ratione hujus denominationis addita כי שם יהיו הגוים חרוצים וחתוכים *quia ibi erunt gentes conciſæ & comminutæ.* Senſum hujus loci atque rationem denominationis *Abarbinel* putat extare *Jeſ. 10, 23.* לפי שכלה ונחרצה תהיה בהם שתה *quia conſummationem ibi facturus eſt in omni terra, quam decrevit.* MS. Arabicum habet مرج القطع מרג אלקטע *pratum* (vel vallis plana) *ſciſſionis vel præciſionis*, (quamvis etiam intelligi poteſt de deciſione) *R. Tanchum* ait hoc exponendum eſſe خندق الهلاك *foſſam* (ſive vallem) *deſtructionis*, atque ita vocari لما يقع فيه من القتل والهلاك في ذلك الوقت *a cæde & ſtrage, quæ in ea futura eſt eo tempore*, quam ſignificationem etiam *Abu Walid* (ante eum) cæteris aliis, quas hoc loco ei tribuunt, *e)* præfert, eandem, inquiens, eſſe hanc vallem, quæ antea vocabatur vallis *Jehoſaphat*, de qua dicit: *f) ibi ſedebo ad judicandum omnes gentes de circuitu.* Atque hanc vocis notionem, quam putant hunc locum requirere, deducunt a ſignificatione ſciſſionis. Hinc eſt quod *R. Tanchum* in *g)* Dictionario ſuo dicat, quandocunque חרץ *Charats* (verbum) vel חריץ *Charits* vel חרוץ *Charuts* nomina verbalia occurrant معناه قطع وفرض *ſenſum eorum include-*

 re

---

d) Livel. *e)* هذا عندي اولي ما يعتقد فيه. *f)* Verſ. 12. *g)* Quod inſcribitur *Morshed.*

re significationem scissionis vel divisionis. Quo pacto cum acceperit *Munsterus* (quamvis nomen cum aliis videatur participii loco habere) interpretatur, *in valle intercisa:* obscure admodum, ni fallor; attamen ita, ut non obscure pateat, eum ad significationem scissionis hanc vocem retulisse. Tertia significatio, cujus nostrates nobis dant electionem, est *triturationis*, quo sensu etiam a nonnullis redditur. Sic legit nostra Anglicana ex *Genev.* concinnata, *in the valley of b) threshing, in valle triturationis;* cui accedit interpretatio *Piscatoris*, qui hanc maxime putat appositam *in valle triturationis.* Hebraice, adjicit ille, sonat ac si esset, *in valle tribulæ;* quam vocem etiam admodum convenientem putat huic loco *Calvinus*, adhibitis in præcedentibus hujusmodi loquendi formis, quæ agricolis sunt familiares & ad ea pertinent, quibus plerumque sunt occupati, quibus hoc insigniter congruit; quippe malitiæ eorum gravitatem exponit, de quibus loquitur, atque eorundem maturitatem ad judicium, dicendo, *messis maturuit, torcular est plenum*, atque operarios falcem immittere jubet; quæ omnia proprie sequetur. trituratio frumenti depositi, & locus ubi id fieri debet, adeo ut judicium, cui subeundo satis maturi sunt, recte dici possit *vallis triturationis.* Verum ut recto tunc stet talo hujus loci sensus, necesse erit inquirere, quid intelligendum sit *triturationis* voce, ut egregie respondeat hebraico verbo חרוץ *Charuts*, quæ a prædictis latine exprimitur *tribula.* Nimirum non intelligitur talis trituratio, quam plerumque sic nuncupamus, quæ contusione tribulæ peragitur ad exterendum gramina; sed quæ fiebat ope cujusdam instrumenti, quod stramen atq; glumas frangebat & secabat, atq; ita grana extrudebat, ubi scindendi notio adhuc locum habebit. Duo vero hodie adhuc sunt horum instrumentorum genera, quorum unum conficitur ex gravissimis ligneis asseribus, quibus infiguntur cuspidatissimi lapides aut silices, qui a jumentis tracti per frumenta ordine digesta una vice (uti diximus) exterunt grana, glumas frangunt, stramenque secant vel confringunt in minutissima frustula ad instar paleæ, quæ in jumentorum postea cedat alimentum.

b) Cui concinit versio Tigur. *Excussionis.*

tum. Notum illud inſtrumentum probe deſcribit *Kimchi* in dictionario radicum hebraicarum, ubi ab uſu, quem præſtat, id putat vocari *Charuts* (a radice *Charats*) ſcindendi ſignificatione, idemque vocari *i)* מורג *Moreg*. Quod etiam affirmat *Abu Walid*, verum adjicit, dum explanat vocem *Moreg*, nil quicquam differre a נורג *Naurage* Arabico, quod inſtrumentum notat يداس به الطعام حديد كان او خشب *quo conculcatur frumentum, ſive ſit ferreum, ſive ligneum*, quæ eadem fere eſt ejus deſcriptio, quam in Arabico dictionario tradit τῦ نورج *naurage*, qua voce hanc interpretatur. Atque ex eo apparet, aliud etiam hujus inſtrumenti genus in uſu eſſe præter illud ligneum, quod ex ferro conficitur (cujus adhuc uſus in illis regionibus viget); illud autem conſiſtit, niſi memoria me fallat, ex duabus ferreis rotis crenarum inciſione notatis, dentibus acutiſſimis ſerræ inſtar præditis, quæ inter ſe connectuntur axe ligneo, quod cum per frumenta in area trahitur, idem efficit in conterendis granis & frangendis ſcindendisque glumis & ſtramine, atque id, quod priori loco deſcriptum eſt. Ad quem modum exterendi frumenta alterutro horum inſtrumentorum alluditur *Jeſ. 28, 27. 28.* Hinc alio prorſus veniat neceſſe eſt eoque multo largiore ſignificatu vox triturationis, ſi ita ſit vertenda, quam nobis plerumque venit, quibus forſitan nullum aliud triturandi inſtrumentum eſt cognitum, quam tribula vel flagellum. Quo ſenſu, ſi verba accipiantur, captu perquam facile eſt, verba, *in valle triturationis*, nihil aliud ſignificare, quam Deum exequi velle in impios illuc congregandos hujusmodi judicia, quæ comparari poſſint cum tali agendi modo, quo agricolæ utuntur in maturis frumentis in areas collectis. Quod autem judiciorum gravium executio talibus exprimendi formis innuatur, haud obſcure liquet ex *Proverb. 20, 26. Ventitat improbos rex ſapiens, poſtquam convertit in eos rotam.* Et *Amos. 1, 3.* dicuntur *Damaſceni trituraſſe Giliadem* בחרצות הברזל *bacharut ſoth habarzel, inſtrumentis triturandi ferris.* Fieri autem poteſt, ut ad literam hæc loca ſumenda

i) Conjunctas invenias Eſ. 41, 15.

menda ſint de executione ſuſcipienda hujusmodi inſtrumentis, ſicuti *David* fecerat incolis *Rabbam Hammonitarum 2. Sam. 12, 31.* quo hic duntaxat alluditur.

Eſt & alia ſignificatio vocis חרוץ *Charuts*, qua notat *aurum*. Hujus mentionem injicit *Hieronymus*, ac ſi loci nomen, auctoribus quibusdam Judæis, uti ait, ſpectaret *vallem judicii* (quam putant eſſe orcum) in qua *excoctis ſordibus peccatorum, purum aurum remaneat*, i. e. electi ſoli relinquantur, ut ejus mentem explanat *Mercerus*.

Eodem autem ferme redit hæc expoſitio, quo præcedens, ac ſi nomen ſortiretur hic locus a judiciorum executione, quam Deus ſuſcepturus eſt adverſus hoſtes ſuos. Quamvis altera vocem *Charuts* ad impios referat, qui evertendi ac deſtruendi ſunt; hæc autem ad pios, qui liberandi ſunt ac ſalvandi; eodem nempe loco, eodemque judiciorum tempore in utrosque ſententia lata. Quæcunque præterea interpretibus de literali ſenſu hujus vocis intendatur lis, quamque demum huic loco optime arbitrentur congruere, id adfirmare habeo, omnes qua ſenſum egregie ſibi ipſis reſpondere, quem haud inconvenienter exprimit *Caſtalio*, reddendo, *in valle ſeveritatis*. Omnes enim in ſeverum Dei proceſſum unanimi conſenſu conſpirant, quo cauſas deciſurus eſt amicorum æque, ac inimicorum, idque in mercedem unius atque in pœnam alterius conſortii eodem & tempore & loco ab eo determinato. Quod cum tam certe ei ſit conſtitutum, illos hic etiam Propheta ſiſtit, quaſi jam jam congregatos, vel citat eos, ut ipſi illuc congregarentur, cauſa hujus rei luculenta annexa; *quia propinquus eſt dies Domini in valle deciſionis. Dies Domini*] Dies, quo certo judicium executurus, vel vindictam ſumturus eſt de inimicis ſuis, propinquus eſt. Adeo certo eſt hoc tempus ab eo huic rei deſtinatum, cui omnia ſunt præſentia, & *k*) mille anni inſtar unius diei, ut jure meritoque dici poſſit propinquum, licet res ſe aliter habeat reſpectu hominum. Cujus differentiæ rationem habet *S. Paulus* ad *Phil. 4, 5. Dominus propinquus eſt.* Cum rurſus dicat:

k) 2. Petr. 3, 8.

cat: ne cito mente dimoveamini, neque conturbemini, *quasi dies Domini esset propinquus*, 2. *Thes.* 2,2. Ita *Johannes*, quæ futura vel in eo erant, ut fierent, eadem ratione, quod suo tempore certo futura sint, dicit fore *ἐν τάχει*, *cito*, *Apocal.* 1,1. Adeo ut huc faciant verba Prophetæ *Habacuk* ad visionem ejus pertinentia: *Si cunctabitur, exspecta eam; nam omnino eventura est, & non tardabit*, *Hab.* 2,3. *Adhuc enim pusillum tempus est, &, qui venturus est, veniet neque tardabit*, *Hebr.* 10, 37. Hinc ad omnes hoc æque spectare manifestum est, ut se præparent obviam ituri Domino eo die, quasi in præsentiarum ad id obeundum citarentur. Nec quicquam contra hanc veritatem excipi potest, sive ad peculiare quoddam Dei judicium in gentem hanc vel alteram exsequendum, sive ad ultimum generalis judicii diem trahatur, prout ad hoc aliis, aliis ad illud referre visum est, uti *l*) diximus. Idem dicendum est de loco, qui hic sub nomine *vallis charuts* designatur, de quo non minus disceptant quam de tempore. Quicquid autem id nominis significet juxta opiniones diversas, quas retulimus; in eo tamen universi conveniunt, eundem esse hic, qui supra vocatur v. 2. & 12. *vallis Jehosaphat*, quocirca nihil amplius hic addendum esse reor ad quendam fixum constituendum locum, quam quod ibi jam jam sat superque tradidimus. *Grotius* ex opinione, qua in specie hæc verba statuit spectare ad destructionem *Persarum* a *Græcis*, *Alexandro* rerum potiente, illatam, intelligit hic vallem vel planitiem apud *Gaugamela*, *m*) ubi prælium ultimum est commissum cum *Dario*; at singularis est hæc expositio ejusque peculiaris. *Mercerus* huic loco convenire ratus diversa hæc nomina vallis *Jehosaphat* & vallis *Charuts*, argui iis censet *non certo loco n) conclusam vallem*, sed esse *eam, ubicunque Dominus de impiis Ecclesiæ persecutoribus pœnas sumit & eas concidit, vel in eos certam ac definitam sententiam fert*. Atque certum habeo, si hoc nomen, & quod futurum hic dicitur, tali applicari potest loco, tanto magis etiam spectare ad magnum generale judicium atque illum locum, quo omnes gentes citabuntur,

l) Cap. 1,15. cap. 2, 11. & 31. & hoc cap. v. 9. *m*) Arian. *de expeditione* Alexand. *n*) Consule Danæum in h. l.

ut pro meritis suis judicentur, quo haud sine gravi causa id multi præcipue referunt eo sensu, quem apte satis expressit prædictus R. Episcopus D. *Hall* hujusmodi paraphrasi: *Nam magnus ille dies Domini propinquus est, cujus terror ineffabilis erit, in terribili loco judicii.* Non habetur in textu epitheton *magni* (uti quidem alibi c. 2. v. 11. & 31.) verum necesse est, ut subintelligatur, utpote Domini diei optime conveniens. Quin & terroris eum fore diem ex nomine constat, quo insignitur harum rerum, quæ futuræ sunt, locus, scilicet vallis *Charuts*, quacunque etiam significationum supra memoratarum eam sumas, sive *decisionis*, sive *concisionis*, sive *triturationis* denotatione. Verum multo prolixius exponitur tum gravitas, tum terror ejus per insolitas ac terribiles rerum naturalium mutationes, quibus manifestatio ejus diei erit stipata, verbis quæ sequuntur:

v. 15. Sol & luna obtenebrabuntur, & stellæ retrahent splendorem suum.

Verba קדרו *Kadaru*, nostratibus futuro tempore, *obtenebrabuntur*, & אספו *Asephu*, *retrahent*, sunt lingua Originali præteriti temporis, ut & Chaldæo, Syro & M. S. Arab. Vulgato Lat. quoque; *Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Quem sequuntur etiam *Duac.* & o) alii nonnulli. At alii quidam, quibuscum faciunt nostrates, malunt ea futuro reddi, quod sit futurum, non quod peractum sit aut præsens, denotantia. Et hoc recte; id quod hinc saltem apparet, quod verba a Propheta prolata respiciant ea, quæ futura sunt, non quæ facta erant aut præsentia, Prophetisque q) frequenti usu veniat, ut quæ a Deo sunt determinata, recenseant tanquam præterita vel præsentia, ad significandum, tam certo ea esse futura, ac si jam actu essent vel fuissent, sicut notavimus ad cap. 2. v. 10. ubi eadem extant verba eademque ratione & constructione, quo etiam lectorem remittimus earum expositionum, quas dederunt interpretes, cupidum. Primo statim

o) Tig. Pag. Jun. Trem. Castalio. q) *Ar. Mont.*

ſtatim intuitu, atque ad literam magna ac terribilia hæc verba præ ſe ferunt, digna certe, quæ comitentur hunc diem, qui κατ' ἐξοχὴν dicit poſſet, *dies Domini*, non dies vulgaris. Verum enim vero, ſintne tali ſenſu hic accipienda, an alio, ſtrenue inter interpretes diſceptatur, prout eo loco vidimus. Hac obſcuratione luminarium cœleſtium *Grotius* autumat innui, eorum lumen hominibus obſcuratum iri a ſpiſſitudine aeris, quam magnus ille fumus coegit, aſcendens ex incenſa civitate *Perſepoli*, omnia hæc adhuc referens, ut vidimus, ad cladem, quam *Alexander* Magnus intulit Perſis atque eorum regioni. At figurate tunc hæc verba intelligenda ſunt, non ad literam, diesque ille, atque oſtenta, quibus ille illuſtris foret, diu jam exitum habuiſſent, quem prædixerat Propheta. Sunt qui etiam hæc verba figurate accipiunt, ſed diverſa plane ratione, & differentia inter ſe ipſos haud vulgari, tum quoad diem conſtituendum, tum quoad ſignorum naturam, quibus illuſtris redditur & ab aliis vulgaribus diebus diſtinguitur. Quidam eorum per ſolem, lunam & ſtellas intelligunt magnas mundi poteſtates, & celſitudines & per obſcurationem cœleſtium horum corporum & ſplendoris retractionem conditionis r) illuſtriſſimæ eorum privationem maximamque confuſionem, cui erunt ſubjectæ. Hinc verba ita παραφράζει D. Stokius: *Inſtante illo horrendo die mundus videbitur totus confuſus: Qui erunt lumina ac gloria iſtius temporis atque tam conſpicui in ſphæra regiminis ut ſol, luna & ſtellæ in firmamento cœli, ſubito obſcurabuntur atque ſplendorem ſuum perdent.* Quo terribili die intelligere videtur cumprimis ultimum judicii diem; cum alio modo, atque hic, eum referat Danæus ad quodlibet tempus, ſive præteritum ſive futurum, quo Deus exercuit vel exercebit judicia ſua in gentes earumque præſtantiſſimas ad finem mundi, quo temporis ſpatio, quod hic deſignatur cœleſtium corporum obtenebratione, eventum habuit vel habiturum eſt, prout hæ figuratæ expreſſiones exigunt. Nec antiquorum Judæorum ſuffragiis deſtituta eſt hæc ſententia. Meminit ejus *Abarbinel*, quaſi *Moſi Maimonidi* probatæ, quam nec ipſe videtur averſari לפרש השמש והירח

r) Danæus, Stokius.

והירח והכוכבים על מלכי האומות *per ſolem, lunam & ſtellas intelligendos eſſe reges gentium, hominesque magna dignitate ac potentia præſtantes.* Aliam etiam adjicere non dubitat, ſcilicet obſcurationem ſolis & lunæ, ſtellarumque ſplendoris retractionem ita ſumi poſſe, ac ſi horum cœleſtium corporum influxus, qui gentibus videbatur proſperrimus, ab iis foret retrahendus. Quod non procul abit ab ea quorundam & Judæorum & Chriſtianorum opinione, qua hac expreſſione de obſcuratione ſolis & lunæ putant innui magnas *ſ)* calamitates & conſternationem, qua obruendi erunt homines propter horrenda illa judicia Dei, ubi hominibus omnia videbuntur meræ tenebræ, imo ipſe ſol non videbitur lucere, vel lumine ſuo ullum ſolatium præbere. *S. Hieronymus* autem eo inclinat, quod & hæc cœleſtia corpora ex terrore ſibi ſint retractura ſuam præſentiam, utpote quæ non poterunt intueri mœſtum hunc judiciorum divinorum diem, tormentaque crudeliſſima, quibus afficientur perituri. Quo ad diem ultimi judicii terribilem hæc videtur referre, in quo multos habet aſſeclas alios, quamvis rationem hujus obſcurationis luminarium reddant diverſam, videlicet, *t)* quod ſplendorem ſuum amiſſura ſint obININGglorioſiſſimum ſplendorem Chriſti, qui tum apparebit in gloriæ ſplendore, qui ita obſcurabit ſolem, ut ſplendor ſolis obſcurat lunæ & ſtellarum ſplendorem naturali die, non quidem privando lumen quod iis ineſt, ſed extinguendo & longe excedendo. At eſt alia horum verborum explicatio, quæ ut multo eſt planior, ita literæ etiam propius accedit, qua arbitrantur notari *u)* hujusmodi prodigia, quæ vel antecedent vel conjuncta erunt cum ultimo hoc horrendo die, veramque alterationem ſplendoris ſolis, lunæ & ſtellarum, cum non figuratæ ſint hoc loco, ut ſæpius alibi, hæ expreſſiones, ſed denotent, quid revera futurum. Atque hæc eſt quam maxime puto approbandam, licet conjectura duntaxat aſſequi poſſimus, quo modo & quibus mediis hæ mutationes illis diebus futuræ ſint, nec certi

ſ) Kimchi in c. 2. v. 10. & v. 31. Merc. Sa. Menoch. Tirin. & in eandem ſententiam Cyrillus *t)* Lyra & vide Chr. a Caſtro. *u)* Pet. a Figuer. Ribera, Diodati.

certi quid ſtatuendum ſit, donec veritatem produxerit ipſe dies cum ſignis ac prodigiis. Interim perſuaſi ſumus omnino, DEum certo certius eſſe facturum, quod dixit & ſuo tempore, & juxta arbitrium & potentia & eo modo & iis inſtrumentis, quibus ad hoc opus peragendum uti conſtituit.

16. Dominus etiam rugiet ex Sione, & dabit vocem ſuam ex Hieroſolyma, & contremiſcent cœli & terra: Dominus autem erit ſpes populi ſui & fortitudo filiorum Iſraelis.

Hæc verba habentur a nonnullis pro ulteriori deſcriptione hujusmodi rerum, quibus Dominus ſe ipſe manifeſtabit die judicii. Dominus יהוה *Jehovah*. Sunt *w)* qui obſervant Chriſtum hic vocari nomine *Jehovah*, quod ſoli DEO proprium eſt, & verbis, *dabit vocem ſuam*, reſpici ad terribilem illam vocem, quam uti viventes, ita & omnes in ſepulchris audient expergefactique ad judicium venient (*Joh. 5, 28. 29.*) ut & horrendam ſententiam, qua inimicos ſuos in æternum condemnabit ignem, *Matth. 25, 41. Sionis* autem & *Hieroſolymæ* nomine, unde dicitur rugitum atque vocem edere, egregie juxta eos intelligitur cœlum. Ita in paraphraſi Reverend. Epiſcopus *Hall. Laturus eſt Dominus Jeſus horrendam ſententiam ex cœlis adverſus impios*; & *Diodatus* in notis ad hunc locum: *nimirum ex ſolio gloriæ, quod cumprimis adumbrabatur per ſanctuarium, Hebr. 12, 22.* ac in eandem mentem alii: *e medio ſanctorum & Angelorum*, quorum ſancta ſocietas *Zion* & *Hieroſolyma* vocari poteſt. Quæ interpretatio figurata tutior mihi videtur expeditiorve, quam propria illa, qua thronum, cui inſeſſurus eſt Chriſtus ſeveriſſimas ſententias pronunciaturus, vel ſuper vel prope *Sionem* & *Hieroſolymam* fore *y)* nonnulli ſtatuunt. Præterea non eſt, qui, autore *Chriſtophoro a Caſtro*, hæc non trahat ad horrendam judicii ſententiam, quam tunc temporis eoque loci Chriſtus laturus eſt. Quod de omnibus quidem in genere affirmat;

ww) Vat. 4o. 8vo. *y)* Vatab. in 4to & 8vo. Chriſt. a Caſtro. Menoch. Tirin. Vide ſupra de hac opinione in v. 2. & 12.

mat; verum salva ejus auctoritate dicendum est, omnes non eodem modo agere, neque de hoc loco neque de hac sententia æque exponere. Etenim non desunt, qui per *Sionem* & *Hierosolymam* intelligunt DEI *z)* ecclesiam in his terris, quæ loca olim peculiaris ejus erant sedes, ubi cultus ei exhibebatur verus; at posteaquam omnibus nationibus lætum nuncium est prædicatum, latius hæc nomina patent, ecclesiasque quasvis ubique locorum in toto terrarum orbe denotant. Quocirca hæc verba, *rugiet ex Sione & dabit vocem suam ex Hierosolyma*, aliud nihil complecti dicendum foret, quam judicia ac signa indignationis terribilia, quæ exhibiturus est *a)* suo tempore adversus ecclesiæ, ac fidelium hostes, quamvis aliquantisper ferat, ut persecutione premantur ab adversariis suis, atque ita sese gerat, quasi nullam eorum haberet curam. *Grotius* hæc refert ad victorias Judæorum de *Antiochi* ducibus, super cujus agmina DEUS dicitur pluisse ignem ac lapides, uti ipse citat locum *Ezech. 38, 22.* quæ ejus peculiaris est opinio, nihil autem prorsus habet, quo in castra sua nos trahi posset. Porro omnes hi eandem constructionem sequuntur, quam nostrates, *ex Sione* & *ex Hierosolyma*, qua ratione מציון *Mitzion* & מירושלים *Mirushalim* optime reddi possunt. Alio autem modo redduntur ab aliis, scilicet *pro Sione & pro Hierosolyma.* Sic *R. Salomo Jarchi* מפני שעשו לציון *propter id quod fecerunt ipsi Sion:* & *Abarbinel* expresse dicit præfixam præpositionem מ׳ *mi* esse מם הסבה *mem hasaibbah, mem causale;* ac si diceret מסבת מה שעשו לציון *propter id, quod fecerunt Sioni & Hierosolymæ,* DEUS *rugiet* ut leo, & vocem suam dabit; id quod nec latini quidem *b)* interpretes aversantur; at multo planior est prior reddendi ratio. Alii non adeo differunt a prioribus in reddenda verborum constructione, quam in eorum quorundam sensu, cum per vocem DEI, quam ex *Hierosolyma* dabit, *c)* intelligant dulcia illa verba, quæ fidelibus suis judicii die dicet: *venite benedicti Patris mei* &c. vel ut *d)* aliis placet, *ministerium Evangelii.* Quos contra cumprimis excipiendum est, hic non nisi de **)* talibus rebus sermonem esse, quæ terrorem injiciunt.

---

z) Merc. Tarnov. D. Stokius. *a)* Calv. *b)* Ar. Mont. *c)* Lyra. *d)* Vid. Merc. & Bochart. de Animal. **)* Pet. a Fig.

ciunt. Quo præcipue spectat verbum ישאג *yshag rugiet*, quod proprium est *leonis*, præ cæteris animantibus maxime terribilis; *Leone rugiente quis non timeat? Amos. 3, 8.* cui *e)* subjungitur alterum: *dabit vocem suam;* quo idem vel repetitur, vel priori quid additur. Quamvis enim hoc verbum latioris sit significationis parumque aut nihil hujusmodi duritiei habeat; attamen terribile non nihil hic videtur postulare haud secus ac præcedens, idque juxta *f)* quosdam, *tonitrua*, quibus DEI vox alibi non minus exprimitur, quam leonum rugitu, quasi idem utraque voce innueretur, quod dicitur *rugitus vocis ejus, & sonus ex ore ejus exiens, Job. 37, 2.* & *v. 4.* ejusdem rei hæc est descriptio: *Vox rugiens tonat voce excellentiæ suæ*, & *v. 5. DEUS tonat mirabiliter voce sua. Bochartus*, a quo hæc verba exposita sunt de prædicatione Evangelii, quod & ab aliis factum notavimus, commode ei congruere putat, quod habetur: *rugiet & dabit vocem suam*, quatenus hæc vox *tam clara & sonora, ut per totum orbem audita fuerit, nec solum aures, sed etiam auditorum animos vi sua perculerit & sollicitos reddiderit de salute sua cum metu & tremore procuranda.* Sed *vocis* descriptio non adeo hic videtur significare sonum ac efficaciam ejus, quæ optime convenit Evangelio, quippe *g) sonus ejus exivit in universam terram & verba ejus ad ultima orbis terrarum*, quam horrorem atque trepidationem, quæ magis videntur apta in horrendis judiciis prædicendis. Unde autem tantus terror sit oriundus, partim patet ex ea, quæ jam tradita est ejus descriptio, partim ex effectis, quæ ita traduntur in verbis sequentibus: *Et cœli & terra contremiscent.* Quomodocunque hæc verba sumantur, sive proprie, sive figurate, utique magnum eorum notant terrorem, coram quibus hæc prodigiosa effecta, quæ his expressionibus necessario continentur, producenda sunt, *Cœli & terra contremiscent.* Ingentem hæc verba præ se ferunt communis naturæ cursus immutationem, si ad literam ea sumseris, quæ vi vocis divinæ, cui nil omnino ἀδύνατον, facili negotio effici potest, quo tempore quave occasione hoc ipsi collibitum fuerit, adeo ut ad literam si intelligatur (ut quidam faciunt) nihil sit, quod in oppositum urgeat. At neque hic consentiunt interpre-

e) Mercer. f) Drus. g) Rom. 10, 18.

terpretes. Sunt qui extraordinarios intelligunt motus ac tremores, qui in terra fiunt terræ motibus, & (ut hominibus *h)* videtur) in cœlis tonitru. *Ut terra terræ motu, ita cœlum tonitru concuti & tremere dicitur*, inquit *D. Livel.* Atque id tantum quoad tonitrua & terræ motus, quæ fiunt juxta communem cursum naturæ; quanto verius hoc erit, si de hujusmodi accipiatur effectis, quæ naturam longe sunt transgressura, qualia futura sunt, quando DEUS rugiente sua voce terrorem incutiet die judicii, quod tam prodigiosis signis erit conjunctum, quam *i)* prædictum est, quorum efficacia cœli & tota naturæ forma contremiscet? Quod cum ita applicatur, a literali sensu haud abitur, ita ut, quod *Hieronymus* ait, *cœlorum cardines & terrarum fundamenta quatiantur.* Alienum quippe id esse non potest, cum *S. Petrus* de terribili hoc die verba faciens, *k)* dicat: *cœli cum stridore peribunt, elementa æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur.* Alii hæc verba non sumunt tam stricte de forma horum corporum, cœlorum & terræ, quam quidem de incolis eorum, angelorum pariter & hominum, (ut *l)* quidam ajunt) qui non parum movebuntur eo horrendo die, quo Dominus apparebit: vel (ut alii) *de civibus tam m) cœlestibus quam terrenis*, pios atque impios innuendo; vel ut *Lyra* interpretatur, quorum alii cum recipientur in cœlum, cœli, alii cum servandi sunt in terra, terra movebuntur, quippe orcus locus dicitur sub terra. *R. Salomo Jarchi* idem arbitratur hæc verba, *cœli & terra contremiscent*, valere ac יפרע משרים של מעלה שרי האומות *n) ultionem sumet de Principibus supernis, de principibus gentium* ואחר כך מן האומות *& postea de gentibus.* Quam sententiam videtur approbare *Abarbinel* non abhorrentem ab earum quadam, (dixerat enim etiam literaliter ea posse exponi) quam attulerat, per cœlum & terram intelligi posse המשפיעים העליונים והתחתונים המושפעים *corpora superiora quæ influxum dant, & inferiora quæ influxum recipiunt, quæ tum reddentur inefficacia, priora quidem influxum dandi, posteriora recipiendi.*

Qui-

h) Tirin. *i)* 1. Theſſ. 4, 16. Matth. 24, 29. Luc. 21, 25. *k)* 2. Pet. 3, 10. *l)* Pet. a Fig. Sa. Menoch. Ribera. *m)* Chr. a Caſtro. *n)* *Inefficaces reddet.*

Quibus expositionibus neminem Christianorum reperio suffragari, nisi eas complectantur sub generali *incolarum* aut *civium o)* cœlestium & terrenorum nomine, ut dictum est antea. Alii *p)* hyperbolice hæc dicta volunt, ac si tam terribilem vocem DEUS exserturus sit, quæ vel ad totam mundi formam tremefaciendam sufficiat; quanto magis ad homines fragiles & imbecilles? *q)* Alii hoc sensu, quod, etsi omnia terrena imo ipsi cœli & terra sese opponerent conatibus suis, nihil tamen valerent ad resistendum, sed omnia voce ejus terribili audita contremiscerent, ipseque superior evasurus sit. Quo vero cunque hæc verba referant, sive ad diem ultimi judicii, sive ad aliam temporis periodum, qua DEUS peculiari ratione vel destruxit vel destruet inimicos suos atque ecclesiæ, id inprimis liquet, DEUM quidem conatus hostium ad tempus ferre ac fortunare; constituisse tamen justo tempore ultionem de iis sumere, iisque tanta potentia ac terrore contra ire, ut resistendo nequaquam sint, etiamsi totus mundus a parte illorum staret; sed ita succumbant ac tremiscant, ut, quo se vertant, vel quem effugiendi quærant locum, prorsus nesciant. Interim ingens quamvis sit futurus terror, quo adventus ejus erit conjunctus, omnes tamen non eodem modo eo afficientur, dispar quippe erit respectu *hostium* ejus atque *insontium*. Ad omnium quidem animos æque penetrabit terroris gravitas, at qui in desperationem deducet hostes ejus atque in illorum exitium desinet; fideles vero tantum excitabit, ut propius ad eum accedendo nullibi refugium quærant, quam apud ipsum atque arctius illi adhæreant & uniantur. Quod quomodo futurum sit eo magno terribili ac hostibus atro die, sequentia docent: *Sed Dominus erit spes populi sui* &c. *r) Sed* pro *&*, vel, *quia Dominus vult esse*, vel, *erit*; vel, ut *s)* alii, *est*. Varie enim redditur a quibusdam futuro, ab aliis præsenti tempore, quia hebraice non habetur. Nec multum hic refert, cum sermo sit de Domino, qui erat, est, & futurus est semper idem, uti in omnibus aliis rebus, ita & hic, ubi dicitur esse vel fore, etiam tum, cum aliis maxima sit metus atque terroris causa, *spes populi sui* &c. ita ut, quo tempore alii causa despe-

o) Grotius angelos intelligit per cœlos. *p)* Merc. Menoch. *q)* Calv. *r)* Quarum significationum quavis sumitur copulativa ו ve prout sensus postulat. *s)* Jun. Trem.

desperata animum dimittant, hi possint *aspicere* & *caput tollere*, certo persuasi, liberationem appropinquare, ipso Salvatore jubente *Luc. 21, 28.* Pro eo, quod in textu est, *spes*, ultima nostra translatio in margine habet, *Heb.* (i. e. *hebraice extat*) *locus refectionis* vel *hospitium*. At idem est sensus, qua notione etiam reddideris, cum vox hebræa harum alterutra vel alia similis naturæ reddi possit, quippe מחסה *machaseh* descendit a חסה *chasah*, quod notat *frequentare*, & *se ipsum ad aliquid conferre*, atque etiam *sperare* vel *confidere*. Quibus rebus factum est, ut in eandem sententiam a plerisque vertatur, *t) spes*, *u) receptus*, *w) refugium*. Sunt tamen ex veteribus qui longius recedere videntur, veluti LXX qui legunt, καὶ ὁ κύριος φείσεται τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνισχύσει τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ, *& Dominus parcebit suo populo & corroborabit filios Israelis.* Gemina habet Arab. impressa, quæ Græc. sequitur. Ut & Syrus ܘܡܪܝܐ ܢܚܘܣ ܥܠ ܥܡܗ, quod conjiciendi nobis præbet occasionem, verbum חסה *chasah* olim usitatum fuisse hebræis non tantum prædicta notione *se conferendi*, sed & eadem, qua est חוס *chus*, *parcendi* sive *propitium se gerendi*, id quod haud improbabile est, quia Syriaca lingua, quæ multum affinitatis habet cum Hebræa, utraque radix & ܚܣܐ sive ܚܘܣ, quæ respondet Hebr. חסה *chasah*, & ܚܣ *chas*, quæ respondet Hebr. חוס *chus* significat *parcere, misericordem ac propitium esse.*

Populus ejus est, cujus spes vult esse DEUS, & *Filii Israelis*, quorum robur se fore promisit, utraque voce easdem personas denotante, i. e. qui vere in eum credunt, veraque fide ei serviunt ac morem gerunt, illi sunt *ejus populus*, illi soli *ejus Israel*, non qui ex *Israele* ortum ducunt secundum carnem. Ita hunc titulum docemur intelligere, quotiescunque populo DEI tribuitur. Hinc Apostolus dicit *Rom. 9,7. Non omnes sunt Israel, qui ex Israele sunt; neque omnes filii, quia sunt semen Abrahami.* Sed quotquot incedunt juxta regulam *Israelis*, vera fide & sincera obedientia, DEOque arcte adhærent, licet ex semine Israelis non sint, *Israel Dei sunt* (*Gal. 6,16*). Ad eos solos ac pro-

t) Vulg. u) Jun. w) Tig. Chald. סמך fulcrum.

proprie ſpectat hæc promiſſio, hic & alibi populo DEI ſub nomine *Iſraelis* ſive *filiorum Dei* facta. Hoc illis *x)* peculiare eſt, quod in DEO ſint inventuri ſuam ſpem & robur, ſive certum refugium, quando duriſſimo terrore concutientur ejus ac illorum inimici, quantumvis antea omni fortean viderentur ſpe & auxilio privati. Quem autem effectum habitura ſit in eis hæc DEI gratioſa in eos voluntas, verba ſequentis verſus præclare docent.

17 Ita ſcietis, me eſſe Dominum DEum veſtrum, habitantem in Sione ſancto meo monte: Tum erit Hieroſolyma ſancta, & alieni non tranſibunt amplius per eam.

Ex eo, quod jam in effectum deduci vident, ejus rei jam habent argumentum certiſſimum experientia haud unquam mendaci probatum, cujus antea tantum fidem ac ſpem conceperant, DEUM ſcilicet revera eſſe *Dominum eorum DEum*, cui cordi eſſent, eumque peculiarem eorum gerere curam omniaque ita ordinare, ut in bonum eorum nihil non cedere eventus probet, quomodo etiam cunque hoc iu mundo cum illis ageretur, imo etiamſi a DEO plane viderentur deſerti atque ad eum nihil prorſus pertinere. Quod ipſum hæc verba inferre videntur, quibus ea exprimitur relatio, qua DEUS ſibi eos adhuc aſſerit, dicendo, *ſe eſſe Dominum illorum Deum habitantem in Sione ſancto ſuo monte.* Nimirum illi ſcient, ipſum Dominum DEUM totius terrarum orbis, atque omnis carnis eſſe iis, non tantum eo modo, quo omnibus incolis mundi eſt, ſed peculiari jure ac relatione *illorum DEum* habitantem ac degentem inter eos ratione longe præſtantiſſima, in *Sione*, tanquam in proprio ſuo habitaculo ac loco ſibi præ cæteris dicato ac ſacrato, unde majora etiam neceſſario ipſis erant privilegia & præſentiæ ejus favoriſque ſigna, quam ex aliis quibuscunque. Videnda ſunt præterea quæ notavimus ad hanc exprimendi formam, qua ſe *DEum illorum* vocat, ad *caput 2. v. 27.* quid autem intelligendum per *Sionem* ad *v. 32.* Probe cognitum eſt, quæ-

Xx 2 nam

x) Pet. a Fig.

nam præſentiæ ſuæ ſigna peculiaria olim ad tempora Chriſti usque exhibuerit eo in loco, qui proprie ſic vocatur, quodque ea tantum de cauſa dicatur habitare in eo templo ibi extructo; verum largiori id poſtea ſumtum eſt ſenſu, adeo ut non eum tantum deſignet locum, ſed & eccleſiam, eamque non ſolum militantem his in terris, quocunque in loco; verum etiam triumphantem in cœlis, quo modo etiam ab interpretibus accipitur, *) aliis hoc, *y)*, aliis alio reſpectu. Equidem inficias iri non poteſt DEUM utrobique habitare vel ſigna exhibere curæ, quam eorum gerit, ac præſentiæ ſuæ, qua ipſis adeſt, illuſtriſſima. Quid ſibi velint hæc verba, *ita ſcient*, ſic exponit *Abarbinel*, quod, cum filii Iſraelis viderint vindictam illam ingentem, quam DEUS ſumturus ſit ab hoſtibus eorum, & inprimis mortuos ex terra reſurgere, revera tum ſcient ac credent, Dominum eſſe illorum DEUM, qui perpetuo eorum curam gerat, mundumque haudquaquam regi natura ſive caſu, ſed omnia negotia אומתנו *noſtræ gentis*, inquit ille, providentia ejus gubernari, quod indicant verba, *& ſcietis me eſſe Dominum DEum veſtrum.* Cum vero dicatur, *benedictum*, quem ſcient, *habitare in Sione monte ſuo ſancto*, idem ſignificare putat, ac ejus præſentiam & ſanctitatem majori ibi fore menſura, quam prioribus temporibus &c. Hanc in opinionem omnes conſpirant Judæorum interpretes, qui ſibi peculiarem afferunt DEUM ejusque ſpecialem curam & providentiam, eccleſiamque, cujus ſedes olim erat eorum mons *Sion*, ad ſuam tantum nationem referunt. Nec contra irent iis quicquam interpretes illi priſci, modo talia eccleſiæ membra admitterent, quæ evangelica doctrina imbuta ſunt & a Chriſtianis hic intelligantur, qui hæc verba exponunt de magna DEI benignitate & indiciis favoris ejus illuſtribus, quæ benignitate & indiciis favoris ejus illuſtribus, quæ in eccleſia ſua ejusque in gratiam tum maxime exhibebit, quando reſurrectione facta eam triumphantem reddiderit in cœlis, omnesque ſancti, qui ejus ſunt membra, perenni ejus fruituri ſint gloria ac gratioſa præſentia, omnibusq; inimicorum inſultibus fuerint omnino erepti. Beneficia utiq; Dei ingentia, ſignaque ejus gratiæ, qua complectitur eccleſiã, non niſi tunc temporis omni ex parte explebun-

*) Merc. *y)* Pet. a Fig.

plebuntur;quamvis negari non poſſit,ea omni tempore a Chriſto tali menſura conferri etiam in militantē Eccleſiam hac in terra,ut merito ad eam (quod alii faciunt) hæc verba applicari queant, quæ Dei præſentia & providentiæ protectionisque ſignis tam peculiari ratione gaudet, qua nullum aliud hominum genus aut ſecta unquam gaviſa eſt, cujusque *z)* defectus, ſicubi ea non in omnibus clare pateant, fide ac certiſſima ſpe compenſatur. Unde etiam facillimo negotio capi poteſt, quomodo accipienda ſint verba ſequentia: *Tunc Hieroſolyma ſancta erit* &c. Ubi eodem modo *Hieroſolyma* accipi poteſt, & a multis, imo a plerisque, recte quidem accipitur, quo *Sion*, non quidem pro civitate, quæ proprie ita nuncupatur, ſed pro eo, cujus hæc erat typus, videlicet, eccleſia Dei, ſive ea ſit militans, ſive triumphans, prout a *a)* quibusdam exponitur de eccleſia in terris, ab aliis, iisque admodum multis, de triumphante in cœlis, quæ vocatur *ſancta Hieroſolyma deſcendens ex cœlis a Deo, Apoc. 21, 10.* Utri autem harum nos rectius obſtringamus, optime judicari poterit, cum inſpexerimus, quid in ſe habeant hæc verba, *tunc erit ſancta* &c. *Tunc* (vel *&*) *Hieroſolyma*, locus hoc nomine inſignitus erit ſanctus, קדש *Kodesh*, *ſanctitas*, hebraice, uti noſtrates ad marginem notant, quia ſubſtantivum eſt & in abſtracto, non in concreto, vel adjectivum, quo quidem innuitur ſuperlativus gradus, majorq; ſanctitas, quam vocabulum præ ſe fert, quando in concreto quid ſimpliciter *ſanctum* dicitur, ac ſi tam ſanctum ſit, quam ſanctitas ipſa, locusque hic ſanctus dicatur ſuperlativo gradu ſuper omne id, quod ejus nominis eo tempore erat. Quæ tunc erat *Hieroſolyma*, vocatur civitas ſancta, ut *Nehem. 11, 1. & 18. Eſa. 52, 1. Matth. 4, 5. & 27, 53.* & alibi. Quam cum dicit fore *ſanctitatem*, id innuere videtur, vel quod major futura ſit ejus ſanctitas, vel quod alia notetur Hieroſolyma, præter eam, quæ olim erat. Alludi hic arbitratur *Abarbinel* ad diverſos ſanctitatis gradus, qua diverſa loca *Hieroſolymæ* præſtabant, cum adhuc integro eſſet ſtatu. Verba ejus, quæ citata jam ſequuntur, eo redeunt, quod, cum tempore

z) Quæ enim iſta habet in re, hæc latet in ſpe. Pet. a Fig. *a)* Mercer. *hoc de eccleſia in terris intelligo.*

„pore prioris templi domus Dei ſancta eſſet, neminique intrare
„permiſſum in היכל *Hecal*, corpus templi, præterquam ſacer-
„dotibus Domini, multoque minus in ſanctum ſanctorum, quo
„nemo ingrediebatur, quam ſolus pontifex ſemel quotannis, e
„contrario לעתיד לבוא *tempore futuro*, tota civitas *Hieroſolyma*
„ſimilis futura ſit domui Domini ſanctæ & templo Dei, ita ut in-
„circumciſus vel profanus non illud ſit intraturus, propter præſen-
„tiam majeſtatis ejus, quam in medio ejus eſt manifeſtaturus. Atque hinc eſt, quod dicat, *Hieroſolyma erit ſancta* (vel ſanctitas) & alieni *non tranſibunt amplius per eam* לקדשתה *propter ſanctitatem ejus.* Alii, inquit, aliter hæc explicant, ac ſi hoc, *alieni non tranſibunt amplius per eam*, idem eſſet dictum, atque, non amplius tranſibunt per Hieroſolymam ad bellum adverſus eam gerendum, ruinam magnam intuentes, in quam eæ gentes ſunt irruturæ, quæ id contra eam ſuſcipere contendunt; quam expoſitionem ſatis putat commodam. Eodem fere modo, quo utraque hæc interpretatio concinnata, longo ante eum intervallo expoſuit hæc *R. Kimchi* huncce in modum
„ſcribens: Et erit *Jeruſalem* ſanctitas, i. e. velut ſanctum quod
„prohibitum eſt externis (vel nefas peregrinis id contrectare) & a-
„lieni non tranſibunt per eam, i. e. ut amplius malefaciant illis, uti fecerunt usque in hodiernum diem. Id, inquit, ita intelligi poteſt, ne ingrediantur externi Hieroſolymam, quia magna erit ſanctitas ejus לעתיד *leatid* in futurum: Ita ut, quemadmodum vetitum erat (olim) templum ingredi, etiam Iſraeli; ſic tota civitas ſancta futura ſit, adeo ut non ingrediantur in eam externi ex populis mundi. Duo inprimis his in explicationibus ſunt obſervatu digna: primo, quod per Hieroſolymam proprie & ad literam hanc civitatem intelligant: Secundo quod magnum hoc privilegium de ſanctitate extraordinaria hic promiſſa pertineat לעתיד לבוא *ad tempus futurum*, de quo in ſpecie *Abarbinel* declarat ſe intelligere illud, quod poſt *b*) mortuorum reſurrectionem futurum eſt. *Kimchi* quidem tempus non exprimit; verum conjectu difficile non eſt, quo reſpiciat. *c*) *Somniant* enim, ut non nemo recte notat, *illam terre-*

b) Duplicem enim reſurrectionem fore arbitratur. *c*) Pet. a Fig.

terrenam Jerusalem, quam expectant, per Messiam ædificandam. Verum quicquid concipiant de gloriosa quadam *Hierosolyma* futura in terris, quam his promissis privilegiis gavisuram esse sibi persuadent, in eorum numero a nobis necessario censetur, quæ vane ac sine ullo fundamento futura expectant inter se & in gratiam suæ gentis, haud secus atque ea opinio, qua Messiam adhuc putant venturum. Quod ad interpretes Christianos attinet, qui norunt eum venisse, necesse est, qui hic capiunt *Hierosolymam* pro ea urbe, quæ proprie ita nominatur, ut ea jam eventum suum habuisse dicant cum adhuc esset in flore; verum in assignando tempore, quo hæc impleta fuerint, non arbitror ullum nobis esse facturum satis; Unde est, quod Cyrillus & Theodoretus hæc promissa non habeant absoluta, sed conditionata, ita ut felici hac conditione usuri sint, si civitatis hujus incolæ se ipsos purgarent ob omni iniquitate & cultu idololatrico, atque ea, qua par est, Deum colerent puritate ac sinceritate: si adversa uterentur fortuna, quod id unum attribuendum esset, juxta Theodoretum, rebus suis improbe gestis, quippe promissa divina requirunt, ut a parte ipsorum prius peragantur probeque observentur, quæ postulantur. Idem confirmat *Aben Ezra* ex Judæis, qui subaudiendum putat אם ישמרו &c. *Si custodierint legem Domini*, uti hoc expressum est *Zach.* qui postquam multa bona promiserat, uti *quod in medio illorum vellet habitare* cap. 2, 10. postea addit c. 6, 15. *Hoc totum tum implebitur, si diligenter observaveritis vocem Domini Dei vestri.*

Grotius nihil notat ad hunc versum, præterquam quod verbis, *externi non transibunt per eam*, adjiciat, *hostili exercitu*, nulla alicujus temporis mentione addita. At ex præcedenti versu palam fit, eum hæc referre ad tempora, quæ post cladem *Antiochi* fluxere. Quoscunque autem Christianorum interpretum mihi videre contigit, illis fere omnibus sentio minus probatam esse sententiam de terrena *Sione* vel *Hierosolyma* secura reddenda hisce verbis a Propheta prolatis. Quocirca figurate hæc nomina sumunt (ut alibi non uno loco sunt sumenda) pro ecclesia Dei, eaque vel militante in

hac

hac terra, vel triumphante in cœlis, quippe alterutri harum congruit & ab aliis huic, ab aliis alteri applicatur. Ad utramque harum dico, hæc verba possunt referri & applicari; verum extra dubium est, in militante Ecclesia eorum eventum esse multo evidentiorem juxta ea, quæ verba complectuntur, quam in triumphante. Unde ad militantem ecclesiam, si hæc referantur, quamvis ea dici possit sancta, sive sanctitas, imputata justitia sponsi sui d) vestita, e) *sanctificata per fidem in eo, f) qui se ipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret & purificaret lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam non habentem maculam aut rugam &c. in quam nihil ingredietur alienum & adversus quam nec ipsæ portæ inferni prævalebunt ipso Salvatore dicente Matth. 16, 18.* id tamen contra hanc opinionem excipi posse videtur, quod nunquam adeo pura ac sancta sit visibilis ecclesia, quin multi in ea sint, qui impure secus, quam oportet, se gerunt, qui vera nihilominus ejus membra esse sibi persuasum habent; cui annexum est, quod, qui sanctissima purissimaque ecclesiæ sunt membra, ab inimicis ejus fuerint oppressi & omne persecutionis genus passi. Quam objectionem ita quidam expediunt, ut dicant, membra hæc impura quidem immixta esse veris ac ingenuis ecclesiæ membris, ut lolium tritico; ea tamen non esse ecclesiæ membra, eoque impuram eam non reddere posse. Quantumvis enim hominibus offendiculo esse queant, qui alios ab aliis secernere nesciunt; oculos tamen Dei non effugiunt, qui probe eos novit & non nisi eos ecclesiam suam ejusque membra habet, qui puro sinceroque sunt animo atque pro virili sanctitatem sectantur, licet infirmitatibus multis sint obnoxii. g) *In vera enim Ecclesia, quæ Dei sponsa est sine ruga & macula, impiis, etiam in hoc seculo, locus non est &c.* Utcunque consortii hujus participes esse contendant hominibusque imponant, Deo tamen imponere non possunt, *qui illos ex Ecclesiæ suæ numero non habet,* vel ex incolis sanctæ *Hierosolymæ,* quæ, quoad ingenua sua membra, est sanctificata, purgata & reddita, vocataque sanctitas, nec in vanum abire potest, quod ei fecit promissum. Hinc, quod porro objicitur, eam quam sæpissime subire

d) Tarnov. e) Act. 26, 18. f) Eph. 5, 25. 26. 27. Tit. 2, 14. g) Vid. Merc.

ſubire hoſtium crudelem oppreſſionem, tali expeditur *b*) reſponſo, quod iſtud non oriatur ex promisſionis divinæ implendæ fideique perſolvendæ defectu, ſed ex ſua ipſius culpa, qua non exſolvit, quod ex ſua parte exigitur, officiū ſancte ac immaculate ſe ſe gerendi, cujus perficiendi auxiliatrices porrigit manus, manumq; ei, ut admoveant, præſtolatur. *Hoc debet imputari peccatis noſtris; nos enim facimus rupturas, per quas irrumpunt hoſtes eccleſiæ, eamque conculcant*, inquit *Calvinus*. *i*) *Quoties illud fit, hoc noſtro vitio fieri certum eſt*, inquit alius, qui in his verbis etiam conditionem ex illorum parte contineri vult, ut ſe tales gerant, quales Deus efficere velle promittit, ſi in effectum deduci optarent, quod DEus præterea pollicitus fuerat de iis defendendis ab inimicis irrumpentibus. Quod reſponſum non procul abit ab opinione *Theodoreti*, quam antea vidimus, quamvis alio fortean ſignificatu hic accipit *Hieroſolymā*, quam cæteri. Quibus adjungi poteſt, quod *k*) alibi reſponſionis loco reperimus, ſcilicet, promiſſis a Deo hic factis nullo modo contrariari afflictiones ac perſecutiones, quibus premitur Eccleſia, extraneorumque ac profanorum vim, qua videntur præpollere. *Non tranſibunt hi*, nocendi ſcilicet cauſa. Deus enim nequaquam feret, quamvis aſſultus faciant frequentes, ut ea illis protinus ſuccumbat & in poteſtatem illorum veniat; habet adhuc, quo ſe ſuffulciat ac ſoletur in ſuis afflictionibus, adeo ut nihil damni exinde ferat, ſed magis magisque ad ſtudium ac viam ſanctitatis iis incitetur & in ea confirmetur. Atque hæc ſufficiant ad probandum, ſi per *Hieroſolymam* intelligatur *eccleſia militans in terris*, ad eandem quoque ſpectare hæc promiſſa, omnique tempore eſſe completa. Sunt nihilominus quibus ea planiore expeditioreque ratione ad eccleſiam triumphantem in cœlis referre placet, cui verba ſignificatu abſolutiſſimo applicari poſſunt. *Sancta erit*. (Sanctitas Domino) omni ratione ac reſpectu, quem hoc epitheton inferre poſſit. (1) *Sancta*, i. e. *l*) *pura ab omni labe culpæ*, cujus membra erunt pura & ab omni macula & inquinatione peccati purgata. (2) *Sancta*, i. e. *m*) ſacra, Deo tota

Yy con-

b) Calv. Gvalt. *i*) Gvalter. *k*) Apud Merc. *l*) Ribera. *m*) Pet. a Fig.

consecrata ac peculiaris, atque ita *n) chara Deo & sub ejus cura, favore ac tutela* tuta ac immunis a dominatione, præda & possessione populorum profanorum, a quibus contaminari ac profanari possit. (3) *Sancta*, i. e. quæ non admittit aut novit ullum membrum profanum. *Non enim intrabit quicquam in eam, quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium facit, Apoc. 21, 27.* quod idem exprimitur his verbis: *Et alieni non transibunt amplius per eam. Alieni)* nulli sine Christo, *o) alieni a conversatione Israelis & extranei pactis promissionis*; ubi non quidem ita accipienda vox, ut nationum ferat distinctionem, & alii aliis hoc respectu sint peregrini. Etenim in Christo & in Ecclesia ejus talis distinctio locum non habet, neque ulla differentia est inter *p) Græcum & Judæum, circumcisionem & præputium*, barbarum & *Scytham, servum & liberum*, ut quis idcirco posset censeri peregrinus Ecclesiæ, *q) omnes sunt unus in eo, omnes r) Israel Dei, s) concives sanctorum & domestici Dei.* Sed *peregrini* sunt Ecclesiæ ejus, qui peregrini sunt respectu Dei & veritatis, peregrini *t) a fide*, infideles, profani & impii, hostesque Ecclesiæ. De his dicitur, non esse transituros per sanctam ejus *Hierosolymam*, ecclesiam ejus, vel nocendi, vel profanandi causa, aut si mavis, nullum iis intercessurum esse commercium cum ea. Syrus hoc loco (iis exemplaribus quæ habemus) habet ܢܥܡܪܘܢ *lo yaamerun non inhabitabunt.* Recte quoad sensum; quippe sub hebraico verbo id etiam latet, si ad literam sumatur, uti faciunt fere omnes interpretes; at subdubito, num initio auctor hujus versionis ita reddiderit, & non potius ܠܐ ܢܥܒܪܘܢ *lo necberun*, quod & radicalibus literis Hebraico congruit, & significatione, qua alii id accipiunt, quæ multo est largior, quam *habitandi*, quæ videtur fixam in loco innuere sedem, cum altera notet, eos omnino non esse venturos ac commercium in ea habituros. Quæ quod sit vera alienorum ac profanorum conditio, respectu cœlestis *Hierosolymæ* Ecclesiæ triumphantis, quo referunt, qui opinioni recens allatæ addicti sunt, hanc

n) Livel. *o)* Eph. 2, 12. *p)* Coloss. 3, 11. *q)* Gal. 3, 28. *r)* Gal. 6, 16. *s)* Eph. 2, 19. *t)* Vatabl. in 8vo.

hanc promissionem vel privilegium, ex eo palam fit, quod ab *Abrahamo* dicitur in parabola *Luc. 16, 6.* tanquam a cœlo, diviti in inferno: *inter nos & vos magnus hiatus constitutus est*, ita ut alii ad alios transire nequeant. Ea autem mutatio, quam suspicamur factam in exemplaribus Syriacis & impressis & scriptis, unius tantum literæ hallucinatione, quod facile fieri potest, a quodam prisco Amanuensi contigit, qui ܒ *b* scripsit pro ܡ *m* atque ita pro *Neebarun, transibunt, Neemarun*, habitabunt, quod cum commodum præstet sensum, factum reor, ut nemo post illum errorem in lectione subolfecerit. Equidem fieri etiam potuit, ut auctor initio ita reddiderit, sibique persuasum habuerit, idem esse, *non transibunt per eum locum*, atque *non habitabunt*, vel *non libertatem habebunt domicilium in eo figendi*, uti revera non habebunt profani sive peregrini apud fideles in Ecclesia triumphante, quo, quod hæc verba referri possint, ex ea etiam particula probabile est, quæ additur עוד *od, non amplius, vel prorsus*, qua exceptionem etiam eludit, cui videtur obnoxia altera sententia eorum, qui id trahunt ad veram Ecclesiam adhuc in his terris, licet militantem, quia sunt mixti impii & profani veris ejus membris, etsi membra non sint, sed meri extranei. Verum cum nullum prorsus sit dubium, quin & ad eam, quæ in terris est, ecclesiam pertineant promissiones divinæ, non abs re fore arbitror, cum aliis eas hic conjungere &, utramque Prophetam respexisse, statuere, utpote promissorum hoc loco factorum participem, quæ implebuntur *u) in Ecclesia militante, quæ postea fiet triumphans.* Hic quidem in terris peregrini non prævalebunt; ibi autem in cœlis nullum prorsus assultantium & invadentium vestigium.

v. 18. Et erit in die illa, stillabunt montes musto & colles fluent lacte, & omnes rivi Judæ fluent aquis, & fons e domo Domini egredietur, irrigabitque vallem Sittim.

u) Vat. Edit. in 8vo. & 4to.

Expoſita præcedenti verſu immunitate, quæ futura erat in ſancta *Hieroſolyma* ipſis, ab omni quorumcunque hoſtium impietate & violentia, ulterius hic deſcribere pergit ingentem incolarum ejus felicitatem, exhibendo eam omnium bonorum copiam, quæ ad illam pertinet, quibusque tunc temporis erant fruituri. Verba, quibus hæc continentur, *Montes ſtillabunt muſto, & colles fluent lacte &c.* primo intuitu, *R. Tanchum* auctore, præ ſe ferre videntur استعارة لكثرة الخصب والبركات *metaphoricum figuratumque ſermonem, denotantem abundantiam plenitudinis ac benedictionum.* Montes, inquit, ſtillabunt עסיס aſis, *muſto*, ut noſtrat. cum aliis non paucis habent. Non enim ſibi conſtant interpretes in hac voce vertenda tum hoc loco, tum alibi, ubi occurrit, ut *vv*) præter alia ſupra cap. 1, 5. & *Amos.* 9, 13. ubi eadem fere habentur verba, quæ hic ſunt, eaque vox עסיס aſis a noſtrat. redditur *vinum dulce, x)* in margine autem, *muſtum*, quod hic in textu habent. Chaldæus omnibus his in locis habet חמר מרית chamar merat, *vinum merum* (quod quidam vertunt *y*) *vinum inebrians*, vinum admodum forte). LXX. hic & apud *Amos.* 9, 13. γλυκασμὸν; Vulgatus, *dulcedinem. Tigur.* hic & ſupra cap. 1. *ſuccum expreſſum*, & apud *Amos. ſuccum dulcem. Caſtalio* hoc & aliis duobus locis, *laticem*, ſine ullo addito epitheto. Perquã exigua eſt hæc diverſitas, nec multum nos morari debet, quia ex notatis ad c. 1, 5. apparet hanc vocem deduci a radice עסס *aſas*, quæ cum ſignificet *expreſſit, calcavit*, proprie talem denotat ſuccum vel liquorem, qui exprimendo vel calcando ex quodam fructu aut aliis rebus elicitur, nulla ratione habita ejus qualitatis, ſitne dulcis an acida &c. Quandoquidem autem hocce modo vinum paratur cæterorumque liquorum hoc proprium habet, uti notum eſt, de eo cum primis accipi poteſt, ſi locus, ubi occurrit, id patitur; quod hoc loco quam plurimi faciunt, eoque, cum id recens plerumque ſit dulce, haud temere pro *vino dulci* aut *muſto* ſumunt; LXX. vero & Vulgatus in abſtracto pro *dulcedine*, qua tamen intellexiſſe dicendi ſunt vinũ, quod dulcedine abundat, ad ſubſtantiam ejus verius ſpectantibus, quam ad qualitatem. Atque hac ratione facillimo negotio conciliari poſſunt diſcrepantes interpretationes, omni-

vv) *Eſa.* 49, 26. Cant. 8, 2. *x*) Ut & in eo loco Eſaiæ. *y*) Bibl. Polyg.

omnibus intelligentibus dulcem ac ſuavem liquorem, qualis in deliciis habebatur ac communiter in uſu erat, quod vinum fuiſſe uvarum haud vero abſimile eſt, quanquam *R. Tanchum* ad hunc locum notat illud quibusdam inprimis denotare شراب الرمان *vinum ex malis punicis* (qua ratione accipi poſſe arbitror *Cant. 8, 2.*) licet in Rabbinico Dictionario ſuo, quod vocat *Morshed*, dicat, non poſſe ibi de ſucco malorum punicorum ſumi, ſed de vino rubro, quod colore referat mala punica (vel grana malorum punicorum). Quibus verbis ita intellectis de quodam pretioſo liquore, manifeſtum evadit, verba reliqua, *montes ſtillabunt*, non poſſe accipi ad literam, ſed metaphorice (uti diximus) & hyperbolice, ut innuant ingentem hujus liquoris copiam, qualis nullo negotio ex uvis aut ſimilibus fructibus erat proventurus, quæ tanta abundantia in montibus protuberaturæ erant, ac ſi ipſi montes ſtillarent, atque ex iis muſtum exiliret, non quod revera id facturos eſſe montes ſibi quisquam perſuadeat. Res quippe eſſet nunquam hucusque viſa, nec ullo tempore expectanda, utpote quæ e diametro creationis naturæ contrariatur. Pari modo & ſequentia verba intelligenda ſunt, *Et colles fluent lacte*, id eſt, tanta lactis copia ibi colligetur ex pecudibus pabulum his in collibus quærentibus, ut ipſi colles videantur fontes ac rivos lactis effundere, vel ipſi in lac reſoluti, quod inde deflueret. Ita enim proprie ſonant verba תלכנה חלב *telacnah chalab, defluet vel decurret lac*, quibus, ut ait Kimchi, actionem eundi ſ. fluendi, quæ lactis eſt, ipſis tribuit collibus ad innuendum mirandam ejus plenitudinem, שיוצא מהמרעה שיהיה בהם quod procedit a paſcuis (vel a pecudibus paſcuis fruentibus) quæ in iis erunt, ut explanat *Abarbinel.* Neceſſarium igitur eſt, ut magna earum rerum intelligatur copia, quæ hic deſcribuntur, aut earum nominibus comprehenduntur. Nam antequam inquiramus, an proprie ſint intelligenda, vel ſecus, oportet ad literam etiam examinemus verba quæ ſequuntur, *Et omnes rivi Judæ fluent* (vel *ibunt*, in margine) *aquis*, de quibus idem obſervat hic *Kimchi*, quod de prioribus, actum nimirum fluendi vel eundi, qui aquarum eſt, tribui loco ubi fluit. Vox enim אפיקי *Aphike*, quam noſtrat. in-

terpretantur *rivi*, ipsi videtur magis significare z) *valles*, quam aquas quæ in eis fluunt. Quoad sensum autem, nihil aliud hic iterum notatur, quam eorum magna abundantia, quæ hic nominantur. Quod etiam locum habet in sequentibus, *Et fons e domo Domini egredietur, & irrigabit* (fons qui tantam præbebit aquarum copiam, ut irrigaturus etiam sit) *vallem Shittim.* שטים *Shittim* nostrat. est proprium nomen loci, qua ratione & Chaldæo (qui scribit *Sittin*) & Syro, (qui habet ܣܛܝܡ *Sotim*) aliisque non paucis recentioribus interpretibus accipitur. Eodem occurrit etiam sensu aliis in locis Scripturæ, veluti *Num. 25, 1.* ubi *Israel* dicitur mansisse in *Shittim*, ibique commisisse scortationem cum filiabus *Moabitarum*. Rursus dicitur *Jos. 2, 1.* & *3, 1.* ut & *Mich. 6, 5.* fuisse in terra *Moabitarum* trans *Jordanem*, non procul ab eo, ita ut pro Jordane ipso eum accipiat *R. Saadias* a *Kimchi* & *Abarbinel* citatus, adversus quod a) nonnemo excipit, quod arida loca dicantur irriganda, non rivi. Verum non videtur vero absimile, illum forte intellexisse per *Jordanem* regionem ad *Jordanem*. Quod dicitur, illum irrigatum iri, argumento est, locum per se esse siccum atque procul ab *Hierosolyma* remotum, ut fons ex domo Domini egrediens necessario rivus debeat esse magnus, qui tantum aquarum atq; eousque se effundat, solumque aridum ibi irriget. Pro nomine loci proprio etiam habet eam *R. Salomo*, cujus mentio fit *Num. 25, 1.* juxta quem verba ad literam sonant, *irrigabit planum* (sive vallem *Shittim*) sensu autem allegorico, *expiabit pro iniquitate Peor.*

Verum ex interpretibus priscis sunt, qui pro nomine proprio id non accipiunt, sed pro appellativo, quod etiam interpretantur, idque non una ratione. Agmen hic ducunt LXX, qui quamvis aliis in locis, uti *Num. 25, 1.* &c. pro loci nomine habeant atque reddant σαττείμ, *Satteim*, vel σαττεῖν, *Sattein*, ut *Jos. 2, 1.* vel σαττιεῖν, *Jos. 3, 1.* tamen hic illud interpretantur τὸν χειμάῤῥουν τῶν σχοίνων (vel ut alii legunt σχοινίων) quod idem valet ac, *torrentem funiculorum.* Quo *Hieronymus* indicari putat certum mensurandi genus, quod in usu est Ægyptiis, qui numerant per funiculorum longitudinem. At alii intelligunt *juncos*, vel quoddam genus juncorum, quod vox etiam denotat,

z) Kimchi. a) Pet. a Fig.

tat, uti in quarta Oratione *Nazianzeni,* & in commentario ad hunc locum *b) Nicetas,* cui torrens vel vallis hic nominatus, eſt locus non procul ab *Hieroſolyma, aqua carens & juncos proferens.* Pari ratione id accipit etiam *Cyrillus* pro denominatione χειμάῤῥȣ τινός, *cujusdam torrentis vel rivuli, in quo creſcunt junci*, quem eundem hic innui putat, qui vocatur rivulus *Cedron* (vel a *Cedais) Joh. 18,1.*

Has interpretationes autem quamvis nemo diffiteri poſſit eſſe ſono admodum diſcrepantes, attamen quam facillime inter ſe conciliari poſſunt. Ambæ enim eundem locum notare dicendi ſunt, quatenus vox σχοῖνος ſignificat & *juncum* & *funiculum* ex juncis nexum, adeo ut eodem recidat, ſive dicamus rivum funiculorum ex juncis nexorum, ſive juncorum, ex quibus hujusmodi funiculi ſunt nexi. Eadem *funiculorum* notione hoc loco id reddit. Græcorum Latinus interpres, quamvis ambigue eandem reddat *Mich. 6,5.* ubi eadem occurrit, per *Schœnis* (quod quidem non niſi pro loci nomine habendum) quo in loco manifeſtus eſt error Arabicæ impreſſæ (quæ ex Græca in libris Prophetarum videtur concinnata) ubi habetur من جبال Men gebal, *a montibus*, diverſe admodum a Græca; cum hic convenienter ſatis redditum ſit من حبال Men Hebal, a funiculis; quod facile fieri potuit transmutatis literis ح & ج, quarum differentia tantum in addito vel omiſſo puncto ſita eſt. Quo in loco juxta *Hieronymum* & in Græca error eſt; quodſi verum, idem dicendum eſt de hoc loco. Nimirum loco σχοίνων, quod ibi a Latino redditur *Schœnis*, hic *funiculorum*, antea ſcriptum & lectum putat σχίνων, quod notat *lentiſcum* vel *maſtichen*, atque librariorum incuria converſum in σχοίνων, *funiculorum.* Quo etiam facit interpretatio Vulgati latini, qui utroque loco id habet pro arboris nomine diverſi licet generis. Qui etiamſi vocem apud *Micham* pro nomine proprio accipiat, reddendo *de Setim*; tamen hic interpretatur נחל השטים *nachal bashittim, torrentem ſpinarum*, quaſi tantundem valeret *Shittim* ac *ſpinas.* Arboris autem nomen eſſe *Shittim,* comprobatum redditur ex *Eſa. 41,19.* & ex aliis locis, ubi mentio fit *ligni*

---

b) p. 1067.

gni Shittim tanquam peculiaris notæ, atque inter præcipua censetur, quæ tabernaculo constituto in oblationem adferre jubentur *Israelitæ Exod. 25,5.* & ex quo res maximi momenti erant confectæ, ut arca, *v. 10.* vectes, *v. 13.* mensa, *v. 23.* ut & *cap. 26.* asseres, *v. 15.* vectes, *v. 26.* columnæ, *v. 32.* & altare suffitus *cap. 30,1.* Sic rursus in oblationibus, quæ a populo erant offerendæ, numeratur *lignum Shittim Exod. 35,7.* & *24.* & *Deut. 10, 3.* dicitur *Moses curasse arcam fieri ex ligno Shittim,* cui imponebat duas tabulas legis. His omnibus in prædictis locis retinetur vox hebræa in latina versione *Shittim*, ut hujus arboris cognita denominatio, hoc loco tantum & primo, qui est apud *Esaiam*, excepto, ubi redditur *spina;* Verum ex ipso hujus ligni usu constat, communem spinam nequaquam innui; quare & *c) Hieronymus* enodatius adjicit se non intelligere proprie spinam, sed arborem quæ similis sit *spinæ albæ colore & foliis, non magnitudine;* quippe tantæ est magnitudinis, ut perlati exinde parentur asseres, lignumque ejus robustum sit atque leve & pulchrum, quod cæteroquin non putrefit & corrumpitur, eoque a LXX. loco ex lege citato, redditur ἄσηπτα *imputribilia,* quæ arbor, inquit, non crescit ullo in loco exculto, aut in territoriis Romanis, sed in deserto *Arabiæ.* Quæ omnia ita profert ac si eorum oculatus fuisset testis, cui etiam hac in re fidem esse habendam censet *M. Fullerus; d) Kimchi* vero ait esse genus optimarum Cedrorum, hinc etiam *Junius & Tremellius, vallem Cedrorum lectissimarum;* qua ratione etiam *Esa. 41,19.* reddunt שטה *lectissimam Cedrum,* (ubi nostr. arborem Shittah) distinguētes eam ab ארז *Aretz* cognita ac communi cedro, cujus ibidem fit mentio, quod idem faciunt in cæteris *Exodi* & *Deuteronomii* locis, quæ ante adduximus, reddentes *ligna cedrorum lectissimarum.* Has inter differentes acceptiones vocis שטים *Shittim* nostrat. eos inprimis sequuntur, qui eam pro loci proprio habent, qui eam ob causam fortean ita vocabatur, quod multæ in eo vel *e)* circa eum hujusmodi crescebant arbores, quamvis *f)* aliis magis placeat, arbores ibi crescentes atque lignum inde delatum nomen accepisse a nomine vallis, in qua magna copia crescebant, *g) non vallem ab arbore*

c) Vide sis eum in h. l. & in Esa. 41,19. *d)* In Rad. *e)* Schindl. Ribera. *f)* Ferrar. in Diction. Syriac. in [illegible]. *g)* Ch. a Castro.

bore illa, sed vel ab oppido vel alia ratione ita dictam. Vox נחל *Nachal*, quam alii interpretantur *Torrentem*, alii *vallem*, utriusque, quod ex diversis exemplis manifeste patet, significationis capax est. Nimirum depressum notat locum, in quo aqua fluere ac recipi potest בין יש בו מים בין אין בו מים sive in eo sit aqua, sive non sit, ut hoc explanat *R. b) Kimchi*, adeo ut commode alterutra harum significationum reddi possit, prout locus, ubi occurrit, postulat, atque congruenter id fieri in aprico est. Quod ad hunc locum, ab aliis hac, ab aliis alia factum esse ratione diximus, illi tamen quam maxime hujus loci rationem videntur habuisse, qui interpretantur per *vallem*. Sunt qui Vulgat. sequuntur, & cum eo reddunt *torrentem*, quo quidem non stricte ac propria sua significatione sumunt *torrentis* vocem, sed tam late, ut etiam denotet *i) vallem* vel planitiem, quibus plerumque manant torrentes vel rivi, quamvis hoc non fit omni tempore. Qua notione eadem vox, uti observatum est, in latina versione etiam alibi usurpatur, ut *Gen. 26, 19.* ubi de servis Isaaci dicitur, *foderunt in torrente*, sicuti a *Duacens.* est redditum & in margine notatum, i. e. *in rivo, ubi interdum vehemens volvitur fluentum, interdum nihil ejus omnino.* Sic & *1. Sam. 15, 5. Tetendit Saul insidias suas in torrente*, id quod nullo alio modo intelligi potest, quam ut ab aliis est expressum, *in valle, & sic*, inquit *Pet. a Figuiero in præsenti* loco, quem in Dictionario etiam suo citat *Kimchi* exempli loco, quo probat נחל *Nachal* denotare *vallem* aqua & scatentem & carentem. Quodsi enim aquis abundet, ut irrigetur *k)*, opus non est.

Quod autem dicitur, *fons egredietur ex domo Domini & irrigabit vallem*, non parum convenientiæ habere videtur cum eo, quod extat de sacris aquis *Ez. 47, 1.* &c. & vivis illis aquis, quæ dicuntur egressuræ ex *Hierosolyma Zach. 14, 8.* Hinc observatum est de hoc loco *R. Tanch.* הדא ממא ינאסב קול זכריה *Hoc convenit cum eo quod dicitur apud* Zachariam, *vivæ aquæ egredientur ex* Hierosolyma; quo etiam spectat fluvius, cujus mentio fit apud *Ezechiel.* & ad horum verborum genuinum sensum eruendum Clariss. *Livel.* censet illarum cum his fieri oportere comparationem.

Hisce de verborum significatione traditis, reliquum est, ut inquiramus,

h) Pari modo in Rad. ut & R. Tanchum. *i)* Pet. a Fig. *k)* Id.

ramus, quo tempore ac qua ratione præstita sint, quæ hic promittuntur, sintne ad literam hæc dicta sumenda an figurate? *Abarbinel* annotat *Aben-Ezram* solum *l)* dicere שהיה זרם משל hæc verba esse dicta *parabolice* vel per similitudinem, & e contrario *R. Salomonem* שהוא כפשוטו quæ dicta sunt, *simpliciter & ad literam* esse sumenda. Quare etiam *Kimchi* והוא כמשמעו *hoc ita esse accipiendum, ut sonat*, cum eorum tamen nemo ulterius explanet, quid intelligendum esse putet. Sensum hic sibi peculiarem eruit *Abarbinel*, qui cuique harum sententiarum egregie accedit; juxta eos, qui ad literam hæc verba sumunt, miraculum hic esse promissum censet, quo erat futurum, ut, cum antea magna aquarum *Hierosolymæ* esset inopia, adeo ut in usum adhibendæ essent aquæ puteanæ in lacubus & cisternis collectæ, prout habetur apud *Esaiam: in aquæductum superioris lacus cap. 7,3. & c. 36,2.* tempore liberationis, quo hæc respiciant, omnium rerum afflueret abundantia, Deoque *m), creationem creante*, nullius rei esset defectus, ita ut vivarum aquarum fons in ea futurus sit, qui ex domo Domini egredietur, unde omnibus mundi incolis facile erit conjectu ac intellectu, statum hujus regionis protinus esse mutatum, rupemque durissimam, & arentem, a Deo conversam in aquarum fontem idq; unice in gratiam *Hierosolymæ*. Quam promissionem nil in se continere dicit mirandum, majoribus quippe aliis hic extantibus, quas Propheta facit. Atque hanc putat locum habere sententiam verbis ad literam acceptis. Si vero היעיר הזה משל expressiones, quibus continetur hæc promissio, *sunt figuratæ* ac metaphoricæ, quod, inquit, mea opinione היותר מתישב *est solidius & magis conveniens*, ad illud tum respicit quod a Propheta *n) Esaia* prolatum est, quod ultimis temporibus *mons domus Domini constitutus fuerit in vertice aliorum montium, & multi populi ascensuri accipientes legem & dicentes: Ex Sione prodit doctrina & verbum Domini Hierosolyma.* Cum enim lex & doctrina divina ob similitudinem, quam inter se habent, aquæ comparetur, promissionem hic facit Propheta, fore ut divina veritas (vel vera Dei cognitio) prodeat ex *Hierosolyma*, ex domo Domini in omnem mundum, dicendo, *& fons egredietur ex domo Domini & irri-*

l) Ita certe dicit initio versus. *m)* Vel novum quid condente Num. 16,30. *n)* Esa. 2,2.

irrigabit vallem Shittim, ac ſi diceret,totum irrigabit mundum,qui eſt vallis,in qua oberrant & declinant,qui dictis Domini non ſunt obedientes. Quo etiam faciunt verba *Zachariæ c.14,8. Erit die illo,prodeuntibus aquis vivis ex Hieroſolyma parte ſui ad mare Orientale & parte ſui ad mare poſterum,quod æſtate & hyeme futurum eſt.* Quod idem ſubjungitur (uti hoc loco) prædictioni ingentis belli,quod ultimis temporibus futurum eſt, cui poſtea ſubjicitur: *Et Dominus erit rex ſuper totam terram,& illo die erit unus Dominus & unum ejus nomen.* Atque hunc in finem mentio facta eſt fontis,qui huic rei præfigurandæ valde accommodus eſt.Comparatio enim revera ſublimis eſt atque mirandum in modum inſigniterque, eo, quod dicitur,ex *Hieroſolyma* (quæ erat terra arida aquis deſtituta) *prodibit aqua viva,* quæ ad mare usq; ſe effundet, exprimens; ex *Hieroſolyma,* quæ *o)* tributaria erat atque igne *p)* deleta & everſa,prodituram eſſe legem,doctrinam & veram fidem ad omnes incolas mundi. Has expoſitiones *Abarbinelis* paulo largius apponere viſum fuit, quæ alibi in Judaicis interpretibus tam diſerte non habentur,ut conferri queant cum illis,quas præbent Chriſtiani,quos non minus invenimus alios magis adhærentes literæ,alios ſenſui figurato. Prioribus annumerandus eſt *Grotius,*qui ita exponit hæc verba: *omnes rivi Judæ fluent aquis,*ac ſi populus ab hoſte liber & in magno otio oblimatas foſſas detergeret,ut liberæ ac impræpeditæ fluerent. Fontem autem, qui *egredietur ex domo Domini & vallem Shittim rigabit,*putat aquæ ductum eundem fore,qui deſcribitur ab *q)* *Ezechiele,*quod a templo *ad mare mortuum* usque exæſtuaturus ſit. At vulgare quid juxta hanc expoſitionem in his verbis tunc latere manifeſtum eſt,cum tamen, quod *Abarbinel* notat,inſoliti ac mirandi nonnihil complectantur,quod expectare jubentur. Quare rectius ab aliis figurate accipi videntur,quibus in genere magis declaretur,quænam bona Deus collaturus ſit in membra Eccleſiæ. Per fontem inde proditurum *r)* quidam ſacrum illud baptiſmi lavacrum, quod eſt fons apertus domui Davidis & habitatoribus *Hieroſolymorum in s) expiationem peccati, & pro ſeparatione ex immunditia, Ezech. 13,11. t)* ; Alii *fontem verbi Domini* intelligunt. Quod utrumque quidem ita non incongrue

 ſumi

o) למס. *p)* Pſal. 80,16. *q)* Cap. 47. *r)* Vid. Merc. & Tarn. *s)* Jun. Trem. *t)* Merc.

ſumi poteſt, verum talis præterea mihi videtur hæc vox naturæ, ut cætera etiam omnia complectatur beneficia in membra eccleſiæ a Deo collata Hinc accommode ſatis ipſe *u) Chriſtus* intelligendus per fontem, atque per aquas ab eo fonte defluentes, tum ſacra Dei decreta & ordinationes, tum omnia Spiritus ejus Sancti dona & beneficia ad eorum ſalutem ſpectantia & ad gratiam gloriamque a Chriſto derivatam pertinentia, ab eoque & per eum in illos benigne collata, ita ut ad ſtatum eccleſiæ Chriſtianæ militantis æque ac triumphantis univerſum hæc promiſſio pertinere ſtatuatur, qua illos certos reddat de omnium bonorum ad veram utriusque ſtatus felicitatem ſpectantium abundanti ſuppeditatione. Quando dicitur, fontem irrigaturum vallem Shittim locum procul diſtantem ab *Hieroſolyma*, ubi domus erat Domini, ex qua dicitur egreſſurus, notari hic cum quibusdam obſervare juvat, benignitatis divinæ atque favoris largam extenſionem, *w) Dei* ſcilicet *benedictionem longe lateque diffuſum iri*, ita ut univerſam *Eccleſiam perfundat*, atque adeo non fore circumſcriptam arctis Hieroſolymæ vel terræ ſanctæ limitibus, ſed dilatatam ad remotiſſimas incultismasque gentes evangelii prædicatione, cujus *x*) ſonus in omnem debeat exire terram & verba ejus ad ultima orbis terrarum.

2. Quod ſi hunc locum (vallem Shittim) conſideremus tanquam locum ſiccum ac ſterilem, nullius rei præterquam ſpinarum ac juncorum feracem, per fontem, qui irrigaturus ac proditurus eſt ex domo Domini, efficaciam gratiæ divinæ per evangelium collatæ intelligere poſſumus, qua, qui natura ſunt ſteriles ac fructuum bonorum expertes, idonei redduntur, ut ferant bonos fructus. Hanc ejus efficaciam quidam his verbis putant innui, quamvis alia ratione ea vertant, uti *Junius & Tremellius*, qui interpretantur, *irrigabit vallem cedrorum lectiſſimarum*; ad vallem autem notant, eam eſſe eccleſiam, *in qua juſti plantati creſcunt ut Cedri lectiſſimæ*, juxta comparationem quæ eſt *Pſal. 92,12. Juſtus ut palma germinabit, ut cedrus in Libano creſcet.*

3. Quod ſi ad beneficia & benedictiones divinas attendamus, quatenus comparantur rivis aquarum perpetuo flutentium, quid aliud hocce

u) Cyrill. *ww*) Livel. *x*) Rom. 10,18.

hocce significari dixeris, quam eorundem & abundantem communicationem & perpetuam continuationem, quibus servos suos Deus instruet. Quæ ex fonte continuo profluunt aquæ, non tam facile deficiunt, quam aliæ, quibus hujusmodi adminiculi nihil est. *y) Quodsi alii fontes aliquando aruerint, hic nunquam arescet, qui a domo Domini egreditur.* Quocirca merito dicendum, hisce expressam esse perfectissimam felicitatem & lætitæ abundantiam, qua in vita futura continuo ac indesinenter fruituri sunt in conspectu Dei sancti bibentes ex torrente *z)* deliciarum ejus & ab *a)* agno ducti ad vivos fontes aquarum. Atque hunc felicem statum *b)* quidam hic egregie depingi censent, licet non minus apte etiam benedictiones eæ innuantur, quibus membra ecclesiæ hujus militantis hac in vita adhuc fruuntur.

Quascunque vero adduximus hactenus opiniones considerationesque, certum est, eas ab his verbis nobis suggeri & in eis esse comprehensas. Manifestum enim est, quamcunque demum harum quis prætulerit, ea continere magnorum ac eximiorū privilegiorum promissiones populo Dei factas, quibus ejus ac illorum hostes nunquam sunt gavisuri. Dilucide enim tradit in sequentibus, quam diversa eorum futura sit conditio.

v. 19. Ægyptus in desolationem erit, & Edom in desertum desolatum propter injuriam filiorum Judæ, quia effuderunt innocentem sanguinem in terra eorum.

Quinam intelligendi sint per gentes hic dictas, non una est interpretum tum Judæorum tum Christianorum expositio. Quidam easdem hic spectari putant, quæ nominetenus sunt descriptæ; alii laxius ea nomina sumunt, ut sub iis etiam comprehendant alios, qui in iis, ob quæ hic reprehenduntur ac minis impetuntur, se illis similes reddiderunt. Ex Judæis est *R. Salomo*, qui propria ac liberali notione hæc verba videtur accipere, præterquam quod quicquam ulterius addat in ejus rei explicationem, ubi dicit, non *c)* superstitem fuisse *Edom* sine *Ægypto*, ideoque & has inter se esse conjunctas gentes in vindictâ, quæ ab eis erit sumenda. Eodem modo hæc etiam accipit *Aben Ezra*

y) Ribera *z)* Psal. 36, 6. *a)* Apoc. 7, 17. *b)* Ribera. Ch. a Castro *c)* 1. Reg. 11, 17. &c.

cum dicit, eas fuisse desolatas tempore *Nabuchodonozoris* (atque ita hæc prophetia tunc temporis eventum suum habuit;) quod si autem objiciatur Ægyptum superstitem mansisse, resolutionem ejus addere videtur dicendo, *Ægyptum* (sive primariam ejus civitatem, uti mihi sentire videtur) non fuisse priscam illam Ægyptum (vel civitatem.) At non probat hanc opinionem *Abarbinel* hoc argumento impulsus, quod, incolis licet ac semine metropoleos mutato, nequaquã sit mutata, sed eadem adhuc gens, populus atque posteri veterum *Ægyptiorum* permanserint, ex quo patere vult prophetiæ eventũ suo tempore adhuc esse expectandum. Alia hic procedit via *R. David Kimchi*, quippe non proprie his nominibus arbitratur harum regionũ incolas designari, sed *Ismaelitas* (vel *Mahumedanos*) & *Romanos*. Hæ enim, inquit, nationes duæ sunt, quæ prævalent his jam multis annis, eruntque prævaliture עד עת הגאולה usque ad *tempus redemtionis*. *Ismaelitas* putat denotari *Ægypti* nomine, quia uxor Ismaelis Ægyptia fuit; Regnum Romanum nomine *Edom*, quia magna ex parte, sua quidem opinione, continet *Idumæos*. Et quamvis inter illos permixti sint alii populi, uti permixti sunt etiam in Regno *Ismaelitarum*, appellari tamen ab eo, quod est præcipuum. *Cæsar*, inquit porro, (primum intelligat necesse est) *Idumæus* fuit; sic quoque omnes imperatores post eum, qui Romæ fuerunt. Atque hæ duæ nationes, pergit, male egerunt tribui *Judæ* & *Benjamin*, quæ exules agebant inter illas, & sanguinem eorum fuderunt ut aquam in terra sua. *Et Edom*, quod est regnum *Romanum*, erat, quod vastabat domum secundam per *Titum*, & sanguinem eorum fuderunt, & captivos abduxerunt inter gentes. Et de hoc exilio, ait, dictus est hic versiculus; quapropter non nisi Judæ fit mentio, quia decem tribus, quas in exilium abduxit Rex Assyriorum, nec usque in hodiernum diem sunt reversæ, non fuerunt sub ditione harum duarum gentium. Hæc est sententia *Kimchi*, quam fuse hic subjicere libuit. Videtur ei succinere *Abarbinel*, licet in quibusdam ab eo discedat, e. g. quod proprie hic sermonem esse velit de populo *Ægyptio*, quem hic nominari putat, quia ingentis illius belli, quod supra memoratum est, æstus primus ad eum penetrabit, quatenus Christiani in potestatem suam redigere cupientes terram *Israelis* destructuri sunt Ægyptum ac

ad

ad internecionem deleturi, terramque *Judæ* ac *Hierosolymæ*, quibus tunc dominabitur Ægyptus, in ditionem suam recepturi. Quo fiet ut populi Orientis ac Septentrionis vindictam sumturi propter fusos *Ægyptios* fratres, ac recuperaturi sanctam terram a possessione Christianorum, resurgant ac bellum cum Christianis suscipiant, quo tempore tanta erit ruina regni *Edom*, ut, quod unquam in aliis gentibus factum non legimus, nemo incolarum ejus superstes relinquatur &c. Frivolæ sunt ac nulla firma ratione stant hæ expositiones *Kimchi* & *Abarbinel*, quod rationibus *d)* non unis probari posset; verum cæteris posthabitis una nobis sufficit ad eas rejiciendas, quod nitantur hoc principio falso, *Messiam* nondum venisse, cujus adventum hæc putant præcessura, viamque paratura ad ejus regnum, quo Judæi in felicissimam super omnes gentes conditionē & statum sunt evehendi. Quod omnino consentaneum non est uti Veteris, ita nec Novi Testamenti scriptis, quibus persuasi sumus eum jamdiu venisse. Adeo ut alibi nobis quærendum sit, si genuinum velimus horum verborum sensum percipere, ubi non in dubium vocatur præcipuū hoc fidei nostræ caput. Quare ad Christianos ut deflectamus eorumque hic opiniones scrutemur, tempus ac locus quam maxime monet. Horum non infimus est *Grotius*, qui proprie hic accipit nomina *Ægypti* & *Edom*, quodque Ægypto hic videmus prædictum, impletum fuisse autumat diripiente eam *e) Antiocho*; quod autem Idumæis, vastantibus eam *f) Maccabæis*. Verum alii tam præcise non restringunt hæc verba ad eas gentes hoc nomine designatas, sed ad omnes alias laxiore significatione trahunt, quæ sunt hostes ecclesiæ ac populi Dei quocunque tempore, uti *Ægyptii*, & *Idumæi* fuere *Judæorum*, qui tum temporis Dei erant peculium. Cum vero dicuntur in desolationem traditi, id ita sumunt, quod contraria sit futura eorum conditio felicissimæ illi, quæ in præcedentibus verbis populi Dei describitur. Cum populo Dei hic promissio sit ingentium beneficiorum ac benedictionum hujusmodi exprimendi formulis, quod *montes musto stillabunt, colles lacte diffluent,*

&

d) Inspice Petri a Fig. censuram Kimchi. *e)* Huncin finem citat Dan. 11, 40. &c. cujus annotationes vide. *f)* Quod probare conatur ex Joseph. XII, 11, 12 & Esa. 63.

& omnes rivi fluent aquis, & quod *irrigabuntur continuo a fonte, qui egredietur e domo Domini*, hostibus Dei e contrario prædicitur, ipsos eorum nunquam fore participes, nec eorum quicquam adepturos, quibus illi fruuntur, sed dum videantur florere ac prospere agere; eorum conditionem futuram esse in desolationem & in desertum desolatū; quod idem & alibi illis prædicitur. *Qui oderunt justitiam, disperdentur*, Psal. 34, 21. Quibus nihil aliud intelligendum in promtu est, quam omnibus bonis eos fore destitutos & omnibus malis excruciandos. Non parum jam in his terris diversus filiorum Dei ac ejus illorumque hostium conditio apparet, unde conjiciendum, quanta illa futura sit in futuro seculo, quo quidem in specie hæc referenda esse *g)* nonnulli judicant. *h) Asseritur hujus promissionis veritas etiam in hoc seculo, quando Christus in medio inimicorum suorum dominatur, suosque inter quotidianas afflictiones protegit, & exempla in hostes suos horrenda edit, plene tamen præstabitur in cœlis*, quando omni metu ac periculo exemti in æternum cum Christo regnabunt, eorum autem hostes in perpetuum disperdentur ac destruentur. *i)* Alius censet in *desolationem esse*, idem valere ac, *æternæ damnationi esse addicendos*. Erunt, inquit non nemo, *k) in deserto perditionis, sc. infernalis*. Cur autem tam horrenda illos maneant, ex sequentibus videre est: *Propter injurium filiorum Judæ, quia fuderunt innocentem sanguinem in terra eorum. Propter injuriam filiorum Judæ*; ita enim ad literam sonant verba hebraica מחמס בני יהודה *Mechamas bene Jehudah*. Similem habemus constructionem apud *Obad. v. 10.* מחמס אחיך יעקב mechamas achica yaacob, *propter injuriam fratris tui Jacobi*, vel ut nostrat. recte vertunt, *propter injuriam adversus fratrem tuum Jacobum*. LXX. ut & Syrus & Arabs in versionibus suis fixius adhærent literæ (veluti, *ἐξ ἀδικιῶν υἱῶν Ἰούδα ex iniquitatibus filiorum Judæ*) obscuritate involventes verba, quamvis sensus necessario sit idem. Nec eadem hic iterum interpretum est mens, quinam per filios *Judæ* sint intelligendi. Qui juxta literam sumunt *Ægyptum* & *Edom* pro populis suis proprie dictis, *per filios Judæ* quoque non denotari volunt, nisi incolas regionis hoc nomine cognitæ; Qui vero sub his nominibus omnes ecclesiæ Dei comprehendunt

g) Vid. Lyram. *h)* Gvalt. *i)* Vide Veil. *k)* Lyra.

dunt hoſtes,per filios *Judæ* inprimis intelligunt *l)* eccleſiam Dei ejusque membra. Adverſus quam,qua ratione etiam ſumas,injuriæ ab hoſtibus admiſſæ gravitas ac magnitudo ulterius exprimitur his verbis; *quia innocentem ſanguinem fuderunt in eorum terra ;* Non bonis ſuis tantum ſpoliaverant eos, quod *m)* quidam in prioribus verbis per injuriam volunt denotatum; ſed eo usque etiam proceſſerant,ut innocentem etiam profudiſſent ſanguinem in terra eorum; illorum ſanguinem qui innocentes reſpectu quodam erant, atque tam funeſta & crudelia non commeriti fuerant. Differunt hic aliquatenus in his verbis reddendis interpretes quamvis ſenſui nil differentiæ inferant. Quidam cum noſtrat. reddunt, *quia* &c. *n)* Alii *& quòd* &c. *o)* Alii, *qui inſontem ſanguinem in terra ſua fuderint.* Vulgat Lat. *& effuderunt* &c. *p)* Alii, *in quorum terra effuderunt ſanguinem innocentem. q)* Alii, *quorum* &c. At, ut diximus, non quicquam mutant ſenſum hæ differentes interpretationes. Majoris momenti erit ratio affixi in verbis poſtremis בארצם *in terra eorum*, ad quam nam regionem id ſit applicandum, num ad terram *Ægypti* & *Edom*, an filiorum *Judæ* , quod adeo ambiguum videtur *Kimchi*, ut ad utramlibet referri poſſe tantum dicat, nihil autem quicquam in aliquam partem determinet. Ad utramque hoc referri poſſe cenſet etiam *Calvinus*, ſi ad priorem,tunc innui putat,eos trucidaſſe injuſte illos,qui in fidem eorum ſe receperant in regione refugium ſibi quæritantes; ſi ad poſteriorem, crimen illorum aggravari autumat,quatenus regionem,quam impollutam ac ſacram ſibi reddiderat Deus, injuſtis polluebant homicidiis. At ea ratione hæc verba inprimis videntur reſpicere ad incolas terræ *Judæ* , atque non omnia Eccleſiæ membra ſua cujusvis in regione, quæcunque ſit, quo a quibusdam latiſſime referuntur, complecti, quod quidem ingentis ac immanis crudelitatis adhuc indicium. Verum ad quem demum cunque hoc retuleris locum, id extra omnem controverſiam eſt, innocentis ſanguinis fuſionem eſſe tam deteſtandum peccatum, ut certiſſime graviter in eos Deus ſit animadverſurus qui ejus cenſeri poſſunt rei. Quod verbis minacibus hic prædicitur, quæ ta-

l) In Eccleſiam , Merc. *in pios quosvis.* Tarnov. *m)* Pet. a Fig. *n)* Pagn. Munſt LXX. Sa. *o)* Chald. Caſtal. *p)* Jun. Trem. vide MS. Arab. *q)* Vatab. in 4to & 8vo.

men etiam admonitionem ac ſolatium complectuntur ratione perſonarum habita, ad quas ſunt directa. Minæ hic ſunt factæ hoſtibus populi Dei, quod apertum eſt, qui pro ſua crudelitate ac violentia in eum admiſſa, non obſtante præſente felici ſtatu, quo gaudeant ac prævaleant, tandem aliquando certiſſime caſtigabuntur ac funditus & ad internecionem usque evertentur. Nec ſolatio ſunt deſtituta, quod non minus manifeſtum eſt, quo frui poteſt ejus populus, quatenus calamitates, quibus vexatur ob cultum divinum, non argumento ſunt, eum a Deo eſſe relictum, ſed pretioſum eſſe ejus ſanguinem in conſpectu Dei & tempore ſuo vindictam eſſe ſumendam de illis, qui eum fuderunt atque ei violentiam intulerunt, quod etiam ſimul neceſſario includit reſtitutis promiſſum, quo Deus rependere velit mala, quæ tam injurioſe paſſi ſunt, & in ſempiterna recipere habitacula pro momentaneis ac caducis rebus, quibus hic caruerunt, quod hic tantum ὡς ἐν παρόδῳ ſuggeritur, cum verba in ſpecie ſpectent hoſtium ſupplicia, verum uberius nos eam rem docebunt verba ſequentia.

v. 20. Sed Juda in æternum habitabit, & Hieroſolyma a generatione in generationem.

Recenſitis eorum ſuppliciis in præcedenti verſu, qui ſub nomine *Ægypti* & *Edom* innuuntur, promiſſa jam e contrario facit illis, qui *Judæ* ac *Hieroſolymæ* notatione veniunt. Quinam ſint intelligendi per illos priores juxta interpretum diverſas opiniones, ſat ſuperq; ea verba enucleantes vidimus; quare ut & in hos inquiramus, qui hic nominantur, æquum eſſe cenſemus. Ubi in easdem iterum videmus diſtrahi diverſas ſententias eosdem interpretes, aliis ad literam ea, quæ hic nominantur loca intelligentibus, aliis ad figuram confugientibus, qua tam late accipiunt verba, ut non dictos præciſe ſpectent, ſed omnes illos, qui hoc reſpectu non ſecus atque *Iſrael* vetus, poſſent dici ad Deum peculiari modo pertinere, atque ab eo præter cætera loca ac perſonas quasvis tantopere diligi, ut iis accommodari poſſit quod hic promiſſum eſt; *in æternum habitabit & a generatione in generationem.* Antequam vero illis examinandis plus operæ collocemus, ordine prius ſuo & ad literam inſpicienda eſſe hæc verba neceſſarium duximus.

Juda

Judæ habitabit in æternum &c *Judæ* vox nota eſt ac ex uſu,quo alibi in ſacris literis venit, *populum* vel *tribum* illam notat, quæ originem ſuam debet Patriarchæ *Judæ*, cujus nomen incolæ iſtius regionis, vel partis, quam inhabitabant ac poſſidebant, geruntatque ab eo *Juda* vocantur.Pari modo & per *Hierosolymam* vel ipſa urbs, quæ hoc nomine nemini non cognita eſt, vel hujus urbis incolæ denotantur, quod ut ex quibusdā aliis ſcripturæ locis apparet, ita ſatis obvium eſt ex eo quod dicitur *Matth. 3, 5. Tunc exivit ad eum tota Hierosolyma & tota Judæa:* De his dicitur hic תשב *Tesbeb,* quod verbum ſi ita reddatur, quomodo a noſtrat. Redditum eſt, *habitabit*, ad populum vel incolas *r)* videtur referendum; ſin, *permanebit*, ut nonnullis perplacet, ad utroſque ſive ad populum ſive ad locum referri poſſe patet. Ad locum id refert Vulgatus Latinus, *Juda* mutata in *Judæa*, & verbo in paſſivum converſo, *habitabitur*, quod etiam LXX. faciunt. Idem tamen ſine ſenſus ulla immutatione hic innui liquet, quamcunque illarum interpretationem ſecutus fueris, nimirum hæc loca perpetuo (id enim inferunt voces *in æternum, a generatione in generationem)* permanſura eſſe habitabilia, progeniemque incolarum antiquorum in eis habitaturam. Ita ad literam ſonant hæc verba; quo ſenſu retento etiam Judæi ſtatum hic felicem prædici volunt, quo *Juda* & *Hierosolyma*, quæ jam deſolatæ ſunt, poſtea reſtaurabuntur ac perpetuo colentur, בימות המשיח *temporibus Messiæ*, quibus שכינה *Shechinah*, vel præſentia majeſtatis eo redierit, ut ad verſum ſequentem notat *Kimchi*; vel promiſſionem eſſe ſpectantem לעתיד לבוא *ad tempus futurum*, qua DEUS populum Iſraeliticum certum reddit, fore שלא תשוב עוד לכסלה ולא תגלה עוד בגלות אחר *ut non amplius posthac sint in contumaciā, nec in ullam abducantur captivitatem* (uti in hæc verba *Abarbinel*) ſed ut regnum *Judæ* & *domus Davidis*, quæ dominabitur *Israeli* & *Hierosolymæ*, quo nomine comprehenduntur omnes civitates Iſraelis, permaneat in æternum בשובה ונחה ובדבקות האלהי *s) in reversione & in tranquillitatē & fiducia in Deum.*

Sed falſis eorum opinio nititur principiis falſaque hypotheſi, Meſſiam nondum veniſſe, venturumque erecturum eſſe regnum terre-

 num

r) Ita in MS. Arabic. تعمر & تعمل *s)* Eſa. 30, 15.

rium omni felicitate affluens. Quod quam parum congruat veritati, cuivis obvium erit, qui non gravabitur prophetias de eo ac regno ejus historiamque veteris ac eventum in Novo Testamento inspicere atque comparare. Quorum alterum nobis exhibet, quid de eo futurum esset, alterum quantum & quatenus id sit impletū, quid adhuc supersit & quomodo id quoque sit implendum. Adeo ut manifestum sit, eum & jam venisse & jam dudum esse præstitum, quod ab eo expectabatur, idque ea, qua fas erat, ratione, quod autem nondum completum esse animadvertimus, id pertinere לעתיד לבוא *leatid lebo* (ut nostras faciamus illorum loquendi formas) *ad futurum* i. e. ad mundū futurum. Quocirca alio nos conferamus necesse est, si verum horum verborum sensum velimus, nihil hic inventuri quo acquiescamus.

Ex Christianis ad eum statum Judæorum hæc referrē videtur *Grotius*, quo erant in regione sua deletis hostibus *Ægypti* & *Edom* eoque pacato rerum statu hæc putat esse impleta, quo non paucos annos fruebantur tempore, quod elapsum est inter reditum ex captivitate Babylonica & destructionem Romanorum. Ne autem quis ei opponeret, quod *habituri sint vel permansuri in æternum & a generatione in generationem*, ita has expressiones explicat; *per longum tempus in pace erit, & per aliquot hominum ætates.* At id nimis longe videtur abesse ab eo, quod hic dicitur & hæc loquendi formula plerumque significari solet. Hinc *t*) aliorum magis fixum sedet animo, hæc nondum evenisse, nec *Judæ* terrestri esse præstita, nec a *Juda* & *Hierosolyma* proprie & ad literam esse expectanda, sed melius applicanda ad ecclesiam Dei, quæ eorum locorum gestat nomina, ubi olim propria ac peculiaris erat sedes, promissionemque hic factam insigniter convenire ecclesiæ militanti atque (verius etiam) triumphanti.

Ne autem lectorem fatigemus enumerandis diversis in eundem scopum collineantibus sententiis, omnium loco tanquā in compendio apponere lubet, quod egregie commentatus est *Gvalterus* tum ad ea quæ prædicta sunt supplicia Dei hostibus sub nomine *Ægypti* & *Edom*, tum ad ea, quæ promissa sunt ejus populo sub nomine *Judæ* & *Hierosolymæ*, hisce verbis: *u*) *Asseritur bujus promissionis veritas etiam in*

t) Vid. Chr. a Castro *u*) Huic adjunge Danæum

in hoc seculo, quando Christus in medio inimicorum suorum dominatur, suosque inter quotidianas afflictiones protegit, & exempla in hostes suos horrenda edit: plene tamen præstabitur in cœlis quando extra omnem teli jactum constituti, cum Christo æternum regnabimus. Ipsa perpetuitas, inquit, quæ hic promittitur, argumento est dilucido, hunc locum non accipiendum esse de carnali *Juda*, sed de spirituali, i.e. Ecclesia, gente judaica (carnali *Juda*) dudum terra promissa expulsa, regimineque tum ecclesiastico tum politico amisso. Quod vero ad ecclesiam (militantem his in terris) ejusque durationem in omne ævum attinet, id ipse Salvator, cum adhuc visibili esset in terra forma, hinc ascensurus in cœlum, ipsi fecit promissum: *Vobiscum sum usque ad finem mundi Matth. 28, 20.* Quodque nunquam sit desitura, ex eo liquet quod, cum Christus secunda vice in fine mundi venerit, superfuturi sint eorum nonnulli, qui in cœlestem *Hierosolymam*, triumphantem illam ecclesiam in cœlum transferentur, ubi in æternum cum eo regnabunt, uti & ex *Matth. 24, 31.* ubi dicitur se missurum esse Angelos suos, & congregaturum electos suos a quatuor ventis, ab uno extremo cœlorum ad alterum; & ex S. Paulo *1. Cor. 15, 51.* qui non omnes dicit esse obdormituros sed omnes immutatum iri, & *1. Thess. 4, 15. & 17.* de membris ecclesiæ Christi ait, *fore, ut vivi qui reliqui erunt in adventu Domini, rapiantur simul cum eis, qui obdormierint, in nubes in occursum Domini in aera & ita semper cum Domino sint.* Ita ut omni ex parte, literaque & sensu horum verborum, *in æternum & a generatione in generationem*, stricte observato, quatenus denotant perpetuitatem & æternitatem, ecclesiæ Christi, non alii *Judæ* & *Hierosolymæ*, conveniat.

Huc w) ejus redit expositio, quam tam fuse hic adducere allubuit, quia complectitur quicquid ab aliis Christianis in explicationem hujus loci fere adducitur, cujus sensus etiam breviter ac perspicue exprimitur a Reverend. Episcop. *Hall.* qui hæc verba ita παραφράζει: *At electi Dei habitabunt in æternum in ejus sancto habitaculo, & postquam ex ecclesia militante in terris translati fuerint, regnabunt in gloria cœlorum sine fine.*

w) Qua cum etiam comparari potest expositio Danæi.

Qua ratione autem favorem ſuum ac curam, quam eorum,præter perpetuam conſervationem,gerit,ſit declaraturus,ſit palam ex eis, quæ ultimo hocce verſu exhibentur.

21. *Nam purgabo eorum ſanguinem, quem non purgavi, Dominus enim habitat in Sione.*

Tanta in hoc verſu eſt eorum varietas,qui genuinum ejus ſcrutantur ſenſum,quanta non eſt in ullo alio hujus prophetiæ,ne dicam,totius S.Scripturæ,adeo ut non videā qua ratione lectori poſſit fieri ſatis, niſi earum, quas reperio præcipuas opiniones,ſeriem pertexere, aggrediar. Verba hebraica ita habent ונקיתי דמם לא נקיתי *venikketi damam lo nikketi*,quæ ad literam ſonant: *& mundabo ſanguinem eorum,non mundavi*,quæ uti varie poſſunt diſtingui ac conſtrui, varieq; ab interpretibus juxta varias, quas habent, ſignificationes,redduntur atque ſupplentur,ita variæ etiam eorum ortæ ſunt opiniones,quarum epitomen hic ſubjicere viſum eſt. Initium facimus a Judæis,quos inter *R. Tanchum* inprimis quatuor recenſet, quas hæc verba interpretationes ferre poſſunt.

1. Ut affixum in voce דמם *damam,ſanguinem eorum*,uſitata ſanguinis ſignificatione retenta,referatur ad *Iſraelitas*, ac ſi ita haberent verba ואם נקיתי דמם לא נקיתי, i.e. *&*, vel *ſed ſi purgabo, non purgabo ab eorum ſanguine*, i.e. etſi purgaturus (vel abſoluturus) ſim eorum hoſtes ab omnibus aliis peccatis,attamen non abſolvam eos ab eorum ſanguine,videlicet *Edumæos* & *Ægyptios* antea dictos,ſed exigam ab eis, vel vindicabo ſanguinem *Iſraelitarum* ab eis fuſum,& nunquam hoc illis condonabo.

2. Ut ad eosdem quidem *Iſraelitas* referatur affixum,ſed ſanguis eorum accipiatur pro peccatis eorum, qua ratione ſumtum arbitratur *Hoſ.12,14*. Atque verbum bis repetitum נקיתי *nikketi*, quod noſtrat. interpretantur notione *purgandi*; priore quidem loco accipiendum ait,ſignificatione purgandi,uti in his verbis ונקתה ונזרעה זרע quæ noſtrates reddunt, *libera erit & conſequetur ſemen, Num.5,28.* quaſi eſſet; *reddam eos puros vel inſontes eorum peccatorum*; poſteriore autem loco ſignificatione الاستيصال *prorſus tollendi vel immunem reddendi,*

quo

quo pacto accipi illud sibi persuadet, *Jer. 30, 11.* ונקה לא אנקך *venakkeb lo anakkecah*, ex interpretatione nostratium, *& non relinquam te prorsus immunem;* cum Chaldæus reddat ושיצאה לא אשיצנך *& perdendo te non perdam;* & Pagn. *& succidendo non succidam te;* & in eandem sententiam quidam alii: atque idcirco idem hoc valere vult atque, *ego repurgabo eorum peccata & non (rigide) puniam eos ad extremam eorum destructionem;* ita ut aliud affixum ultima vox requirat ac si haberet, ונקיתי דמם ולא אנקם *Purgabo* (vel tollam) eorum sanguinem, i. e. *eorum peccata, & non prorsus tollam vel protinus destruam eos.*

3. Ut vox דמם *damam, sanguis eorum*, iterum sumatur notione ذنبهم danbahom, *eorum peccatum*, atque affixum ם, *m, illorum*, referatur ad hostes, verbumque נקיתי priore loco accipiatur significatu الاستيصال *radicitus evertendi*, vel *exigendi ad ultimum supplicium*, posteriore autem (ubi iterum repetendum affixum, & נקיתי pro אנקם) sensu *purgandi* vel *purum & innocentem reddendi*, ita ut sensus hunc in modum fluat استاصل بطالبتهم بذنبهم ولا ابريهم *Exigam eos ad extremum supplicium propter eorum peccata, & nunquam eos crimine eximam* (vel *insontes reputabo*).

4. Denique aliam adducit expositionem, quæ ipsi magis videtur accommodata atque congrua verbis, quam ulla cæterarum, qua tantum supplet vocem אשר asher, *qui, quæ, quod*, quæ quam sæpissime brevitatis causa omittitur, quasi dictum esset ונקיתי דמם אשר לא נקיתי ubi, cum ipsi verbum נקיתי *nikketi* utrobique denotet *x)* الاستيصال *alestisal* (*radicitus vel penitus destruere*) & affixum ab eo referatur ad *Judam* & *Hierosolymam*, quarum in præcedenti versu facta erat mentio, eaque vox דמם ei significet ديتهم diyatahom, *pretium sanguinis eorum*, vel *mulctam pro eorum sanguine fuso*, quo sensu accipi contendit verba *Exod. 22, 2. y)* אין לו דמים *Ein lo damim, pretium sanguinis pro eo ne exigitor*, & *v. 3.* דמים לו *Damim lo, sanguinis (cædis) reus esto;* Sic demum sensus enascitur واستاصل طلب ديتهم التي لم استاصلها الي ذلك الوقت *westa seiu talba diyatahom allati lam estaselha*

x) Quæ vox a اصل radix significat vel radicitus evellere, protinus delere, vel ad ipsam radicem usque penetrare, sive omnem operam in aliquid collocare. *y)* Sic Abu Walid in דם.

ſelba ela dhaleca alwakt, Et ad extremum progrediar exigendo pretium (vel vindictam) pro ſanguine eorum, quod hucusque non plene exegeram.

Has quatuor horum verborum ſententias, quas ſuo tempore perſpectas habebat, literis conſignavit, quarum ipſe, meo quidem judicio, recte, ob conſtructionis facilitatem ac perfectionem prætulit ultimam. Primam autem cæteri, qui ad notitiam noſtram pervenerunt Judaicæ gentis interpretes, uti *R Salomo Jarchi*, *Aben-Ezra* & *David Kimchi*, unanimi quaſi conſenſu ſequuntur, præterquam quod aliarum injiciant mentionem, rejiciendo vocem דמם *eorum* ſanguinem, ad comma poſterius, ut verba ita diſtincta in hunc ſenſum fluant; *quantumvis purgem (vel abſolvam) has nationes ab aliis peccatis admiſſis, tamen eas non purgabo vel abſolvam a ſanguine Iſraelitarum.* Fuſe præ cæteris hæc verba explicat *David Kimchi* hoc modo: *Ab argento & auro eorum, quod acceperunt, purgabo vel abſolvam eas; quia etiam Iſraelitæ talia ab illis tanquam in ſpolia accipient in futurum; At a ſanguine eorũ, quem fuderunt, non mundabo eas, ſed* נפש תחת נפש *anima pro anima (vita pro vita) ſive anima vel vita fundentium ſanguinem, ſive filiorum illorum poſt illos. Nam ſi omne argentum & aurum, quod in orbe eſt, darent pro pretio animarum eorum, non erunt mundi ab eorum ſanguine (quem fuderunt.)* Cum vero *eorum ſanguinem* ad poſteriora verba referat cum duobus aliis, qui ante eum floruerunt, obſervatione tamen haud indignum putat adjicere, quod ad verbum præcedens ונקיתי *venikketi* & purgabo, id referat Chaldæus reddens, ודאתברעית דמהין. מן עממיא תוב אנא עתיד לאתפרע id eſt, *Et quorum ultus ſum ſanguinem a gentibus adhuc ſum vindicaturus.* Nil tamen ulterius addit quod vel ad explicationem vel ad cenſuram horum verborum quicquam facere queat. Mirari interim ſubit, quod non attenderit ad particulam לא lo *non*, quam plane omiſit. Id quod z) nonnullos in opinionem adduxit, ejus interpretationem haud convenire textui hebraico, quo cum mihi tamen facile videtur poſſe conciliari, quippe quæ ab eo affirmative ſunt reddita, ſenſu negativam includunt, quamvis verbis non apponatur. Eodem enim redit,

z) Merc. Pet. a Fig.

redit, *iterum eos ulturus ſum ;* atque, *nondum eos eo ultus ſum modo, quo ulciſci conſtitui.*

His quoque accenſendus, qui vocem דמם *damum* ad præcedens verbum *venikketi* refert, Arabicæ verſionis autor Judæus, qui hæc verba ita transfert وابري من مطالبة دماهم الذي الي الان لم ابر *Et purgatus ero, vel purgabo me a requirendo eorum ſanguinem, a quo hucusque nondum ſum purgatus ;* cujus mea ſententia hic eſt ſenſus, quod omni ex parte ac plene ſe velit purgare, eorum ſanguinem omnino exigendo vel ulciſcendo quod hactenus non fecerat. Aliam tamen, recitata antea ea, quam *Kimchi* & alii ſequntur, præfert *Abarbinel,* qua *Damam,* eorum *ſanguinem* ad præcedens quidem refert verbum, alio tamen prorſus ſenſu, quam alii feciſſe vidimus, quandoquidem verba priora interrogandi forma legit atque totum comma ita explicat האם נקיתי אני את האומות מדם ישראל אשר שלכו הארץ באמת לא נקיתי ולכן אפרע בהם i. e. *An abſolvi* (vel purgavi) *gentes a ſanguine Iſraelis, quem fuderunt in terra? Certe ego nondum abſolvi* (eos) *ſed* (vel atque ideo) *ulturus ſum eas.* Quæ diſtinguendi ac conſtruendi ratio, qua דמם *eorum ſanguis,* regitur a præcedenti verbo, omnium, quas habemus eſt antiquiſſima, nec auctoritate caret, quod diverſa ſignificatione accipiendum ſit verbum utroq; membro expreſſum, quippe ex antiquiſſima LXX verſione id luculenter apparet, qui ita hæc verba interpretantur, *a)* καὶ ἐκζητήσω τὸ αἷμα αὐτῶν, καὶ οὐ μὴ ἀθωώσω, *Et exigam vel ulciſcar eorum ſanguinem, multumque eſſe non patiar.*

Hactenus, quod attinet ad Judæorum de hoc loco ſententias tum recentiorum tum priſcorũ. Quodſi jam Chriſtianorum opiniones lubeat inſpicere, ſive interpretum, ſive Commentatorum, multo inveniemus plures, quibusdam cum horum nonnullis, quos vidimus, conſpirantibus, aliis in contrarium plane abeuntibus. Ex interpretibus quidam, isque non *b)* mediocris auctoritatis, quamvis recentioris ævi, facit cum *Kimchi* cæterisque Judæis, quos cum eo conſpirare vidimus, eodem modo verba diſtinguens ac conſtruens, cum reddat: *mundabo*

a) Vel ut alii Codic. ἐκδικήσω. *b)* Pagnin.

quidem, sed sanguinem eorum non mundabo. Alii nostri æque ac priscorum temporum planiorem ducunt construendi rationem, quam secundo loco adduximus, qua ad prius membrum referunt nomē quod regitur, licet nec illis ipsis bene conveniat, qui ita accipiunt, quisnam eorum genuinus sit sensus. Ita ea reddit Syrus ܘܐܬܒܥ ܕܡܗܘܢ ܘܠܐ ܐܚܘܣ *Et ulciscar eorum sanguinem & non parcam.* Et in eandem mentem Arabica impressa Græcos etiam imitans وانتقم دمهم ولا اعفو Et Vulgatus Latinus, *& mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram.* Quo cum videmus nostrates facere, excepto, quod conjunctionem ו *ve* reddant, *nam*, quam ille ex significatione ejus usitata, reddidit & ; quod idem etiam facit in Italica versione sua *Diodati*, ut & *Tigur Lat.* præterquam quod loco *quem*, habeat *quos*, ad personas referens, quod ille refert ad sanguinem.

Nihil autem horum exprimitur in textu hebraico, hinc plane id videmus c) quibusdam prætermissum in versionibus suis, reddendo duntaxat, *mundabo sanguinem eorum, non mundavi.* Cum vero ad sensum exprimendum se accingant, alterutrum horum necessario subintelligendum est, vel *quorum sanguinem* vel *quem sanguinem*, vel *quos*, uti habet *Castalio : eorumque sanguinem expiabo, quos non expiavero*, verum nil quicquam, officere potest sensui, quicquid eorum suppleveris. At longe major hic est differentia inter commentatores, quæ tamen aliunde originem trahit. Nimirum non eodem omnes modo intelligunt voces, *sanguinem* & *purgare*, nec de iisdem subjectis. Atque hinc est, quod tam discrepantes eorum nascantur opiniones, quarum peculiares sunt hæ sequentes. Primo sunt, quibus verbum נִקֵּה *nikkeh* accipitur, ut plerumque solet, pro *absolvere* vel *purgare*, & *sanguis* laxiore significatione pro detestandis peccatis (quæ sanguinis instar pollunt vel mortem merentur, vel propter quæ sanguis fundetur peccatoris) ut sensus sit, Deum promittere ecclesiam suam atque electos suos purgare a pollutione eorum peccatorum, quibus hactenus fuere inquinati. Ita qui verterunt Anglicanam ex *Genev.* quibus recentiores hoc in loco accedunt, in notis suis explicandi gratia addunt ; *Hactenus in impuritate ecclesiam suam Deus tulit, jam vero promittit eam mundare sibique*

c) Munst. Calv.

sibique puram reddere. His quoque concinit Reverend. Episcop. *Hallius* in paraphrasi sua: *Nam ego abluam vel purgabo peccata horum electorum meorum, quæ antea non ablui, atque cooptatos liberabo a gentibus, quarum iniquitatibus erant polluti.* Consimiliter *Diodati* in versione sua Italica hunc sensum exprimit: *Ecclesiam meam ab omnibus imperfectionibus & maculis peccati, quæ in hoc mundo in ipsa adhuc remanserant perfecte sanctificabo.* Eodem collineant non pauci alii Auctores latini, quamvis non eadem omnes sentiant de tempore, quo hæc sint futura, cum quidam ad evangelii prædicationem hæc traducant, quo Deus purgare volebat *in Evangelio, quos in lege peccantes immundos reliquerat,* ut ait *Hieronymus;* quando, ut fusius hæc exsequuntur *d)* alii, *purgabit gentes in Ecclesiam cooptatas, quæ prius erant e) mortuæ in offensis & peccatis suis, absque Christo, alienæ a republica Israelis, extraneæ a pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expertes in mundo,* reddens eas vicinas ac propiores per sanguinem Christi, qui purgat ab omnibus peccatis; *fideque illarum corda purgans, Act. 15,9.* Imo & Judæos, ut addunt *f)* alii, quos lex omnibus suis ceremoniis & abluendi ritibus adeo non purgare poterat, quin adhuc essent *g) conclusi sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus,* qua fide sola illis pariter ac gentibus, *h) fons apertus est pro peccato & separatione ex immunditie,* i. e. ad purgandum eos a peccatis suis. Quo cum utrisque æque sit opus, in Christo solo is est apertus atque ejus vis non efficax redditur nisi per fidem in eum etiam in hac vita. Quia tamen non omni ex parte hic purgantur, alii sunt una cum his, quos jam adduximus, qui id potius futurum ducunt omnibus credentibus in altera vita, quando mortalitate deposita cum omni ejus fragilitate & corruptione recipientur in cœlestem *Hierosolymam,* in quam *i) nihil quod pollutum est,* nihil quod non purgatum est a peccatis, intrabit.

Quodsi hac ratione hæc verba sint sumenda, ut *purgare eorum sanguinem,* tantundem sit, ac illos puros reddere a peccatis suis, utramque hic innui puritatem mihi persuadeo, & eam, quam illis adhuc præbet in hac vita, & qua in futura eos perficiet. Utraque enim ejus donum

 est,

d) Jun. Trem. *e)* Eph. 2,12. *f)* Tarn. Ribera. Danæus. *g)* Gal. 3,22. *h)* Zach. 13,1. *i)* Apoc. 21,27.

est, cui recipiendo non nisi per fidem in Christum reddi possunt capaces, *k*) Prima autem consistit in condonandis peccatis, quando illorum eos pœnitet; altera in iisdem penitus abolendis, ac ab eis illos plane immunes reddendo, quod, cum in hac vita eos non prorsus purget a peccatis, quamvis ea illis remittat, futuro tempore plene ac summa mensura facturus est eosque perfecte purgaturus cum condonando maxima illa peccata, quæ ob gravitatem immanitatemque *sanguini* comparantur, atque omnino remitti non posse videntur (uti *l*) quidam addunt) tum etiam eos sanctificando, ut nullum amplius peccatum admittant, sed ab omnibus repurgati innocentem vivant vitam. Hanc exponendi rationem ipsa verba nobis suggerunt, si verbum accipitur significatione purgandi, idque communi notione, atque sanguinis nomen pro detestandis quibusdam peccatis. Nec longe ab hac interpretatione verborum abire videtur *Petrus a Figuero*, cum lectoris judicio subjiciat atque in deliberationem ut cadat, moneat, num hoc loco videatur Judæis dari promissum, fore, ut ultimis diebus resipiscentes ac ad Christum se convertentes a reatu sanguinis purgentur, quem in se derivabant dicendo, *sanguis ejus sit super nos* &c. cuique adhuc sunt obnoxii atque postea futuri sunt, donec eorum superstites ad eum se recipientes ab eo purgabuntur. Quandoquidem autem aliis alio sensu sumitur verbum, videlicet ulciscendi significatione atque *sanguinis* denominatio proprie & magis stricte, unde necessario alia enascitur sententia, hanc inprimis iis tunc subesse is putat sensum, quod scilicet Deus *m*) innocentem populi electi sanguinem, quem ab hostibus suis fusum nondum ultus erat, constituto tempore ulturus sit. Quo certe etiam ducimur, a Græcis, Syro & Arabe, uti vidimus. *Grotius* censet נקיתי *nikke* hoc loco esse *ulcisci*, sensumque pulchre esse expressum a Chaldæo, qui paraphrasi hæc verba ita enucleat, *si quis adhuc esset Judæorum sanguis effusus; quem ultus nondum fuero, etiam hunc ulciscar.* Hanc esse mentem Chaldæi equidem inficias iri vix potest, verba autem ubi huncce in modum legerit vel quo exemplari usus fuerit, non liquet, quippe nullibi hæc verba ita invenio, sed ea ratione, qua antea nos ea citavimus. Idque vult in *Ammo-*

nitis

k) Vid. Piscat. *l*) Munst. & vide sis Chr. a Castro. *m*) Christ. a Castro.

nitis & *Moabitis* revera fuisse completum. Verum nimis anguste hac expositione verba videtur limitare ac restringere ad sanguinem tantum Judæorum & ad *Ammonitas* & *Moabitas*, de quibus ultionem erat sumturus. Satius igitur nostra sententia erit, si hac ratione sint explicanda, ut sanguis intelligatur populi Dei injuria fusus atque vindicandus propter hanc fusionem, ab omnibus infensissimis hostibus & persecutoribus ecclesiæ Dei: quæ interpretatio fulcimentum haud mediocre sibi petit ex versu præcedenti, ubi *Ægyptus* & *Edom* in desolationem fore dicuntur ob violentiam filiorum *Judæ*, & quia effuderant innocentem sanguinem in terra eorum, quod illustrandum ex *Apoc. 6, 9. 10.* ubi occisorum animæ propter verbum Dei & propter testimonium, quod tuebantur, magna voce dicuntur clamasse; *usque quo Domine, qui sanctus es & verax, non ulcisceris sanguinem nostrum ab iis qui habitant in terra?* Alia tamen nihilominus præfertur sententia *n*) ab iis, qui etsi dubio procul hanc noverint, tamen *purgare* hic malunt idem esse ac, *manifestare, reddere, & declarare purum*, eoque redire sensum quod ultimo judicio, quo omnium rerum veritas manifestabitur, declaraturus sit, ad se pertinere hujus populi sanguinem in hoc mundo fusum, eumque (quamvis hostes sibi persuadeant jure merito id factum ac si optime id meriti fuissent) revera fuisse innocentem, quatenus hos ab æterno supplicio immunes reddet, quo in eos animadvertit, quibus eum fundere volupe fuit. Atque has præcipuas remur horum verborum expositiones; quarum ultimæ duæ verbis ac loco egregie videntur convenire, quæ quamvis verbis quam maxime discrepent, re tamen videntur nequaquam differre, sed se mutuo inferre, quippe cum Deus ulturus sit sanctorum suorum sanguinem, manifestum est, id fieri non posse quin eosdem etiam declaret puros atque innocentes, cui rei declarandæ nulla via est commodior, quam qua justa in fundentes sanguinem propter peccata sua edet supplicia. In eo conveniunt cuncti, esse hic solatii loco fido Dei populo promissum, ea certo esse futura, si non hic in præsenti seculo, attamen instante ultimo judicio, cui etiam sequentia suffragantur: *Nam*, inquit, *Dominus habitat in Sione, habitatio ejus est Sion.* i. e. ecclesia ejus, & electi, qui commode hoc no-

n) Lyra. Merc. Drus. Livel.

mine poſſunt intelligi, ut exponit etiam hæc *R. Tanchum* دوام العناية بها وظهور نور السكينة فيها *continuatio providentiæ ejus ſuper ea atque manifeſtatio auguſtæ ejus præſentiæ in ea.* Quæ ubi ſunt, certum eſt, nihil quicquam nocere poſſe ulli ſuperſtiti, atque nihil etiam ad felicitatem & bonum ſtatum inhabitantium conducere his deficientibus. Præſentia ejus omnia neceſſario diſpelluntur mala, omniaque è contrario ſuppeditantur bona. Noſtrates interpretantur hic particulam ו *ve* per *nam*, ac ſi fiduciam velit facere illis, quod certo eventura ſint, quæ hic promittuntur, quo mihi videntur genuinum ac verum verborum promere ſenſum, quamvis, quoad videre potui, ſoli ſint qui ita faciunt. Adjiciunt equidem aliam interpretationem, at ea a priore non adeo diſcrepat ſenſu, quam verbis; ita enim habet: *Etiam ego Dominus qui habitat in Zione*; quid enim emphaſeos aliud hacet τὸ *etiam ego*, quam id, quod certo dicitur futurum, fore; *quia, vel nam, qui dicit, Dominus eſt, qui habitat in Zione.*

Aliis plerumque vertitur per &, quæ eſt vocis Hebrææ cognita ſignificatio, verum uti ſæpiſſime eadem uſurpatur pro *nam*; ita & eodem ſenſu uſu venire particulam *&*, non poſſum quin mihi perſuadeam, adeo ut & hoc loco non mera ſit copulativa, quæ tantum connectat præcedentia cum conſequentibus, ſed rationem reddens ejus rei veritatis ac certitudinis, quæ hic promittitur. Qui copulativam eam reputant, nemo eſt præterquam *Junius* & *Tremellius* in verſione ſua; ubi tamen ad plenum ſenſum reddendum ſupplent ante eam *Ego o)* interpretando, *ego & Jehovah habitans Tzijone*. Hinc *ego* ipſis notat, *Deum Patrem*, & *Jehovah*, *Deum Filium*, ut explanatum hoc dant in peculiari quadam *p)* nota. Quod verum eſſe, ſi rei attendamus, atque promiſſorum veritatem aſſerere nemo non videt, verum hac additione vim fieri verbis haud obſcure liquet, quocirca interpretatio altera literalis planior videtur ſimpliciorque. Quamque noſtrat. nobis ſuggerunt in textu, ad cæterarum omnium nos deducere poteſt ſenſum, ea, quam primo loco adduximus, ratione, qua ejus rei hic certos fieri dicendum, cujus in præcedentibus erat illis facta promiſſio. Quo pacto etiam ea videtur accipi a Chaldæo hæc particula, quia loco אמר *amar*, *ait*, reddit, inquit *Dominus, qui locavit majeſtatem ſuam in Zion.* Quod ille, qui *q) Jehovah* eſt, Dominus potentia infinitus ac æternus omniaque ſua decreta ac promiſſa ſuo tempore

o) Quos interpretando ſequitur Tarnovius p) Hæc autem ita habet: *Verba ſunt Dei Patris loquentis Deo filio, Jehova qui manet in nobis & nos in illo, & in quo Pater nos purgat ut feramus fructum.* q) De hoc nomine vide in Hoſ. p. 650.

tempore necessario præstans, illis promisit quos sibi in peculium suum ascivit, quibusque peculiaria ostendit suæ præsentiæ ac favoris indicia, non potest non certissime fieri ac in eventum deduci, atque hoc ipsum est, quod volunt hæc verba, Deum scilicet qui peculiari modo Majestatis suæ habitaculum fixit in Sion, Membra ac inhabitatores ejus loci ea de re certos reddere. Quorum in gratiam sicut se ubique præsentem atque majestatem suam dicit implere cœlum & terram, ita peculiari ratione eos dignatur sua habitatione vocans se ipsum שכן בציון *inhabitatorem Sionis*. Gemina his verbis occurrunt v. 17. ubi de iis sic egimus ut & ad hunc locum possint referri dicta; quod superest eo redit, verbum שכן *Shochen* esse participium proprieque denotare *habitans*, quod ad omnia tempora trahi potest, ut significet vel, *qui habitat*, vel *qui habitavit*, vel *qui habitabit*, atque ideo ab aliis *r)* præsenti, ab aliis *s)* futuro tempore redditur. Discrepantia autem quæ inter eos tunc existit, non nisi in loco est, quem utriq; intelligũt diversum, in quo dicitur habitare vel habitaturus. Is enim locus, qui dicitur *Sion*, dupliciter, uti notum est, sumitur, vel pro eo loco, qui proprie ita vocatur, atque ubi olim templi erat sedes, vel pro ecclesia Dei eaque iterum vel militante vel triumphante; ad quam hæc nonnulli referunt ad hanc quidem alii, alii ad illam. Inter eos qui proprie id intelligunt de eo loco ad literam, est *Kimchi*, & cum illo, quod credo, omnes Judæi, qui his verbis innui vult, Deum non tantum ibi habitasse eo tempore, cum hæc verba a Propheta pronuntiabantur, sed & iterum ibi habitaturum, quando reversi erunt & huic loco desolationis tempore elapso suus iterum constabit honos ac gloria. Ita enim ejus verba habent. *Et Dominus habitans in Sion* (שכן בציון *Schoken Betzion*) *etiam sic in æternum: nam in omnem æternitatem erit* שכינתו *commoratio ejus in Sion* אחר שתשוב שם *postquam eo redierit temporibus Messiæ*. Ad futurum tempus id quoque revocat *R. Tanchum*, supplendumque putat verbo והיה *& erit*, ac si scriptum esset ויהיה שוכן בציון *& Dominus erit inhabitans* (vel habitabit) *in Sione*. Satius tamen censet *Abarbinel* ad præteritum referri ac notari, quod antea erat factum, qua re paululum ab aliis discrepat, dum his non vult contineri earum rerum promissionem, quas Deus postea facturus erat; sed earum recensionem, quæ jamjam fecerat, quibus rationem putat dare, quare ulcisci vellet eorum inimicos, nempe quia sanctũ illum locũ, in quo erat sibi sedes ac habitaculũ, destruerent ac incendio delerent.

Ad *Sionem* proprie ita dictam hæc etiam refert ex Christianis *Grotius*, cum verborum hanc dat explicationem; *cultus Dei manebit Hierosolymis*. Verum id diutius durare non potuit, quam ipsa *Hierosolyma*, atque templum, in quo habitabat illustri præsentiæ suæ manifestatione, & ad quod cultus tunc temporis erat adstrictus. Et ipse Salvator noster dicit mulieri *Samaritanæ Joh. 4,21. Hora venit, qua non etiam Hierosolymæ adorabitis Patrem*, imo *v. 23. quod tunc hora esset*.

Pariter

r) Pag. Tig. Munst. &c. *s)* LXX. Arab. impres. Pisc. Diodati & Castel.

Pariter ea accipere videtur de terrena *Sione Calvinus*, quibus gratia divina in mentem revocatur Judæis juxta fœdus, quod erat sancitum, quo inter eos sibi habitaculum elegerat *Sionem* (habitaculum proprium in monte *Sione*). Verum longe excellentior est assertio, qua Deus hic dicitur inter eos, de quibus hic sermo est, eo in loco, qui *Sion* vocatur perpetuo habitaturus; quod cum de monte *Sione* Hierosolymæ affirmari non possit, de ecclesia necessario intelligitur, cui hoc nomen alibi quam sæpissime tribuitur, *t*) ut *Heb. 12, 22. Apoc. 14, 1.* quæ cum in militantem his in terris ac triumphantem in cœlis dispescatur, ad harum utramque hæc verba accommodari possunt, quia de utraque vere dici potest, Dominum in ea habitare idque in perpetuum. De priore id liquet ex eo, quod Christus ipse dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Matth. 28, 20.* & ex descriptione eorum, qui eam constituunt, de quibus Paulus ait, *quod sint domestici Dei Eph. 2, 19. templum sanctum in Domino, in quo ædificati sunt, ut sint domicilium Dei per Spiritum. vers. 21, 22.* De altera nemini dubium est, quin in ea habitet, & habitaturus sit, gloriosamque præsentiam in æternum manifestaturus. Qua re nonnulli sunt adducti, ut in specie ad hanc ipsam hic respici arbitrentur, in quibus etiam est Reverend. Episcop. *Hallius* qui hæc verba ita παραφράζει: *Numeroque electorum completo, Dominus in æternum cum iis habitabit in cœlesti sua Zione.* Utrique ea accommodari posse censet *D. Stokius*, cum ita hæc verba deducat: *Atque ita Deus semper cum sua ecclesia vult esse atque servos suos maximis etiam in periculis servare, aut eo remunerari, quod præsentem hanc liberationem longe excedit, & virtutis ac innocentiæ illorum sufficiens est præmium.* Hac ratione, utramvis etiam elegeris, si verba accipiantur, manifestum est, uti non una vice diximus, iis certo asseverari, quod promissum est ecclesiæ & membris ejus veris, & quicquid ad eorum salutem facere queat, id certo certius esse futurum, quod partim patet ex denominatione promittentis, qui est יהוה *Jehovah*, quod nomen soli Deo (Patri, Filio & Spiritui Sancto) competit, neminique præter eum communicatur, & uti *u*) denotat essentiam ejus in se ipso, ita & necessitatem verba ac promissa sua præstandi; partim ex ea relatione, qua sibi ipsi eos asserit dicendo, se *habitare* (vel *habitaturum*) in *Sione*. Quo perpetua ejus innuitur præsentia, qua adesse vult inhabitatoribus ac membris ejus, quod idem valet ac si plenam æternamque illis promisisset salutem. *Nam in conspectu ejus est satietas gaudiorum & a dextra ejus deliciæ in æternum, Ps. 16, 12.* Ad quem amœnissimum ejus conspectum infinita sua gratia nos velit præparare atque ejus aliquando participes reddere per Jesum Christum Dominum nostrum, cui cum Patre & Spiritu Sancto tribus personis ac uni Domino sit honos & gloria nunc & in omnem æternitatem,

Amen.

t) Vid. Ainsworth. in Ps. 6, 2. *u*) Ainsw. in Gen. 2, 4. & Exod. 6, 3.

INDEX

INDEX AUTHORUM,

qui in hoc Commentario citantur.

INDEX

INDEX RERUM
Memorabilium.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Israe-


L.

P.

R.

S.

LIPSIÆ,
Typis CHRISTIANI GOEZI.



u
i
41
38
36
37